57E RISK D 00517

BIBLIOTHEEK
7 7496 00037639 0
NATIONAAL NATUURHISTORISCH MUSEUM Postbus 9517 2300 RA Leiden Nederland

MVSEVM

ANATOMICVM.

VOLVMEN PRIMVM.

MVSEVM

ANATOMICVM

VOLVMEN PRIMVM

MVSEVM
ANATOMICVM
ACADEMIAE
LVGDVNO-BATAVAE

DESCRIPTVM

AB

EDVARDO SANDIFORT.

VOLVMEN PRIMVM

LVGDVNI BATAVORVM

APVD S. ET J. LVCHTMANS

ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.

MDCCXCIII.

'S RIJKS MUSEUM VAN NATUURLIJKE HISTORIE LEIDEN

VIRIS

PERILLVSTRIBVS ET *GENEROSISSIMIS*

ACADEMIAE LVGDVNO-BATAVAE

CVRATORIBVS

GVILIELMO LVDOVICO
BARONI VAN WASSENAER,

DYNASTAE STARRENBVRGI, EQVESTRIS HOLLANDIAE ORDINIS MEMBRO,

EJVSDEMQVE NOMINE IN CONSESSV DELEGATORVM HOLLANDIAE

PRINCIPEM LOCVM TENENTI, AGGERIBVS ET VIIS RHENOLANDIAE

CVRANDIS PRAEFECTO, SATRAPAE DALEMI. ETC. ETC. ETC.

'S RIJKS-MUSEUM VAN NATUURLIJKE HISTORIE
LEIDEN.

GVILIELMO ANNAE L'ESTEVENON, J. C.

LIBERO TOPARCHAE IN HAZAARSWOVDE, CIVITATIS HARLE-

MENSIS NVPER SENATORI. ETC. ETC. ETC.

PETRO HENRICO VAN DE WALL, J. C.

VRBIS DORDRACENAE SENATORI ET CONSVLARI VIRO, CONSESSVI

DELEGATORVM HOLLANDIAE ADSCRIPTO, PATRIMONII PVBLICI,

QVOD EX TRACTV HOLLANDIAE MERIDIONALIS, ET AGRO

HEVSDANO, REDIT, QVAESTORI SVMMO. ETC. ETC. ETC.

EORVMQVE

EORVMQVE COLLEGIS

AMPLISSIMIS NOBILISSIMISQVE

VIRIS

CIVITATIS LEIDENSIS CONSVLIBVS

JANO HVBRECHT, J. C.

AGGERIBVS ET VIIS RHENOLANDIAE CVRANDIS SEPTEMVIRO,
REI VENATICAE IN HOLLANDIA PRAEFECTO.

JACOBO VAN DER MEER,

DOMINO IN HOGEVEEN.

PETRO POMPE VAN SLINGELAND, J. C.

JANO LVDOVICO VAN DER BVRCH, J. C.

ACADEMIAE QVAESTORI.

NEC NON

GRAVISSIMO CONSVLTISSIMOQVE

VIRO

JOSIAE JOANNI HVBRECHT, J. C.

ILLVSTRI CVRATORVM CONSVLVMQVE COLLEGIO

AB ACTIS

D. D. D.

EDVARDVS SANDIFORT.

RIJKSMUSEUM VAN NATUURLIJKE HISTORIE LEIDEN.

PRAEFATIO.

Prodit enim tandem Muſei Anatomici Academiae Lugduno-Batavae Deſcriptio; tandem, inquam, quod plures effluxerunt anni, ex quo Illuſtriſſimi Academiae Curatores, Ampliſſimique Urbis Conſules, eam mihi demandarunt, gratiſſimum ſibi fore dicentes, ſi cuncta, quae ſtudioſorum in uſus adſervantur, & quotannis tot curioſos huc alliciunt, praeparata deſcriberem, eorumque, quae inprimis utilia cenſerem, icones darem, quantum fieri poſſet, exactiſſimas.

Quum praecipuum vitae meae tempus Academiae, & Anatomico ſtudio, illi praeſertim parti, quae, quanto ad cauſas morborum dignoſcendas magis idonea, tanto utilior, monente anatomes pathologicae principe, Morgagnio, habenda, omnium affectuum ut cauſas, ſic & ſedes effectusque, inveſtigat, totamque eorum naturam quaſi ob oculos ponit, quum igitur tantum temporis ei ſtudio conſecraverim, ne poſtea cum Euſtachio ſero conqueri cogerer, tot annos non in hac potius parte, quam in ea, quae ſana corpora examinat, eſſe conſumtos, lubens mihi impoſitum laborem ſuſcepi, & abſolvere omni animi contentione, quantum per alia negotia licuit, ſum conatus.

Primae operis parti ſatisfacere non nimis videbatur arduum. Maxima quidem praeparatorum, quae ultimo praeſertim acceſſere tempore, pars a nemine adhuc erat deſcripta, ſed Supellectilis Anatomicae, quam Clar. Rauius Academiae legavit, indicem confecerat Vir Clar. Bernardus Siegfried Albinus, in locum Rauii ſuffectus, propriique Theſauri, ab Academiae Gubernatoribus poſtea publice coëmti, brevem concinnaverat deſcriptionem, quam, mutato tamen ordine, Fridericus Bernardus Albinus libello de natura hominis adjunxit. Quum vero manum operi admoviſſem, ampliſſimum mihi patere campum, vidi, cujus terminum non niſi poſt magnum temporis ſpatium attingere potui; praeſertim quum ea, quae deſcribenda eſſent, meo quidem judicio ad fructum egregia, non ſanum, ſed morboſum, non naturalem, ſed aberrantem a natura, ſtatum ob oculos ponerent. Deſcriptionem tamen, jam ante aliquot annos paratam, ut Curatoribus Illuſtriſſimis obtuli, ſic & publicam in lucem emittere potuiſſem, niſi neceſſe fuiſſet, datas explicationes multorum praeparatorum adjectis iconibus illuſtrare, quae deſcriptionibus, etiam accuratiſſimis, longe multumque praeferendae; niſi interea, collectione praeparatorum pathologicorum inſigniter creſcente, omnia explananda, & loco idoneo inſerenda fuiſſent.

Sed facile animadvertens, ſi Illuſtriſſimorum Curatorum rogatu cuncta, quae utilia, quae notatu digna, erant, praeparata delineaſſem, immenſae molis opus futurum, propoſui, an non ſatius foret, ac longe fructuoſius, unicam partem, ſed talem, in qua elaboranda pauci hucusque occupati fuerunt, pathologicam nempe, exquiſitiſſimis illuſtrare figuris, ut, cum innumeri naturalem partium omnium figuram, compoſitionem, delineari curaſſent, tandem proferretur, a nemine adhuc tentata, ab omnibus, quibus hominum ſalus curae cordique eſt, tantopere exoptata, Anatome Pathologica, qua tum funda-

damenti noſtri corporis, ſceleti, tum partium mollium, affectus, ſi non omnes; ſaltem plures, quorum exempla in noſtro Muſeo adſervantur, quique in Theatro Anatomico ſunt obſervati, conſpiciendi praeberentur, qua denique utiliſſimae ἰατρικῆς parti, naturam, differentias, cauſas, effectusque morborum, tradenti, Pathologiae multum lucis adfundi poſſet.

Annuerunt Academiae Patres, &, quum bene multas figuras, egregie delineatas, antequam in aere ducebantur, inſpexiſſent, non tantum eas probarunt, ſed me etiam honorificis verbis ſemel iterumque excitarunt, ut eadem via pergerem, aeneasque tabulas parandas curarem.

Vehementer itaque laetatus, hoc modo juſtis multorum deſideriis ſatisfieri poſſe, omnem movendum eſſe lapidem, omnem dandam eſſe operam, cenſui, ut conderetur opus, gratiſſimum praecipue illis, qui morboſarum partium collectione deſtituti, eas tamen cognoſcere cupiant, futurum. Sic nata eſt Anatome Pathologica picta, alterum hujus libri volumen conſtituens, inſignem morborum numerum, plures aberrantis naturae luſus, complexa.

Affectuum, quorum exempla in promtu erant, vix unum omittendum duxi. Aliis igitur notabiliores, aliis minus notabiles; forte videbuntur nonnullae icones, iis praeſertim, qui ipſi inſignem praeparatorum pathologicorum collectionem poſſident; ſed eas praetermittere, ſi plenum, quoad ejus fieri poſſet, & artis ſalutaris ſtudioſis accommodatum, opus conderetur, aeque inconſultum videbatur, ac tales, quas alii ſuis in operibus ſparſim forte delineaverant, temere tranſilire. Lubenter tamen fateor, me, ſi omnia, quae depinxi, praeparata, uno eodemque tempore ad manum fuiſſent, pauca forte omiſ-

ſurum fuiſſe, talia videlicet, quae poſtea pleniora, perfectiora, ad cognoſcendum morbum magis idonea, vel detexi ipſe, vel ab aliis accepi. Quae tamen & ipſa non carent utilitate ſua, quippe oſtendentia, non eodem modo eodem in morbo naturam ſemper procedere, aut ſibi ſuccedens morbi alicujus incrementum exhibentia, aut denique rationem phaenomenorum, quae morbos ſaepe comitantur, vel inſequuntur, explicantia. Fateor quoque, ſubinde, ne locus hac illave in tabula relinqueretur vacuus, figuram fuiſſe adjectam, quae alioqui non acceſſiſſet. Gaudebunt vero, ſi quid intelligo, omnes, qui rem bene perpenderint, me non ſolum eas omnes dediſſe, ſed & inſuper adjeciſſe paucas illas delineationes, quas Muſeum noſtrum adſervat, paratas ad exempla, quae aliorum collectiones ornant, ſed Theatro in uſum ſtudioſae juventutis conceſſas, & praeterea ſuis inſeruiſſe locis nonnullas tabulas, olim a me datas. Equidem, ſic procedendo, fundamentum me ponere, credidi, quo, quibus hoc negotium demandatum eſt, ſuperſtruere pathologicas explicationes diverſorum morborum poſſint, quo confirmare, corroborare, ea, quae ſcripſerunt alii, corrigere vero talia, quae, in otio excogitata, ſi cum natura conferantur, potius ludentis ingenii figmenta, quam certa & vera eſſe apparent, quo denique via facilior ad diverſorum morborum curam muniatur; praeſertim ſi, qui alia, eaque rariora, vel jam poſſident, vel aliquando acquirunt, ſimili modo depingi curent, ut Anatome Pathologica ſenſim ad perfectionem adducatur. Quales tabulas, Necroſin oſſium illuſtraturas, a Clar. Weidmanno propediem expectamus.

In deſcriptione Muſei, quam primum hujus operis volumen complectitur, talem, qualem ipſe optimum judico, ordinem ſervare non licuit. Quum enim ex diverſis collectionibus, quae omnes ſeorſum cuſtodiuntur, compoſitum ſit, ea, quae uni eidemque rei illuſtrandae inſerviunt, jungere non potui, ſed totum opus in octo Sectiones dividere, additoque indice ſparſa colligere, coactus fui.

Prima

Prima Sectio continet Supellectilem Rauianam. Hujus descriptionem, a summo Albino datam, & in hoc genere perfectam, sequutus, breviter tantum attigi illa, quae ad morbos ossium spectant, quippe suo loco, aut Albinianis verbis, aut propriis, latius describenda.

Secunda complectitur Collectionem Albinianam. In hoc thesauro describendo servavi ordinem, quo illum disposuit Clar. F. B. Albinus; explicationi autem, ab ipso Auctore factae, cuncta ea addidi, quae ad illustranda sua praeparata, diversis in operibus, a se editis, protulerat.

Sectio tertia exhibet Supellectilem Doeverenianam. Hujus, qua varia, olim a Ruischio facta & in Indice hujus Musei memorata, praeparata etiam continentur, in enumeratione sequutus sum indicem, Clarissimi Viri manu scriptum, una cum praeparatis, a defuncti heredibus coëmtis, traditum, paucis tantum adjectis, quae ad intelligentiam hujus illiusve praeparati viderentur necessaria. Praemissa est honoratissimi Collegae memoria.

Quarta Sectio continet ossa, morbo aut naturae lusu a statu sano vel naturali aberrantia, cujus generis perpauca olim praeparata in nostro Theatro reperiebantur, & vix alia, quam quae possedit Clar. Rau. Postquam vero, in hanc Academiam vocatus, utilitate explicandi morbos ossium perspecta, ut de omni alia, sic & de hac chirurgiae parte, hic semper neglecta, praelectiones habui, omnem navavi operam, ut dicta praeparatis illustrarem. Coëmta tunc est tota collectio viri doctissimi, hujus urbis Poliatri, A. Ledeboer, eaque aliis sensim sensimque adaucta est speciminibus. Ipse vero similem & proprios & publicos in usus etiam paravi, & quae illa continentur praeparata, certe raris-

rariſſima, quorum multa Amicorum, & in Patria, & procul a Batavis degentium, benevolentiae debere me, gratiſſimus agnoſco, hac in Sectione pariter deſcripſi, hiſtoriam morbi, ſi eam expiſcari potui, aut forte ipſe obſervavi, addere non oblitus.

Sectione quinta de partibus mollibus morboſis ago. Quotannis, per quatuor & quod excurrit luſtra, inſignem cadaverum numerum, in gratiam ſtudioſae juventutis, ſecanti ſaepe ſe obtulerunt notabiles naturae luſus, morboſae degenerationes diverſae, quas non ſilentio premendas, ſed ab oblivione vindicandas eſſe, ſimul atque idoneus mihi ſuppeteret numerus, & in Obſervationibus Anatomico-Pathologicis proferendas, exiſtimavi, omni diligentia ſimul examinans, quid alii de ſimili caſu memoriae prodidiſſent. Quae adſervari potuere, hujus generis praeparata, hac Sectione memorantur, & quantum hujus libri conſilium requirere videbatur, deſcribuntur.

Quae ſequitur Sectio, ſexta, complectitur enumerationem omnium, quos poſſidemus, Calculorum, inter quos ſane multi ſede, quam occuparunt, numero, magnitudine, figura, aliisque qualitatibus, etiam atque etiam ſunt notandi.

Monſtrorum collectionem, ſat amplam, in Sectione ſeptima explicui, breviter tamen, quoniam plurimorum, certe notatu digniſſimorum, hominis, exquiſitiſſimas dedi figuras, ex quibus optime cognoſci poſſe videantur.

Ultima denique Sectio varia continet. Praeter ea, quae praecedentibus ſectionibus ſunt deſcripta, non pauca, ex homine ex animalibus deſumta, arte facta etiam, in Theatro cuſtodiuntur, quae memoranda erant, & hac ſectione breviſſime deſcribuntur. His ad-

adnectere potuiſſem, ſi conſultum fuiſſet, enumerationem Inſtrumentorum, quae Viri Clariſſimi, van Solingen, Rau, & praecipue F. B. Albinus, Theatro Anatomico legarunt, quorum, praecipue a Deceſſore meo collectorum, numerus tantus eſt, ut vix Operatio detur, in qua inſtrumentorum uſus ſit, quin illa omnia, & quidem ſecundum diverſas chirurgorum opiniones, diverſas curandi methodos, fabrefacta reperiantur.

Additae huic ultimae Sectioni ſunt Tabulae novem, exhibentes Crania Kalmukki, Tartari ex Caſan, Aethiopis, Ruſſi, Sueci, Angli, Galli, Itali, quibus, ob ſingularem formam, Feminae Hanoveranae caput accedit. Actum me agere, forte judicabunt nonnulli, poſtquam Viri Clariſſimi ſuas obſervationes de forma cranii in diverſis nationibus cum orbe litterato communicarunt, ac talium craniorum bene multas figuras ediderunt. Numerum certe illarum adaugere, hanc ob cauſam non placuit. Verum quum Hae jam ante multos annos, antequam, alios ſimile quid moliri, ſuſpicari potuiſſem, paratae eſſent; quum, niſi omnia me fallant, exactiſſime delineatae, & optime aeri inciſae, prodeant; quum omnibus, qui eas apud me viderunt, placuerint, ut illas ſupprimerem, & hoc opere excluderem, a me impetrare non potui. Elegeram ex omnibus, quae in Muſeo noſtro extant, crania, omni ſenſu integra, alia vero, quibus vel maxilla inferior deerat, vel dentes perierant, vel quae alio modo vitiata erant, tali conſilio minus idonea cenſui. Omnium, quibus componuntur, oſſium, utpote ex figuris ſatis cognoſcendorum, deſcriptionem addere, inutile viſum eſt.

Ipſi Operi praemiſſa eſt Introductio, qua vitae & merita Clariſſimorum Virorum, qui Anatomen hac in Academia docuerunt, & Theatro praefuerunt, recenſui. Hanc Hiſtoriae litterariae ſtudioſis eo gratiorem fore putavi, quo certius adfirmare poſſum,

possum, a nemine talem fuisse elaboratam, omnia autem, qua a me narrantur, ex bene multis, qui passim hujus illiusve merita celebraverant, auctoribus, non sine cura esse collecta.

In totius Operis elaboratione, brevitati maximopere studens, non nisi eorum mentionem feci, quae ad intelligentiam describendorum praeparatorum requiri viderentur. Amplissimum, qui ultro patebat, campum si ingredi necesse duxissem, si, quid alii de similibus praeparatis memoriae prodidissent, ad examen vocare, si denique de omnibus, quos attigi, morbis commentari, voluissem, in immensum opus excrevisset. Quae ipse iisdem de rebus notatu digna arbitrer, alteri Operi, si vitam, sanitatem, tempus largiatur Numen, edendo, reservare volui.

Tanta autem cum rerum copia atque varietas sit, vix aliter fieri potuit, quin hoc vel illud praeparatum non satis accurate copioseque descripserim, aut aliquid omiserim, errores varios, qui, mente per alias easque serias occupationes distracta, calamo excident, aut typographorum incuriae adscribendi sint, emendare neglexerim. Sed veniam a Benevolis Lectoribus, quorum aequas animadversiones semper gratissimus accipiam, facile me impetraturum confido, ab iis praesertim, qui, quae & qualia mihi quotidie peragenda sint, non ignorant. Caeterum impense gaudebo, si studiosae juventuti, cujus utilitati hoc opus tot annorum vigiliis paravi, cognitionem humanae fabricae & morborum videar faciliorem reddidisse.

Scribebam in Academia Lugduno-Batava die 14. *Novembris* 1792, *natali quinquagesimo.*

SERIES

SERIES

CONTENTORUM.

Introductio. Pag. I.

I.

Supellex Anatomica Rauiana. 1.

II.

Supellex Anatomica Albiniana. 27.

III.

Supellex Anatomica Doevereniana. 91.

IV.

Ossa Morbosa. 125.

V.

Partes Molles Morbosae. 229.

V I.

Calculi. Pag. 277.

V I I.

Monſtra. 297.

V I I I.

Varia. 307.

Index. 313.

INTRO-

INTRODUCTIO.

INTRODUCTIO.

Vix GUILIELMUS PRIMUS, Civitatis Batavae Gubernator, ſub ultimo Hollandiae Comite, Nobiliſſimos ac Praepotentes Hollandiae Ordines, data ad Eosdem 28. Dec. anni 1574. epiſtola, excitaverat, ut quantocyus, durante adhuc bello contra Hiſpanos, antequam de pace induciisve pangendis cum hoſte ageretur, Univerſitatem domeſticam, Exterarum aemulam, conderent in Hollandiae Zelandiaeve Comitatu, ad fulciendam ac conſervandam libertatem, legitimumque Patriae regimen, non tantum in iis, quae ad Religionem, ſed & communem ſtatus civilis ſalutem, ſpectant, quin Hollandia, & in Hollandia antiquiſſima Leida, eligeretur: Leida, nuperrime obſidione liberata per Civium inauditam fortitudinem & ſummam conſtantiam, quibus adeo nullum majus, nullum pulchrius, nullum utilius, virtutis praemium offerri potuit (*a*).

Mirum dictu, quam cito conſtituta, quam cito inaugurata Academia ſit. Vix quinque elapſis hebdomadibus undique allecti eruditi aderant, parati ad juventutem quocunque disciplinarum genere erudiendam, parata omnia.

PETRUS FORESTUS, ut nobiliſſima gente ortus, ſic in nobiliſſima & utiliſſima arte egregie verſatus, una cum LAURENTIO ORCHOTO, Inaugurationi Academiae interfuit (*b*), & aliquot etiam praelectiones habuit, mox tamen, relicta noſtra urbe, patriam Alcmariam repetiit; nec Orchotus diutius hac in Academia moratus eſt.

GE-

(*a*) Conf. F. Fabricii Oratio in natalem centeſimum & quinquageſimum Academiae Batavae, quae eſt Lugduni Batavorum, pag. 7. ſeq.

(*b*) Meurſii Athenae Batavae pag. 19. Orlers beſchryvinge der Stadt Leyden. pag. 193.

GERARDUS autem BONTIUS, inter Anatomicos hujus Academiae, primo loco eſt memorandus. Hic Ryswici Geldriae vico, patre vitae militari dedito, ſed qui, illam poſtea pertaeſus, ad tranquillam magis ac honeſtam voluptatem pariter ac fructum, qui ex terrae cultu & foecunditate petitur, more antiquo ſe contulerat, natus anno 1538., poſtquam linguas addidicerat, totum ſeſe Philoſophiae dedit, deinde Medicinae, in qua Lovanii Bieſium docentem audivit, non multo poſt Viennam in aulam Imperatoris Maximiliani II. vocatum; tum in Italiam tendens Ferrariam ſtudiorum ſedem delegit, & Patavii ſupremos in arte medica honores conſecutus eſt (*c*). In Belgium reverſus, & Leidae Medicinam faciens, cum Academia condebatur, Aſtronomicas & Mathematicas praelectiones habere coepit, & tanquam primus Philoſophiae Profeſſor Inaugurationi ipſius interfuit. Anno autem 1587. hyemali tempore Anatomen, aeſtivo Botanicam, tradidit, invitantibus eum & honorario excitantibus Academiae Moderatoribus. Primus ergo Bontius fuiſſe videtur, qui Anatomicas diſſectiones hac in Academia publica autoritate (*d*) inſtituit. Non tamen ad vitae finem usque, qui accidit 15. Sept. 1599. cum altera vice (*e*) Magiſtratum Academicum gerebat. Etenim ambas, modo nominatas, Anatomen & Botanicen demonſtrandi provincias jam anno 1589. in ſe ſuscepit Petrus Paaw.

Liberos Bontius reliquit octo, & in his Johannem, Reipublicae Roterodamenſis medicum & quaeſtorem, Reinerum ejusdem artis hac in Academia Profeſſorem (*f*), Guilielmum, civitatis Leidenſis Senatorem, Scabinum, atque ab anno 1619. Praetorem (*g*), Jacobum (*h*).

PE-

(*c*) Illuſt. Hollandiae & Weſtfriſiae Ordinum Alma Academia Leidenſis pag. 118. Adami vitae medicorum pag. 365. Freheri Theatrum virorum eruditione clarorum pag. 1304. C. W. Keſtner Mediciniſches Gelehrten Lexicon. pag. 131.

(*d*) Dicitur enim Joannes Heurnius primus in Academia Leydenſi propria manu Anatomiam adminiſtraſſe, id efflagitantibus ſtudioſis, cum inſolens hoc exercitium patriae noſtrae eo tempore eſſet. Alma Acad. Leid. pag. 135. Adami Vit. Medicorum pag. 372. Harum tamen demonſtrationum nulla mentio fit in vita Heurnii, Operibus ipſius omnibus, cum praefatione Paawii editis, praefixa.

(*e*) Prima vice Rectoris Magnifici munere functus eſt anno 1582. Orlers beſchryvinge der Stadt Leyden. pag. 198. Soermans Academisch Register. pag. 25. Non ergo aliquoties ipſi faſces Academici praelati ſunt, ut legitur in Alma Acad. Leid. pag. 121. Adami Vitae Medicorum. pag. 367.

(*f*) Regnerus Lugduni Batavorum natus anno 1576. Philoſophiam docere incepit 1599; anno vero 1618. medicinam. Quum per annos aliquot Medicam artem feliciter exercuiſſet, Medicus familiaris illuſtriſſimi Principis Henrici Naſſovii factus eſt. Neque ita multo poſt, cum ab optimo ſucceſſu artis & experientia Mauricio, Hollandiae ac Zelandiae Gubernatori, innotuiſſet, & favorem ejus ſingularem & honeſtum ab eo conſecutus eſt ſtipendium, dignus habitus, qui ſalutis ejus curam gereret, cujus ſaluti innitebatur reſpublica. Alma Acad. Leid. pag. 162. Orlers beſchryvinge der Stadt Leyden. pag. 347. Annis 1619. & 1620. geſſit Magiſtratum Academicum. Orlers lib. cit. pag. 199. 341. Mortuus eſt 12. Junii 1623. annos natus quadraginta & ſeptem. Orlers lib. cit. pag. 348.

(*g*) Orlers lib. cit. pag. 608. 634.

(*h*) Natus hic non Roterodami, ut habet Mercklinus in Lindenio Renovato pag. 476. ſed Lugduni Batavorum, ut ipſe fatetur in Hiſt. Indiae Natur. & Medica Lib. 3. cap. 46. pag. 48. Anno 1627. in Indiam profectus, per multos annos in inſula Java vixit, Gubernatoris Indiae Orientalis medicus, praxin feliciter exercens. Opus primum ipſius de Medicina Indorum prodiit Leidae anno 1642. in 12mo. Pariſiis 1646. 4to. & recuſum eſt cum P. Alpini Medicina Aegyptiorum. Poſtea Hiſtoria ejus naturalis & medica Indiae Orientalis, a Guilielmo Piſone in ſex libros diviſa, edita eſt Amſtelaedami anno 1658. Fol. Quo libro ea omnia, quae in Medicina Indorum continentur, etiam ſunt comprehenſa.

PETRUS PAAW, Amſtelaedami anno 1564. natus, patre Petro Paaw, Adriani filio, anno 1586. Senatoribus Amſtelaedamenſibus allecto, ſed poſtea Quaeſtore Alcmarienſi (*i*), Matre Geertruda Spiegels; latine & graece doctus, ad graviora medicinae ſtudia animum adplicans, Lugdunum Batavorum anno 1580. venit, praeceptoribusque uſus eſt Gerardo Bontio, Joanne Heurnio, Remberto Dodonaeo. Peregre profectus anno 1584. Lutetiae primum Pariſiorum aliquamdiu vixit, ibique in Medicina ſe exercuit ſub Ludovico & Joanne Duretis, atque Anatomicis operam quoque dedit, Joanne Fabro praeceptore uſus. Poſtea ſe Roſtochium contulit, ſub Henrico Bruceo, qui in mathematicis & medicina excelluiſſe dicitur (*k*), ſe in Anatomicis exercuit, ac tandem publice ſummum in Medicina gradum ibidem eſt adeptus, anno 1587., aetatis vigeſimo tertio. Simul medicinam ea in Academia profiteri coepit, & anatomica propoſuit. Italiam etiam petiit, hac autem vix per trimeſtre inſpecta, cum in familiaritatem Hieronimi Fabricii ab Aquapendente, Anatomici optimi, & Cortuſi Botanici, ſe inſinuaſſet, morbo parentis ſubito revocatus, in patriam rediit; & ſupra dicto anno 1589. (*l*) in hanc Academiam invitatus, Anatomen magno cum applauſu docuit. Deſiderabatur ad hoc usque tempus publicus locus, ubi cadavera ſecari, & anatomicae demonſtrationes inſtitui poſſent. Talis indaginis utilitatem perſpicientes Illuſtriſſimi & Praepotentes Hollandiae & Weſtfriſiae Ordines, anno 1593. eum in finem conceſſerant publico edicto cadavera eorum, qui hyemali tempore morte plectuntur, quod aliquoties deinde renovatum eſt (*m*), ſed demum anno 1597. (*n*) ſub auſpiciis Petri Paawii theatrum Anatomicum exſtructum eſt, qui, huic praefectus, peritiam artis ſummam cum facundia admirabili conjungens, quaque hyeme, maximo ſpectatorum, etiam ex vicinis locis, concurſu, duo, tria, & ſubinde plura cadavera humana, ut ipſe fatetur (*o*), ſecuit; imo viginti duorum annorum ſpatio, praeter varia animalia, corpora humana ſexus utriusque ſexaginta cultro anatomico ſubjecit, factasque praeparationes publice demonſtravit (*p*). Hippocratem praeterea de vulneribus capitis, Galenum de oſſibus, Celſi varia capita, quorum intelligentia pendet ex doctrina anatomica, commentatus, ab eo tempore, quo

(*i*) Wagenaar beſchryving van Amſterdam III. Deel pag. 200. Hunc religionis & patriae amantiſſimum, ut tunc ferebant tempora, ſolum vertere & patriam exilio commutare coactum fuiſſe, lego in Adami vitis medicorum pag. 432., qui ea, quae de Paawio memoriae prodidit, ex E. Vorſtii Oratione funebri deſumta eſſe, monet.

(*k*) Adami Vitae Medicorum. pag. 318.

(*l*) Conf. Meurſii Athenae Batavae. pag. 264. Soermans Academisch Register. pag. 53. vocatum fuiſſe Paawium in hanc Academiam anno 1592. dicit. Sed errorem fuiſſe commiſſum, enarratum vitae curriculum docet, illudque confirmat initium dedicationis libri de oſſibus, anno 1615. editi; ubi haec habentur. Quintus & vigeſimus annus volvitur, quum ad docendi munus vocatus pedem in veſtram intuli Academiam.

(*m*) Fr. van Mieris beſchryving der Stadt Leyden. II. Deel pag. 255. Handvesten der Stadt Leyden. 526. Groot Placaatboek, II. D. pag. 1066.

(*n*) Meurſii Athenae Batavae. pag. 34. Fabritii Oratio in notis pag. (4). Mieris beſchryving der Stadt Leyden, II. Deel pag. 555. Non itaque anno 1592, ut habet Orlers beſchryvinge der Stadt Leyden. pag. 209.

(*o*) In Praefatione ad primitias anatomicas de oſſibus.

(*p*) Meurſii Athenae Batavae. pag. 35.

quo docendi munus adgreſſus eſt, id ſibi negotii creditum exiſtimavit, non theoreticos Reipublicae daret, ſed practicos, hoc eſt, qui non jejunam enumerationem partium corporis humani, & diſſectionem poſſent inſtituere, ſed qui partium ſingularum, totiusque corporis, adfectiones & morbos probe intelligerent, &, quum opus eſſet, curationem adhiberent. Dictis aliisque ſcriptis (*q*) magnum nomen, magnamque famam ſibi comparavit, praeſertim cum in ipſo mirarentur omnes exactam quamdam in rebus agendis diligentiam, pari cum ſcientia conjunctam, acre ac vehemens ingenium, animum, nunquam quieſcentem, priusquam impetraſſet, quo pertenderet; adeo ſemel coeptis inſiſtentem, ut quicquid vellet, vehementer vellet, quoque animum intenderet, ibi valeret (*r*). Merito itaque doluerunt omnes, magnum huncce virum, in Botanicis etiam peritiſſimum, & de Horto Academico optime meritum (*s*), ter Rectoris Magnifici munere functum (*t*), vix quinquaginta & tres annos natum (*u*), kalendis Auguſti anni 1617. vivere deſiiſſi. Uxorem duxerat Mariam Hautenam, Jani Hauteni, Urbi a Secretis, filiam (*v*).

Succeſſit Paawio OTTO HEURNIUS, Ultrajectinus, Joannis Heurnii, tunc Medicinae in patria urbe doctoris, poſtea primarii in Academia Leydenſi Medicinae Profeſſoris (*w*), & Chriſtinae Beyers filius. Hic, 8. Sept. ſtylo antiquo 1577. natus, anno 1581. cum parentibus Leidam advectus, prima ſtudiorum fundamenta ibi poſuit, atque, hac in Academia Magiſter artium anno 1599. dictus, anno ſequenti ad Philoſophiae Profeſſionem a Nob. & Ampl. Academiae Curatoribus, urbisque Conſulibus evectus eſt. Medicinae Doctor 7. Julii 1601. renuntiatus, cum eodem anno Auguſti undecimo pater ipſius mortalitatem expleviſſet (*x*), ad Medicinae

(*q*) Halleri Bibliotheca Anatomica. Tom. 1. pag. 331. Portal Hiſt. de l'Anatomie, & de la Chirurgie Tom. 2. p. 369.

(*r*) Adami vitae medicorum. pag. 435.

(*s*) Orlers lib. cit. pag. 203. Adami vitae medicorum. pag. 434.

(*t*) Annis 1601. 1606. 1614. Alma Acad. Leyd. pag. 148. Orlers lib. cit. pag. 199. Soermans Acad. Register pag. 25. ſeq.

(*u*) Computatione non rite facta, illum quinquageſimo aetatis anno deceſſiſſe, notat Portal. loc. cit.

(*v*) Meurſii Athenae Batavae. pag. 265.

(*w*) Alma Acad. Leid. pag. 125. Meurſii Athenae Batavae. pag. 135. Hic, anno 1543. Ultrajecti natus, Lovanii Medicinae operam dedit, inde Lutetiam ſe contulit, ibique familiariter admodum uſus eſt medico Dureto, quem triennium docentem audivit. In Italiam profectus Capivaccio, Mercuriali, Fabricio ab Aquapendente, aliisque dignum ſeſe praebuit discipulum, ea propter inter alumnos Gymnaſii Patavini memoratum, N. Comneni Hiſt. Gymn. Patav. Tom. 2. pag. 262. Patavio Ticinum abiit, ibique Doctor renuntiatus, Nicolao Renaldo Peroneto, Domino a Granvella & Chantonay, Comiti a Cantecroy Medicus fuit. In patriam reverſus Ultrajecti Medicinam exercuit, in Senatorum numerum relatus eſt, hujus autem muneris, homini Muſis & tranquillitati dedito, gravis, vacationem impetravit. Ad Profeſſionem medicam hac in Academia vocatus, anno aetatis trigeſimo octavo, die Octobris 31. 1581. Leidam commigravit, praxin maxima cum autoritate exercuit, ordinarius Medicus Principis Mauritii dictus eſt, & per viginti annos ſummo cum honore Profeſſoris perſonam ſuſtinuit, interea temporis ſexies Magnifici Rectoris munere functus; annis nempe 1583. 1584. 1592. 1593. 1599. 1600.; notantibus Orlers lib. cit. pag. 199. & Soermans Acad. Reg. pag. 25. ſeq.

(*x*) Integra valetudine toto vitae tempore uſus eſt, ad annum usque aetatis quinquageſimum ſextum, tunc vero ſubito ſeſe prodidit calculus, qui biennii cruciatu fractum ſuſtulit anno 1601. aetatis 58. Poſt mortem in ejus veſica a Paawio ſeptem inventi calculi ſunt, forma & magnitudine nucis juglandis majoris, omnes aequalis magnitudinis & ponderis, nam ſinguli pen-

cinae Profeſſionem menſis Novembris ſequentis die 8. ab iisdem Curatoribus ac Conſulibus promotus eſt (*y*). Mortuo autem Paawio anno 1617. ipſi quoque demandatum munus anatomen demonſtrandi (*z*), quam ſpartam non tantum in ſe ſuſcepit, ſed & per bene multos annos optimo cum fructu explevit, ornando theatro Anatomico, ut variae, ipſius manu factae, inſcriptiones & hodie abunde probant, ſtudioſiſſimus. Uxorem duxerat Johannam a Swaenswyk, ex eaque progenuit Johannem, Conſiliarium curiae Ultrajectinae, & Johannam, nuptam Laurentio Storm a 's Graveſande, Scabinum &c. Sylvaeducenſem. Mortuus eſt 14. Julii 1652., ferme ſeptuaginta & quinque annos natus (*a*).

Adjunctus Heurnio, ut per vices Anatomen traderent (*b*), ADRIANUS FALCOBURGIUS, ſeu VAN VALKENBURG, Lugduni Batavorum 1. Nov. 1581. natus, patre Cornelio, viro Senatorii ordinis, matre Clara Berckelia, Adriani filia (*c*). Theologiae primum operam dans, poſtea ad Medicinam animum appulit, Bontium, Heurnium, Vorſtium, Paawium, frequentavit, potiſſimum vero cadaverum diſſectione, & anatomicis demonſtrationibus, capiebatur, adeo ut univerſae quidem medicinae, ſed praecipue Anatomiae ac Chirurgiae operam navaverit, tantamque ſibi in hiſce comparaverit famam, ut, mortuo Paawio, vacante Profeſſione Anatomes, conſentientibus non tantum, ſed & volentibus Academiae Curatoribus Urbisque Conſulibus, cadaver publice ſecuerit, ac demonſtraverit. Attamen neque Ipſi, neque duobus aliis Medicinae Doctoribus, qui ſimile ſpecimen ſuae in Anatomicis induſtriae dederant, munus dictum collatum eſt, ſed Ottoni Heurnio (*d*). Tertio Julii 1621. Medicinae Doctor dictus, ſtatim innito cum Reynero Bontio conſilio, annuentibus & approbantibus Academiae Curatoribus, in locum Bontii, qui, Principis MAURITII medicus dictus, operi Academico vacare non poterat, publicas in Medicina Praelectio-

pendent drachmas duas, ſeptem ergo explent drachmas quatuordecim. Alma Acad. Leid. pag. 138. Conf. Vita J. Heurnii praefixa Ipſius operibus, cum praefatione Paawii editis. De calculis hiſce, quos adhuc adſervamus, in Sectione Sexta hujus Muſei dicetur.

(*y*) In hac provincia adquirenda adverſarium habuit Bontium, & plurimos in Academia nactus eſt inimicos, qui eum opprimere conati ſunt, ut teſtatur Barlaeus epiſtola, qua eum commendat Corn. van der Myle, Academiae Curatori, ut virum doctum, prudentem, modeſtum, moribus facilem, rogatque, ut cauſam ejus agat apud Principem Arauſionenſem in adipiscendo ſummo Academiae Magiſtratu, qui, licet per triginta annos Profeſſoris munus obiiſſet, nunquam in eum collatus erat. C. Burmanni Trajectum Eruditum pag. 142. Pacot Memoires pour ſervir a l'Hiſtoire des dix ſept Provinces des Pays-Bas. &c. Tom. 3. pag. 161. Eo honore tamen poſtea annis 1641. 1648. functus eſt. Orlers lib. cit. pag. 210. Soermans Academisch Register. pag. 27.

(*z*) Orlers lib. cit. pag. 210.

(*a*) Pacot. lib. cit. Tom. 3. pag. 162.

(*b*) Orlers lib. cit. pag. 210. 351. Boxhornii Oratio Funebris in obitum Viri Clar. A. Falcoburgii Orat. var. argum. pag. 329.

(*c*) Orlers lib. cit. pag. 349. Boxhorn loc. cit.

(*d*) Memorantur tres illi, van Valkenburg, Hubertus Bylius, & Henricus Florentius, quibus dictum in finem conceſſus erat non tantum huic operi deſtinatus locus, ſed & uſus inſtrumentorum, die 27. Nov. 1617. inter primos in Medicina Lectores. Soermans Academisch Register pag. 97. Fabricii Oratio pag. (10.)

ctiones habuit (*e*). Biennio autem elapſo, mortuo Bontio, cum Adolphum Vorſtium hujus in locum Profeſſorem Medicinae dixiſſent, Adrianum Falcoburgium 10. Febr. 1624. extraordinarium Profeſſorem Chirurgiae conſtituerunt, eodemque tempore viro Clar. Heurnio adjunxerunt, ut hyemali tempore cum eo diſſectiones anatomicas inſtitueret; ac denique ſexennio elapſo 7. Febr. 1630. inter ordinarios Profeſſores, titulo Profeſſoris Chirurgiae relatus, & Anatomen & Chirurgiam ſtudio & labore indefeſſo ad ultimum vitae terminum, qui in annum 1650. incidit, tradidit.

Eodem, quo fatis ceſſerat Falcoburgius, anno Anatomicum munus extraordinarium demandatum eſt JOHANNI VAN HORNE, Amſtelaedami ad finem anni 1621. nato, Patre Jacobo van Horne, Societatis Indiae Orientalis Moderatore (*f*). Hic humaniores litteras & Philoſophiam edoctus, ad Jurisprudentiam, Parentis impulſu, animum appulerat, ſed, dum publicam Anatomen acrioribus oculis erat intuitus, ac mirificam corporis humani fabricam fuerat contemplatus, tantam in admirationem humanae ſtructurae rapiebatur, ut ingenti deſiderio ſit incenſus, aliud atque aliud cadaver accuratius inſpiciendi. Huic ut indulgere poſſet, Juris ſtudium abjecit, atque Medicinam amplexus, Anatomen nunquam remiſſo labore excolens, illorum, qui hanc Academiam Anatomicae rei peritia tunc commendabant, ſic uſus eſt opera, ut tantorum virorum praecepta non tantum primis labris guſtaret, ſed eorum etiam dexteritatem feliciſſime aemularetur. Hoc ſtudiorum curriculo hac in Academia ſtrenue decurſo, Ultrajectum ſe contulit, ibique lectionum publicarum ſtudioſiſſimum ſeſe praebuit. Illinc in Italiam profectus, ex ore & diſciplina pependit Medicorum, quos illa tunc Regio celeberrimos tulit; imprimis vero Veſlingium audivit, excellentem in Anatome ducem, a quo etiam laurea Apollinari decoratus eſt. Venetiis dein practicis uſus eſt expertiſſimis, quo frequens ſibi pateret ad infirmos ingreſſus, ac ſibi tutam ad medicinam, ſuo marte deinceps exercendam, pararet viam. In Venetorum caſtra, ad Padum fluvium conſtituta, ſeſe recepit, ſed, militaris vitae pertaeſus, Neapolin tetendit, ubi denuo Medicinae praxi totus inhaeſit. Neapoli discedens Siciliam Melitamque inſulas trajecit, illincque retrorſum Veneta littora relegit; porro Longobardiam, ducatum Mediolanenſem, atque Helvetiam peragravit. Plurimos menſes cum Baſileae tranſegiſſet disputationi medicae tam acris tamque doctus praefuit, ut clariſſimorum Baſileënſium Medicorum ordo talem ac tantum, honorifico diplomate, ſibi Doctorem adoptaverit. Monspelium perrexit, iter per Gallias, per Angliam, confecit, tandemque exacto integro peregrinationis ſexennio, in Patriam rediit. Vix reduci Illuſtriſſimi Academiae Curatores, Urbisque Conſules, vacantem cathedram, mortuo Falcoburgio, titulo Profeſſoris extraordinarii, anno 1651. demandarunt, &, quum biennio exacto Anatomes & Chirurgiae Profeſſor Amſtelaedamum evocaretur, Chirurgici & Anatomici Profeſſoris Ordinarii hac

in

(*e*) Soermans loc. cit. Orlers lib. cit. pag. 351.

(*f*) Wagenaar beſchryving van Amſterdam. III. Deel pag. 231.

in Academia ſpartam nactus eſt, munusque Amſtelaedamenſe detrectavit (*g*); illam vero per quatuor luſtra ita adornavit, tantoque cum applauſu & corporis humani fabricam demonſtravit, & chirurgicos morbos explicuit, & praxin exercuit, ut praematura morte 5. Jan. 1670. (*h*) ſibi ereptum, nondum quadraginta & novem annos natum, graviſſime luxerit Academia (*i*), cujus in Schola enutritos viderat ſummos Anatomicos, Ruiſchium (*k*), Swammerdamium (*l*). Idem fuit ſenſus orbis litterati, deſiderantis (*m*) auctorem, praeclaris ſcriptis (*n*) celeberrimum, quibus varia obſervata Anatomica, & in his novum ductum chyliferum, deſcripſit, cujus inventum ſibi tribuebat (*o*), quem ſaltem inter primos, ſi non primus, in homine oſtendit (*p*).

Qui Hornio parentavit CAROLUS DRELINCURTIUS, Medicinae Profeſſor ordinarius, eodem anno 1670. in Ipſius locum etiam ſucceſſit. Natus eſt Lutetiae Pariſiorum primo Februarii anni 1633. Patre Carolo, inſigni & vere Chriſtiano Theologo. Pronum ſponte naturae & promtum ad pulcherrima quaeque gnatum praeceptis & exemplo urgebat Pater, atque a teneris formabat unguiculis, praeclaros ſimul docendi Magiſtros adhibens, quo acutiſſimam a natura aciem mentis expoliret, ornaretque omnibus rebus, quae ingenii felicitatem perficere poſſent. Paternis conſiliis, ſuo impetu, fratrumque binorum natu majorum exemplo, mentem imbuit iis, quae in Oratore Chriſtiano, optimus ut laudetur, ſunt neceſſaria.

Quum vero, haec omni cura agitans & proſequens, morbo obnoxium haberet & valetudinarium corpus, circumſpicere incepit remedia huic curando apta, & de ſtudio medico cogitare, hactenus tantum, ſibi ut conſuleret, neque adhuc animum inducens, ut aliis medicinam faceret. Placuit autem Ipſi hoc ſtudium tali modo, ut ſe totum ei conſecraverit, &, fabricam corporis humani accuratiſſime cognitam eſſe debere medico perſpiciens, ſub Riolano contemplationibus Anatomicis ſeſe dederit, & ipſe aſſidua exercitatione artis in cadaveribus incidendis ſemet occupaverit, antiquos

(*g*) Non itaque Hornio, ab itineribus reverſo, (ut male habent J. F. Foppens in Bibliotheca Belgica Tom. 2. pag. 662. & Wagenaar beſchryving van Amſterdam. III. Deel pag. 231.) munus Profeſſoris Anatomes & Chirurgiae in illuſtri Athenaeo Amſtelaedamenſi oblatum eſt, ſed ille, jam Profeſſor extraordinarius in noſtra Academia, ut illud ſuſciperet munus, Amſtelaedamum eſt vocatus.

(*h*) Acta Facultatis Medicae Vol. I. pag. 139. MS.

(*i*) Conringii Introductio in univerſam artem medicam. pag. 156.

(*k*) Schreber Hiſtoria vitae & meritorum F. Ruiſchii. pag. 2.

(*l*) Swammerdam in notis ad prodromum Hornii pag. 37. ipſe fatetur, ſe perfectionem omnium ſuorum conatuum Clar. van Horne debere.

(*m*) Conf. Drelincurtii Oratio in Obitum Clar. van Horne. Opuſc. pag. 169. ſeq. & J. G. Pauli Praefatio in J. van Horne Opuſcula Anatomica & Chirurgica.

(*n*) Mercklini Lindenius renovatus pag. 609. Haller Bibliotheca Anatomica Tom. I. pag. 432. Portal Hiſtoire de l'Anatomie & de la Chirurgie Tom. 3. pag. 16. ſeq.

(*o*) Opuſcula Anatom. Chir. pag. 73. & 74.

(*p*) Goelicke Introductio in Hiſtoriam litterariam Anatomes pag. 291.

quos recentioresque ſcriptores etiam aſſidue evolvens. Anatomes tunc conſtruxit ſyntaxin, quam dum ſermone elegantiſſimo, demonſtratione exquiſitiſſima, poſtea publice oſtendebat, aures, animos, oculos, omnium in ſe convertit. Anno 1650. Sept. 24. Salmurii Magiſter artium liberalium atque Philoſophiae Doctor creatus, dein 28. Auguſti 1654. Monſpelienſi in Academia, ſumma cum ſolemnitate, medicae ſapientiae titulis publice decoratus fuit. Medicinae exercendae cum ſe traderet inhaeſit tamen perpetuo Anatomicis ſtudiis. Inclaruit autem adeo Viri fama, ut Celſiſſimus Turennae Princeps illum ſibi Medicum domeſticum elegerit, quin & ſtatim exercitui ſuo in Flandria, cunctisque Noſocomiis, Rex Galliarum eundem praefecerit; quod ille munus annis 1656. 1657. 1658. tanta cum laude obivit, ut lautiſſima ſuper hiſce rebus praeclare geſtis Principis manu teſtimonia Ipſi data ſint; ac Archiatrorum comes Vallot perfunctum feliciter hoc munere Regiis in Gallia Medicis inſcripſerit. Integro ille decennio deinceps Pariſiis egit, ſtudendo atque artem exercendo ut aſſiduus, ita clarus; donec vir ampliſſimus Conradus van Beuningen, Reipublicae noſtrae ad LUDOVICUM XIV. Legatus, Academiae hujus Curator, cognitum ſibi Drelincurtium in hanc Academiam anno 1668. vocandum curaret, ut Medicinam, titulo Profeſſoris Ordinarii, doceret publice & privatim. Biennio vero poſtea, mortuo Hornio, Anatomen docendi & demonſtrandi munus addiderunt Curatores: & hanc utramque ſpartam ita quidem ornavit, ut nihil poſſet ſupra. Anatomica enim ſic excoluit, ſic docuit, ut res ipſas, in corpore humano prius perſpectas, repetito dein ſucceſſuum concentu penitus firmatas, conferret ſemper cum iis, quae Veteres Recentioresve ſuper his commentati fuerant, ut & apertam rem coram oſtenderet, deſcriberetque, atque ſimul ſuam cuique inventori tribueret laudem. Ac tantum abfuit, ut ullum unquam ſuper his Auctorem negligeret, ut potius anxia ſollicitudine eorum ſcripta conſuleret, & intenta cura excuteret. In medicis ſancte ſe & ſapienter geſſit, quippe veram & maſculam Graecorum disciplinam ſequutus, nil dans temeritati, nil negligentiae. Tanta & inde Viri in arte fama, ut Celſiſſimus Arauſionenſis Princeps GUILIELMUS III., magnae Britanniae Rex, Drelincurtium ſibi, & Reginae MARIAE, medicum in difficilioribus voluerit; ipſumque, ſi ſplendidior forte Perſona graviore cum morbo conflictaretur, ſemper conſuluerit. Ita tandem immoriens ſtudiis, variisque ſcriptis clarus (*q*), ter, annis 1679. 1688. & 1694. Rectoratus munere functus (*r*), annis & diuturno morbo confectus, trigeſimo primo Maji, anno 1697. mortuus eſt, ſexaginta quatuor annos & quatuor menſes natus.

Non tamen ad vitae terminum usque Anatomen tractavit Drelincurtius, ſed ſenescenti, & oculorum aegritudine laboranti, ex Ipſius voto, adjunctus eſt ANTONIUS

(*q*) Conf. Haller Bibliotheca Anatomica. Tom. I. pag. 510. Portal Hiſtoire de l'Anatom. & de la Chir. Tom. III. pag. 201. Opuſcula ipſius quotquot reperiri potuerunt, omnia junctim edita ſunt Hagae Comitum 1727. 4to. Praefatus eſt Ipſius discipulus Celeb. Boerhaavius, qui & vitam deſcripſit.

(*r*) Acta Senatus Academici. MS.

NIUS NUCKIUS, Harderovicenſis; qui noſtra in Academia ſtudio medico talem operam navavit, ut 13. Julii 1676. a Facultate Medica examinatus, uno conſenſu, non ſolum admiſſus ſit ad Disputationem publicam, ſed & honores ſolemnes, more Majorum, ipſi ſint oblati; die vero 2. Febr. 1677. publice defenſa diſſertatione de diabete, voto omnium digniſſimus renuntiatus ſit, qui in numerum Medicorum adſcriberetur (*s*). Ab eo tempore Medicinam & Anatomen Hagae Comitum exercuit: in hanc vero Academiam 23. Auguſti 1687., vocatus eſt. Vir hic ſolertiſſimus, in replendis vaſis lymphaticis merito peritiſſimus, & acque dexter, ac alii in ſanguiferis, dicitur. Optime de his meritus ea per totum corpus poſt Rudbeckium primus perſecutus eſt; &, omnia lymphatica vaſa per ligneos aſſeres diſpoſita centies apud eum ſe vidiſſe, praedicabat Boerhavius. Solebat egregius artifex quaerere aliquod vas lymphaticum minimum, punctim infigere tubulum ferreum, per eum infundere mercurium, in naturam fixam coactum, admiſto ſtanno vel plumbo ut conſiſteret (*t*). Multiplici enim experientia & variis partium praeparationibus eo devenerat, ut integrum lymphaticorum ſyſtema in homine a capite ad calcem compoſuerit, demonſtraverit non tantum, ſed & in partibus variis, in artubus ipſis, deineaverit (*u*). Mirum itaque videri debet, quod haec Anatomes pars, poſtea non rite exculta, imo ferme penitus neglecta, noſtris demum temporibus ad ſummum faſtigium pervenerit, mirum, hodiernos eam hac in parte gloriam ſummo viro denegare, quae ipſi adeo juſto titulo competit. Non autem tantum in hac Anatomes parte excelluit, ſed, teſte Dolaeo (*v*), verſatiſſimus hicce Anatomicus, habita inaugurali oratione, mox collegium Anatomicum incepit, & per experimenta circulationem ſanguinis, venarum, ductus thoracici, & cordis valvulas accurate demonſtravit. In praeparatione partium corporis adeo diligens adeo accuratus erat, ut vix ulla detur, quam non, vario modo praeparatam, ſtatim potuerit exhibere; magnum etenim cadaverum numerum ſecuit, & hac ſua induſtria indefeſſa multa detexit, varia aliorum inventa illuſtravit, ſcriptisque diverſis cum erudito orbe communicavit, quibus ſuam in chirurgicis peritiam etiam abunde probavit (*w*). Praeſtitiſſet vero longe plura, & lymphaticorum vaſorum hiſtoriam ſine dubio perfeciſſet (*x*), niſi praematura mors ipſum 9. Aug. 1692. occupaſſet. Omnibus autem, quae praeſtitit, tantam ſibi comparaverat famam, ut eodem, quo vivere deſiit, anno Illuſtriſſimi Friſiae Procres idoneum ſucceſſorem Philippo Matthaeo jüniori ſurrogaturi, Nuckium Leidâ evocaverint, ut Anatomen & Chirurgiam in Academia Franequerena doceret (*y*). Va-

(*s*) Acta Facultatis Medicae Vol. I. pag. 210. 214. MS.

(*t*) H. Boerhaave Praelectiones in ſuas Inſtitutiones medicas cum notis Halleri. Tom. 1. pag. 576.

(*u*) Conf. Ipſius Adenographia pag. 148. & Figura, titulo praefixa.

(*v*) Epiſtola ad Walſchmidium in App. ad Ipſius Opera omnia pag. 33.

(*w*) Conf. Haller Bibliotheca Anatomica Tom. 1. pag. 684. Portal Hiſt. de l'Anat. & de la Chir. Tom. 4. pag. 57. Goelicke Hiſt. Litt. Anatom. pag. 367.

(*x*) Cl. Haaſe de vaſis cutis & inteſtinorum abſorbentibus. pag. 1.

(*y*) Act. Illuſt. delegat. Ordin. 17. Maji 1691. & 8. Jan. 1692. Vriemoet Athenae Friſiacae. pag. 699.

Vacans cathedra GODEFRIDO BIDLOO demandata eſt. Hic Amſtelaedami 21. Martii 1649. (*z*) natus Patre Godefrido, matre Maria Lamberts Feliers, ibidem, poſtquam ſtudia expleviſſet, ad annum 1688. Medicinam exercuit, eo autem anno Hagam Comitum vocatus eſt, ut Anatomen & Chirurgiam traderet. Favore Celſiſſimi Principis, GUILIELMI III., die 20. Julii 1690. a Praepotentibus Foederati Belgii Ordinibus novo honoris titulo ornabatur, ejusque fidëi atque peritiae committebatur cura primaria Noſocomiorum publicorum militarium, & nuncupabatur Superintendent-Generaal van alle Doctoren, Apothecars, en Chirurgyns van Nederlandsch Hospitaalen en Ziekhuyzen der Militie. Eademque cura non ita diu poſt, die 14. Maji anni 1692. in Anglia ei credebatur ab eodem GUILIELMO III., tum Britanniarum Rege, qui, quo loco Bidlooum haberet, non tantum demonſtrabat vocando eum ad Profeſſionem Medicinae & Anatomes in Academia Lugduno-Batava die 1. Febr. 1694., quam provinciam in ſe ſuſcepit, habita Oratione de Antiquitate Anatomes, & poſt paucos menſes, 8. Dec. ipſum Profeſſorem Collegii practico-medici, dicendo, ſed imprimis eligendo illum Sibi Archiatrum, die 22. Oct. 1701. Hoc autem munus ea lege in ſe ſuſcepit, ut locus, quem in Academia occupabat, non judicaretur vacuus. Ab eo tamen tempore in Angliam conceſſit (*a*), & 18. Aprilis 1702. Regi moribundo etiam adfuit (*b*). Rectoratus munere functus eſt anno 1696., eodemque anno, 29. Junii, poſt conſenſum Regium, accedente Autoritate Illuſtriſſimorum Academiae Curatorum & Ampliſſimorum Urbis Conſulum, orationem habuit; de invictiſſimo Britanniarum Rege, GUILIELMO III. incolumi, ſeu miraculoſe ſubducto nuperae perditiſſimorum hominum conjuratióni (*c*). Februarii primo 1702. Actuarius Senatus Academici dictus eſt, quum autem tunc aberat, ab actuariis praecedentium annorum per menſes munus illud fuiſſe adminiſtratum, lego. (*d*). Reverſus, ſuo officio functus eſt ad annum 1713.; quo 30. Aprilis obiit. Fuiſſe illum eruditum Anatomicum & Chirurgum, docet Ipſius Anatomia corporis humani centum & quinque tabulis, per artificioſiſſimum G. de Laireſſe ad vivum delineatis, demonſtrata; docent Opuſcula varia, ſeorſim edita, dein uno volumine collecta; quamvis in ipſius ſplendido opere, de quo inter ipſum & Cowperum, qui easdem tabulas in lucem emiſit, omnibus notiſſima lis exorta eſt (*e*), nonnullae figurae plus ſpeciëi & ſplendoris, quam veritatis, habere non immerito dicantur (*f*).

Uxo-

(*z*) Wagenaar beſchryving van Amſterdam. III. Deel. pag. 237. Non 12. Martii, ut male habet juxta Niceron Mem. des hommes illuſtres Tom. 7. pag. 125. Chaufepied Nouveau Diction. Hiſtorique & Critique. Tom. 2. pag. 296. Moreri le grand Dictionnaire Hiſtorique. Tom. 2. pag. 274. Luïſcius algemeen Hiſtorisch, Geographisch, en Genealogisch Woordenboek. II. Deel. pag. 357. Matthiae conſpectus Medicorum Chronologicus. pag. 772.

(*a*) Wagenaar lib. cit. III. Deel. pag. 237.

(*b*) Wagenaar Vaderlandſche Hiſtorie XVII. Deel. pag. 106.

(*c*) Acta Senatus Academici. Vol. 12. pag. 119. MS.

(*d*) Acta eadem ad illum annum.

(*e*) Conf. G. Cowper criminis litterarii citatus coram tribunali Societatis Britanno-Regiae.

(*f*) Haller Bibliotheca Anatomica. Tom. I. pag. 692. Portal Hiſtoire de l'Anat. & de la Chir. Tom. 4. pag. 48. Schelhammer in Addit. ad Conringii Introductionem. Cap. 4. §. 13. pag. 178. Goelicke Hiſt. Litter. Anatomes. pag. 357.

Uxorem duxerat Henderinam Kistkes (*g*), ex eaque reliquit Godefridum, Juris Utriusque Doctorem, Collegii ſupremi Militaris Foederati Belgii Fiſcum (*h*).

Hactenus vitas atque merita eorum omnium, qui a condita Academia ad principium hujus ſeculi Anatomen docuerunt, breviter deſcripſi. Qui autem poſt mortem Bidloi hanc provinciam in ſe ſuſceperunt, tanto magis videntur celebrandi, quod, quae pararunt & collegerunt, anatomica praeparata, a nobis hoc libro deſcribenda, maximum ſplendorem & ornamentum Theatro Anatomico conciliarunt, atque effecerunt, ut, ſi non alia omnia, quae exſtant, ſuperet publica Theatra, pauca ſaltem, quae cum eo comparavi queant, reperiantur; intelligo viros celeberrimos Rauium atque Albinum, quorum poſterior per dimidium ſeculum Academiae noſtrae famam per totam Europam ſparſit, cujusque, utpote, una cum Fratre, ſtudiorum meorum ducis, praeceptoris, fautoris, manes ſumma proſequor veneratione.

Ante RAUII quidem tempora, imo ab ipſis Theatri incunabulis, diverſi generis praeparata Anatomica, animalia, aliaeque res ad Hiſtoriam naturalem pertinentes, ante cognitas Indias, noſtra in Regione, ignotae, varia etiam artefacta, collecta & adſervata fuerunt, multique Peregrinatores ex diſſitis habitati Orbis regionibus redeuntes, rariora varii generis adtulerunt, Theatro Anatomico dicarunt, & hoc modo curioſorum, undique allectorum, oculis ſubjecerunt, ex quibus certe nominandi ſunt Viri illuſtriſſimi, David Le Leu de Wilhem, Principis & curiae Brabantinae Conſiliarius, Adrianus Pauw, Academiae Curator, Joh. Bapt. Bartolotti, qui mumias, aliaque, non uno nomine notatu digna, dono dederunt, in hunc usque diem adſervata non tantum, ſed inſcriptionibus, quibus propenſus eorum in Academiam celebratur animus, ornata. Verum quod attinet ad praeparata Anatomica, ſolitum tantummodo ſuit eorum, qui a politico vel militari Magiſtratu morte erant puniti, & in Theatro diſſecti, oſſa vel ſoluta, vel ſuis ligamentis adhuc cohaerentia, vel arte iterum nexa & compoſita, pelles, partesque alias, ſiccatas, aut ſine praeparatione idonea liquori immiſſas, adſervare, iisque theatrum adornare; donec circa medium ferme praecedentis ſeculi Vir Illuſtriſſimus, Ludovicus de Bils, Dominus in Coppensdamme, Bonen &c. Urbis atque Territorii Ardenburgici Praetor, varia, eaque pro illo tempore egregia, ſingulari arte facta & a corruptione aſſervata, praeparata Anatomica, & bene multa diverſorum animalium ſceleta, Theatro dono dederit, tanti ſplendoris, tantae utilitatis viſa, ut Anatomes eo tempore Profeſſor, Joannes van Horne, neceſſarium duxe-

(*g*) J. Antonides van der Goes Gedichten. pag. 109.

(*h*) Luïſcius Algemeen Hiſtorisch, Geographisch en Genealogisch Woordenboek. II. Deel. pag. 737. J. Kok Vaderlandsch Woordenboek VI. Deel. pag. 545. Nicolaum Bidloum, Medicinae Doctorem, Archiatrum Petri Magni, Ruſſorum Imperatoris, Profeſſorem Medicinae, ac Inſpectorem Noſocomii & Academiae Moscovienſis, filium noſtri dicunt; recte autem Niceron Mem. Tom. X. part. 2. pag. 233. Chaufepied Nouveau Dictionnaire Hiſtorique & Critique. Tom. I. pag. 297. monent, hunc Nicolaum filium fuiſſe Lamberti Bidloi, fratris noſtri Profeſſoris; Diſſertationem enim ſuam, de menſtruorum ſuppreſſione, 17. Jan. 1697. publice defenſam, ut gradum Doctoris Medicinae capeſſeret, dedicavit Godefrido Bidloo, Patruo & Promotori, tunc temporis Rectori Magnifico, & patri Lamberto, Collegii Medici Amſtelaedamenſis membro.

duxerit, atteſtatione, ligneae tabulae inſcripta, qua arma Donatoris ejusque familiae etiam depicta ſunt, doctiſſimi Viri benevolentiam oblivioni eripere.

Pleraque vero haec, ut fieri ſolet, temporis lapſu corrupta, magis minusve deſtructa, ad annum 1771. fuere adſervata, & vix amplius Curioſorum oculos alexiſſent, niſi eodem loco etiam fuiſſet depoſita Supellex Anatomica, quam Rauius Academiae noſtrae legavit, ut, ſub auſpicio Facultatis Medicae, in Theatro Anatomico adſervaretur. Quum vero anno, quem dixi, Theſaurus Anatomicus Albinianus, per totum orbem celebratiſſimus, ab Illuſtriſſimis Academiae Curatoribus, Urbisque Conſulibus Ampliſſimis, publice magno quidem, ſed pro dignitate rei ſatis ſalubri, pretio coëmiſſent, Ipſis etiam viſum, rejicere cuncta, quae vel plane corrupta, vel nullius prorſus utilitatis, comptiori huic ſeculo minus accommodata eſſent, ſicque totum Theatrum renovatum, pulchrius, nitidius, redditum eſt. Accepit praeterea ab eo tempore incrementa inſignia, collectionem praeparatorum pathologicorum, & totam ſupellectilem anatomicam, quam in Academia Groningana ſuos in uſus paraverat Clar. van Doeveren, quam, ſi ad praeparata ſicca, ſitum relativum variarum partium egregie exhibentia, ſi ad ea, quae ad generationis negotium, ad monſtra, pertinent, adtendimus, merito laudandam, poſt mortem hujus noſtri honoratiſſimi Collegae, pariter, ſoluto pretio, ſuam fecerunt Academiae Gubernatores.

Sed neceſſe jam eſt, ut Rauii, cujus Supellectilem Anatomicam primo loco deſcripturus ſum, vitam & merita enarrem. Hoc vero melius exſequi omnino non poſſe mihi videor, quam exſcribendo eam, quam indici illius Supellectilis praefixit Discipulus, idemque Succeſſor, Bernardus Siegfried Albinus, cujus Pater Bernhardus Albinus ipſi die 29. Septembris 1719. parentavit.

JOHANNES JACOBUS RAU, Badenſis, ejus oppiduli, quod in Circulo Suevico eſt, Patre Johanne Rau, vini mercaturam faciente, Matre Magdalena Muller, natus eſt anno 1668. Hic ineunte adoleſcentia, ob tenues parentum facultates, non ita ab iis educatus ac inſtitutus eſt, ut ſperare de eo potuiſſent, talem futurum, qualem nos cognovimus. Accepimus enim, patrem eum anno aetatis ſuae quarto & decimo Argentoratum in Chirurgi officinam ablegaſſe, ut opere chirurgico faciundo ſeſe exerceret. Cum exegiſſet ibi triennium, in patria ſua non valuit diutius manere, ſed ut ipſe ſibi, ſatis jam inſtructus, pararet ea, quae ad victum ſuppeditent, à parentibus plane dimiſſus, & exiguo itineris vitaeque ſubſidio munitus, longe atque late incepit vagari. Poſtquam igitur Germaniae partem aliquam pererraſſet, tandem Hamburgum venit: ibi navem forte conſcendit, eaque advectus eſt in Norwegiam; ubi Bergae, celebri emporio, Chirurgo Frauen dicto ſervivit. Ejus autem loci vim frigoris quum difficilius ſuſtineret, mox inde navi iterum profectus, Amſtelaedamum ſe contulit: erat enim tunc temporis, ut hodie, inter duo haec emporia, propter mercaturam, frequens admodum navigatio. Amſtelaedami primo in nave bellica Comitis à Benthem Chirurgi locum obtinuit; eaque Hispanias, aliosque portus acceſſit. Ex quo itinere cum in Belgium rediiſſet, accidit, ut GUI-

LIEL-

LIELMUS Princeps Auriacus classe in Britanniam navigare vellet. Cujus navium uni praeërat Schey, vice Archithalassus. Ei tunc navi chirurgus quoque datus est; & dictae expeditioni interfuit. Sic igitur hactenus erravit incertus, & fere in contubernio sordidissimorum hominum. Quae vero duro hoc vitae genere & cum periculo acquisierat, conservaverat parsimonia. Quod utrum insita quadam frugalitate fecerit, erat enim ad rem paullo attentior; an quod jam meditatus secum fuerit iis aliquando uti ad ornandum se augendumque doctrina, difficile est judicare. De eo constat, quod in Hollandiam reversus, facta re, ad bonarum artium omnisque doctrinae sedem Leidam nostram accesserit, ibique studiis, medicis praesertim, operam navaverit. Hic cum animum doctrina satis excoluisset, dein Lutetias Parisiorum se contulit, ut in Anatomicis & Chirurgicis porro se exerceret, quibus maxime studebat. Parisiis Anatomes studio apud optimos magistros operam non modo dedit, sed ipse etiam demortuorum corpora diligenter incidit. Praeceptorem ibi in Anatomicis praesertim habuit fama jam tunc celebrem Josephum du Verney, cujus demonstrationibus interfuit: tum & apud Meryum nervorum per corpus humanum distributionem vidit. In Chirurgicis quoque, praeterquam quod luxatos articulos restituere à Mishevio didicerit, praeterea praestantissimos & veteranos Chirurgos comitatus, artem eos suam in vivis exercentes saepe vidit. Fuerunt autem illi Petit, tunc octuagenarius, Mareschall, Roumart, aliique. Parisiis rediit Leidam, anno 1694., ubi 23. mensis Martii in civium Academicorum numerum iterum receptus, paullo post, 9. Maji, dissertationem elegantem, de ortu & regeneratione dentium, publice pro gradu Doctoratus defendit, & à Clarissimo Carolo Drelincurtio, Doctor Medicinae creatus est. Tunc vero, vitae istius erraticae & vagae pertaesus, Amstelaedamum sibi sedem stabilem certamque delegit, ubi & Anatomen alios docendo, & Medicinam, eam inprimis, quae manuum opera curat, exercendo sua se sustentaret industria. Anno (*i*) igitur 1695. ibi domi suae prima ingenii & dexteritatis experimenta in Anatomicis dedit, cerebri & organorum sensuum corporeorum quinque in cadaveribus humanis demonstrationibus. Dein sequenti hyeme organa soni, vocis & loquelae, eodem modo exhibuit. Nec diu latuit. Immo eodem adhuc anno 1696. in publicum & celebre theatrum eum produxerunt Nobilissimi & Amplissimi Reipublicae Amstelaedamensis Consules. Quippe cum ex vulgi fama, & insignium urbis Medicorum testimoniis, studium peritiamque ejus intellexissent, dederunt ei cadavera in Theatro suae urbis Anatomico dissecandi potestatem. Itaque insequentibus annis non intra suos parietes modo, sed in eo etiam loco, varias corporis humani partes demonstravit, & chirurgicas quoque operationes in cadaveribus humanis publice magno applausu exercuit; laudante spectantium corona & stimulos addente novos. Praeterea suae in curationibus chirurgicis peritiae & dexteritatis specimina quotidie etiam edebat. Venerat forte Amstelaedamum iisdem temporibus Frater Jacobus de Beaulieu, ut & ibi, quemadmodum fecerat in Galliis, novam suam

(*i*) Vid. Rau resp. ad defens. Ruyschii pro septo scroti, in initio.

ſuam calculoſos ſecandi methodum exerceret. Quod & faciebat, impetrata à Magiſtratu urbano facultate. Iſtis operationibus ejus ſaepius tunc interfuit Rauius, methodum ejus damnans & acerrime etiam impugnans. Quod cum minus benigne interpretarentur Magiſtratus, primo continere ſe debuit: ſed cum mox ipſo eventu deprehenderent, vera eum dixiſſe, ei hanc curam demandarunt. Nec ita multo poſt Nobiliſſimi & Ampliſſimi Reipublicae Leidenſis Conſules ſuae etiam urbis Lithotomum eum conſtituerunt. Iis igitur in omnibus cum non minus dexteritate & peritia ſua quam felicitate adjuvaretur, & unus maxime floreret, factum eſt, ut brevi tempore illuſtraretur. Nam & inquilini & exteri ad eum accedebant, ut Anatomen & Chirurgiam apud eum diſcerent. Ad Chirurgicas operationes in tota Hollandia paſſim adhibebatur; praeſertim ad calculoſorum ſectionem, qua maxime inclareſcebat. Rebus ſic ad voluntatem ejus fluentibus, accidit, ut magna ad gloriam ejus acceſſio facta fuerit. Anno enim 1705. ad Illuſtribus & Ampliſſimis Academiae hujus Curatoribus & Urbis Conſulibus, ad quos fama Viri pervenerat, rogatus eſt, ut Leidam venire, & in Theatro Anatomico Academiae publico demonſtrationes quasdam Anatomicas inſtituere vellet. Eas partes etiam ſuſcepit, atque in maxima ſpectantium, & praeſtantiſſimorum quoque, omnique doctrina ornatiſſimorum hominum corona ita implevit, ut eos non ſpectatores ſolum habuerit, ſed applauſores. Decoratus tandem eſt, quod unum adhuc ſupererat, ſummo & ampliſſimo laborum ſuorum praemio. Nam poſtquam mortuus eſſet Clariſſimus Bidloo, eum ſolum dignum judicarunt Illuſtres Academiae Lugduno-Batavae Curatores & Urbis Conſules, cui Medicinam Anatomen & Chirurgiam in ea docendi provinciam concrederent. Et licet Amſtelaedami cum familiaribus ſuis viveret bene & libere plane, & facile perſpiceret, ſi Leidam ad docendum migraret, à veteri illa conſuetudine, quae naturae vim jam obtinebat, fore recedendum; multaque eſſent alia, quae ſubitam iſtam loci tantamque vitae mutationem diſſuadere viderentur, accepit tamen conditionem. Factum id eſt anno 1713. Venit Leidam maxima omnium ſpe atque exſpectatione: ibique 26. Septembris die dictam Profeſſionem auſpicatus eſt; habita de Methodo Anatomen docendi & diſcendi publica oratione. In eo quoque Ampliſſimo Ordine dein adſecutus eſt ſummum gradum honoris & poteſtatis; geſſitque Rectoratum Academiae anno 1718. Ad Academiam acceſſit ſanus & vegetus; & quamdiu integra valetudine fuit, munere etiam ſuo functus eſt diligenter. Quadriennio circiter ante mortem pedem dextrum gravis lapſus laeſerat; unde oborti dolores lecto eum aliquot hebdomadas addicebant; quibus ſopitis oedema remanebat. Et cum propterea domi ſe quietum diu continere deberet, perturbari incipiebat valetudo ejus, & malum, quod hypochondriacum vocant Medici, oriri. Biennio ante obitum vertigo multa & frequens perquam moleſta eſſe; quae poſt annuum ſpatium in levem apoplexiam terminabatur. Qua ſuperata, aurium tinnitus ei gravis eſſe; febris accedere lenta & diuturna, omni eum nocte affligens, multoque ſudore conſumens. Sic creſcere indies melancholia; ut nec gallorum hominumve cantus, nec campanarum ſonitus, nec alios minimos quosque ſtrepitus ferre poſſet. Tandem, circiter menſem Julium anni

1719.

1719. delirium melancholicum oriri; quod ad ultima graviſſimaque increvit. Donec die 18. menſis Septembris anni ejusdem, dives ſatis, celebris, honoribusque, ultra quam ſperare potuiſſet, ornatus, miſere tamen, diem obierit ſupremum. Sepultus eſt in Templo Leidenſi maximo. Parentavit ei Bernhardus Albinus, Pater meus. Heredes teſtamento fecit Clariſſimum Hermannum Ooſterdyk Schacht, tunc poliatrum & practicum Leidenſem exercitatiſſimum, nunc etiam Medicinae Profeſſorem dignisſimum, & collegam meum conjunctiſſimum, quo familiari & medico inprimis uſus erat; & Plurimum Reverendum Gisbertum Oſtens, Medicinae Doctorem, & Remonſtrantium apud Amſtelaedamenſes Paſtorem optime merentem, amicum veterem ſuum. Fuit autem corpore magno & robuſto, egregiaque & virili plane forma; vultu ſevero & torva nonnihil tuente. Fuit animo generoſo, promto & alacri; totus tamen paullo fervidior atque commotior. Caeterum ingenioſus, laborioſus, & attentus; atque gloriae ſemper cupidiſſimus; quam non arte, ſed aperte palamque meritis ſuis acquirere ſtudebat. Vixit in caelibatu, parce & ſobrie; libere tamen, & cum amicis hilarus. Adulari admodum non poterat, neque ſuſtinere diu ſimulationem. Itaque nemini facile & diu parcere ſolebat; ſed alios reprehendebat, errores evellere conabatur; in multos vehementius quoque invectus; praeſertim ſi quos in ſua arte à vero abeſſe exiſtimaret. Quod eum non tam carpendi aut laedendi libidine feciſſe credimus; quam veritatis aſſerendae & defendendae ſtudio atque impetu quodam; & quod non prorſus abjecte de ſe ſentiret. Quemadmodum etiam non tam vitio vertendum ei eſſe videtur, ut multos facere ſcimus, quod verbis & moribus fuerit aſperior; quam admirandum potius, talem adhuc evaſiſſe, qui vitam tam duram & erraticam, & tam ab omni humanitate & urbanitate remotam, egerit in ea aetate, qua flexibiles hominum animos, ſicut molliſſimam ceram, ad arbitrium fere ſociorum, & ut fors tulerit, formari & fingi novimus. De caetero in Anatomicis & Chirurgicis maxime excelluit. Ad Anatomen diſcendam Scriptorum veterum Anatomicorum & recentiorum frequentem lectionem, vivam docentium vocem & informationem, in diſſectione corporum humanorum & brutorum manuductionem, & frequentem exercitationem requiri, ſcripſit in Oratione. Eam tamen magis ex corporibus ipſis, quam ex libris Auctorumque figuris petendam eſſe, aperte dicere ſolebat. Ad corporis humani fabricam cognoſcendam ipſa hominum corpora adhibenda eſſe; neutiquam vero corpora brutorum: niſi cum obſcura iis forte poſſent illuſtrari. Porro partes omnes, quoad ejus fieri poſſit, recentes eſſe conſiderandas, & ſimpliciter demonſtrandas tales, quales absque ulla mutationis ſuſpicione revera deprehendantur. Ad detegendam latentem earum ſtructuram, artes quidem varias eſſe adhibendas; ſed tales, quae veram conſtructionem nihil quicquam mutatam demonſtrarent. Quapropter recentia corpora humana diligenter inprimis perſcrutari; & canales replere, macerare, diſſolvere, ſeparare, flatu extendere, ſiccare, aliisque ſubſidiis uti ſolebat. Quamquam artes plerasque non valde laudaret & approbaret; immo, quod mutare fere ſoleant, vituperaret: non ſollicitus adeo quam pulchre & nove pars quaclibet arte parari poſſet, ſed quam vere talis in corpore humano exiſteret. Quod

Quod & palam affirmantem ſaepe audivimus, & publice ab eo ſcriptum legimus, in eo praeſertim Opuſculo, quam vocavit Defenſionem. Corpora omnium aetatum ſecuit innumera. Mallei proceſſum longum & gracilem invenit vel reſtituit. Maxillae inferioris capita non in ſinus oſſium ſquamoſorum immitti, ſed tuberculis, quae ante ſinus iſtos ſunt, inniti exiſtimabat: ideoque praeſertim interponi lamellam illam cartilagineam utrimque cavam, ut tubera utrimque excipiat, & inter ſe apte committat. Scroti humani membranam, quam darton vocant, quamque unicam eſſe, utrique teſti communem, ſeptoque diviſam, crediderant Anatomici, gemino ſacculo ad utrumque colis latus uno, unicuique teſti privato involucro, conſtare; & iſtos ſacculos lata ſuperficie ſibi invicem applicari, & leviter connaſci; ac propterea ſeptum ſcroti proprie nullum eſſe, primus eleganter demonſtravit. Caetera, quae forte in Anatomicis vel nova detexit, vel corrigenda cenſuit, una cum eo interciderunt. In Chirurgicis multae ſunt celebres curationes ejus; quarum nonnullas in oratione ipſe recenſet: ex qua unam, inter caeteras inprimis mirabilem, & ut talem ab eo propoſitam, libet tranſcribere. Hiſtoriam inauditam, inquit, haud ita pridem tamen viſam, narrabo. Juveni viginti annos nato inteſtinum ileum per vulnus, ad regionem inferiorem umbilici cultro inflictum, erumpit, propendens extra ventrem, longitudine trium ulnarum noſtratium, ſpatio temporis quatuordecim dierum, aëri longius ſupra ventrem expoſitum, ſuppurationem grandem patiebatur, unde inteſtinorum gyri inter ſe concreti erant, & cum toto muſculorum abdominis vulnere connati; praelucente Anatome, cognita vulneris inflicti natura, feliciter vulneratum curavimus. Celeberrima eſt curatio quam calculoſis adhibuit; quamque ſe in mille quingentis quadraginta ſeptem hominibus peregiſſe in dicta oratione paullo poſt addit; & quam dein etiam ſaepe & ſaepius ad mortem usque ſuam exercuit. Inſtrumenta quaedam Chirurgica multum correxit; ea inprimis, quibus ad calculoſorum curationem uſus eſt: dein & Bartiſchii inſtrumentum, pro auferenda palpebrae ſuperioris relaxatae parte; quo commodius, citius & accuratius, id efficeretur: aliud etiam pro uvula relaxata, ſi opus fuerit, abſcindenda. Praeter Orationem de methodo Anatomen docendi & diſcendi, quam in vulgus exire paſſus eſt, habemus Epiſtolam ejus de Inventoribus ſepti ſcroti, qua id à ſeptem Auctoribus animadverſum fuiſſe, productis eorum verbis probat: dein Reſponſionem ad defenſionem F. Ruyſchii pro ſepto ſcroti; qua praeter ea, quae ſcribit de ſe, & de lite Anatomica, quam cum Clar. Ruyſchio habuit, inſtrumentum Bartiſchii à ſe correctum deſcribit, & novam à ſe detectam ſcroti humani conſtructionem tradit. Atque haec hactenus. Pergamus ad exponendam curationem, quam calculoſis adhibuit.

Quod primo in Hollandia calculoſos curaverit, plane ut Pariſiis didicerat, urethram in perinaeo incidendo, apparatu, ut vocant, magno, certi ſunt graviſſimique teſtes. Conſtat etiam, quod Fratrem Jacobum operantem non ſolum viderit, ſed & quod mortuorum ab operatione ejus corpora aliquoties fuerit perſcrutatus. Deinde autem methodo nova ſua ſemper eſt uſus, qua eumdem, quem Monachus ille, locum incidit. Propoſitum in hac operatione erat, non cervicem veſicae incidere, ut primo

fece.

fecerant, nec urethram, ut eo tempore plerique ſolebant; ſed veſicam ipſam, proxime cervicem ejus, à latere, nonnihil inferiora & poſteriora verſus. Quae quidem veſicae ſectio periculoſior per ſe multum eſſe non poterat, quam vel cervicis, vel urethrae. Et cum ſic urethra & cervix integra manerent, & neque inſtrumenta introducendo & vi magna diducendo, neque etiam calculum, magnum ſaepe & ſcabrum aſperumque, violenter & crudeliter plane extrahendo, viae hae neceſſario anguſtae, partesque tenerrimae, laederentur; & multa, quae haec conſequi fere ſolent, maximaque mala praecaverentur, longe vulgaribus antecellere videbatur. At cum veſicae haec regio non pateat, ſed penitus recondita ſit, perdifficilem quoque habebat acceſſum. Accedere autem inſtrumenta ad eam tantum poterant, ſi aegro ſupino, genubus ejus erectis, femoribus flexis modiceque diductis, cutis ad latus ani incideretur, & dein per eam plagam, oblique interiora & nonnihil ſuperiora verſus, culter ad dictam veſicae regionem adigeretur, & vulneratâ eo veſicâ, porro per factam viam forceps introduceretur, eaque prehenſus calculus extraheretur. Et modo haec recte peragerentur, nulla hic repoſita erat pars adeo princeps, ut magnopere obſtaret. Sed difficilem & periculoſam reddebant hanc operam cum diſcindendorum craſſities magna, tum quoque partium nobilium, & quae laedi nullo modo debebant, vicinitas. Nam ſi Chirurgus vel profundius, quam par ſit, cultrum adigeret, vel & ſcindendo de recta via deflecteret, periculum erat, ne aut veſicae oppoſitum latus quoque pertunderetur, aut rectum inteſtinum ſeminalesque veſiculae laederentur, aut ureter, colis erector, corpus cavernoſum majus, urethra ipſa, graviter vulnerarentur, immo abſcinderentur; aut hujusmodi alia, gravia omnia, fierent. Vulnere etiam facto, cum per id forceps in veſicam intromittenda eſſet, facile erat à via aberrare, forcipemque non in veſicam, ut oporteret, ſed inter partes, juxta quas tranſire deberet, adigere, ibique aperire, diducere, forte etiam ea, quae offenderet, prehendere, trahereque, iisque omnibus non modo irritam facere operationem, ſed & mala plurima patrare. Et haec quoque Fratri Jacobo evenire ſolita fuiſſe legimus & audimus; qui neque fabricam ſitumque harum partium admodum intelligebat, neque certi quidquam habebat, quo cultrum forcipemque dirigeret. Quare tantum abeſt, ut methodum ejus laudemus, ut eam potius magno hominum detrimento, & in perniciem miſerorum factitatam ab eo fuiſſe, palam affirmare non dubitemus. Et ſatius fuiſſet, de ea unquam ne cogitaſſe quidem, niſi optimae inveniendae occaſionem Rauio dediſſet. Hic enim cum fabricam & poſituram earum partium, quae incidendae vel vitandae erant, perſpectiſſima haberet, nihil huic methodo deëſſe animadvertit, quam ut ratio inveniretur, qua inſtrumenta ad eam veſicae regionem recta certoque dirigerentur. Eam etiam invenit & adhibuit feliciſſime. Itaque negari quidem non poteſt, praeviſſe Rauio Fratrem Jacobum; hoc tamen ei hodieque & ſemper eſſe debet laudi maximaeque gloriae, quod peritia, ingenio, & induſtria ſua id addiderit, quo ſolo curatio, caeteroquin incerta, periculoſa, & plerumque pernicioſa, reddita eſt certa, tutior, & caeteris forte melior & praeſtabilior. Addidit autem catheterem, ut vocant, qui gibba ſui parte ſulcum profunde infis-

infiſſum haberet: quem per urinae iter in veſicam demitteret, & ad veſicae locum, qui incidendus erat, gibbo ſuo apprimeret; ut eum extrinſecus deprehendere, è regione ejus plagam cuti infligere, verſus eum cultrum porro dirigere, ſupra eum veſicam certo incidere, inſtrumentaque pro forcipe tuto rectaque dirigenda immittere poſſet; plane ut apparatu magno fieri ſolet. Sed cum vulgares catheteres, quibus, qui urethram in perinaeo incidunt, utuntur, plerumque leviter tantum curvati, iſti veſicae loco apprimi facile non poſſent, novum excogitavit, à vulgaribus diverſum, primo quod ibi, ubi rectus eſſe deſinit, ad ſulci ſui principium, curvaturam paullo majorem habeat; deinde quod ad curvaturae iſtius extremum roſtrum rectius ſit & longius, ut cultrum ſupra id commode verſus poſteriora hinc & inde ducere, & amplam ſatis plagam veſicae infligere poſſet. Videturque quod ipſa earum partium in corporibus humanis contemplatio, collata cum iis, quae in operatione agenda erant, haec ei ſuppeditaverint. In curatione autem aegrum collocabat, ligabat, teneri jubebat, eo fere modo, quo ſolent, qui urethram in perinaeo incidunt: niſi quod ſupinum menſae non admodum altae ita imponeret, ut dorſum ejus depreſſius, nates vero elatiores eſſent; ut nempe locus incidendus eo magis pateret. Ipſe deinde ante aegrum dextro genu ad terram demiſſo innitebatur, cum interim ſiniſtra tibia erecta & cum femore angulum acutiorem faciens corpus magis ſuſtineret. Tum ſiniſtra manu cole prehenſo, dextra catheterem ſuum per urethram in veſicam ex arte demittebat. Hinc catheteris manubrium ſiniſtrae digitis & pollice prehenſum leniter & prudenter verſus aegri ventrem dextrumque inguen inclinabat; ut catheteris curvatura ſulcata, in veſica prope cervicem ejus haerens, applicaretur ad veſicae locum incidendum, ad latus ſiniſtrum, & uti dictum eſt in principio, proxime cervicem, nonnihil inferiora & poſteriora verſus. Quo facto, catheterem leniter ad eum locum apprimebat, eodemque tempore dextrae pollicem extrinſecus admovebat ad mollem natium regionem, quae ad ſiniſtram ani eſt, inter eum & oſſis iſchii tuber magnum quod ſedentem ſuſtinet, è regione curvaturae catheteris. Tumque catheterem pollicem dextrum verſus leniter impellendo, & viciſſim eodem tempore pollicem dextrum catheterem verſus à ſiniſtris & inferioribus dextrorſum ſurſumque premendo, extrinſecus inveniebat & notabat locum, qui curvaturae catheteris oppoſitus eſſet, cui nempe plaga primo erat infligenda. Is igitur erat ad latus ani ſiniſtrum, pollicem vel digitos transverſos duos circiter ab eo verſus tuber oſſis iſchii remotus. Non propior ano, ne rectum inteſtinum facile lacderetur; nec ab eo remotior, ne cultrum nimis oblique catheterem verſus adigere neceſſum foret. Tamen pro aetate, proceritate, & varia harum partium in multis conſtructione & amplitudine, modo propius anum, modo remotius ab eo, modo altius, modo demiſſius paullo, cutim incidebat; ſemperque locum intus veſicae appreſſa catheteris curvatura ſatis indicabat. Invento loco, ibi primo cutem fere ſolam & pinguedinis pauxillum incidebat, plaga recta, longa ſatis, à ſuperioribus ad inferiora & exteriora, id eſt verſus oſſis iſchii tuber, nonnihil ducta; ut nempe à recto inteſtino recederet. Hanc autem primam plagam faciebat animo non valde ſollicito. Mox in eam plagam adigere ſolebat dextrae pollicem, vel

&

& indicem, ea parte, quae ungui opponitur; catheterem verſus; quem ad locum veſicae incidendum ſiniſtra; quantum poterat; applicatum tenebat; quaerens iterum catheterem. Quo reperto retrahebat pollicem; ſtatim cultri ſui apicem in plagam prudenter, nec alte admodum; immittebat; & verſus catheterem; quem pollice paullo ante exploraverat, caute dirigebat, leviter diſcindens quibus occurrebat. Et ne ſic rectum inteſtinum facile vulneraret, plerumque digitum in anum aegri leniter prius demittebat, ut recti inteſtini poſituram penitus cognoſceret; idque tanto certius vitaret. Cum ſic leviter ſcindendo fere ad veſicam perventum eſſet, iterum in vulnus introtrudebat pollicem indicemve, catheterem ut ante quaerens, eumque, ſi aegri jactatione remotus forte eſſet, reſtituens; ſimulque accurate obſervans & memoria retinens locum poſitionemque curvaturae catheteris, ſupra quam veſica ipſa proxime erat incidenda. Quod facturus circumſpectius agebat; hortabatur & obſecrabat adjutores, ne aegrum ſe clunesque praeſertim ſuas jactare ſinerent; aegrum ut ſe contineret: ipſe catheterem ſiniſtra ad locum incidendum applicatum retinens, dextra confeſtim cultrum per plagam ad catheterem caute admovebat; ita ut ille non ſcinderet, ſed ut mucro ejus ad catheterem recta tenderet. Tunc attente & prudenter operam dabat, ut cultri mucronem in catheteris ſulcum punctim demitteret. Id autem ex ſententia ſucceſſiſſe ſciebat, quam primum cultri mucronem & catheteri inniti, & in latus utrumque leniter motum ſulci parietibus retineri deprehendebat. Tunc igitur cultri mucronem in ſulco catheteris circumſpecte & firmiter ſurſum deorſumque ducens, magis tamen deorſum, catheterem etiam cultro perite accommodans; veſicam incidebat, plaga non admodum magna. Eam vero à ſuperioribus ad exteriora nonnihil deſcendere faciebat ipſa catheteris poſitura; quod & neceſſarium plane erat, ne vicina laederentur. Curabat deinde; ne catheter à veſicae plaga recederet, & immiſſo digito plerumque magnitudinem plagae nudumque catheterem explorabat; praeſertim ſi eum loco motum eſſe ſuſpicaretur: oportebat enim catheteris ſulcum veſicae plagae nudum adſtare; ut conductorem marem in eum certo demittere poſſet. Itaque, poſtquam quietem iterum imperaſſet, dextera conductorem marem prehendebat, & per vulnus verſus catheterem attente, prudenter, firmiterque adigebat, & pertentando efficiebat, ut ſulcum catheteris ingrederetur, nihilque eſſet interceptum; quod reſiſtentia & durities ſatis ei indicabant. Qua de re cum eſſet certiſſimus, conductorem dextera fortiter impellebat; catheteremque eo repellebat; & eodem tempore catheteris manubrium ſiniſtra ad ſe leniter ducebat. Qua opera efficiebat, ut catheteris curvatura à plaga veſicae recederet in cavum ejus; & ſimul conductor, ſulco curvaturae catheteris ſemper innitens, impulſusque; tuto certoque in veſicae cavum penetraret. Hinc conductorem leniter huc & illuc movebat: qui ſi nudo tunc catheteri & calculo praeſertim occurreret, tanto firmius ſciebat, haerere eum in cavo veſicae. Caetera, ut apparatu magno fieri ſolet, peragebat. Nam dextera conductorem marem in veſica detinebat; ſiniſtra catheterem ex ea per urethram protrahebat. Dein conductorem marem ſiniſtra prehendebat; dextera foeminam, ducente mare, in veſicam demittebat. Tum ambos conductores ſiniſtrae digitis

gitis ſcienter diductos tenebat, & inter eos forcipem dextera in veſicam recta introtrudebat. Hinc conductorem foeminam extrahebat. Forcipe pertentando calculum quaerebat; ut eo reperto ſecurus eſſe poſſet, forcipem à via non aberraſſe, ſed vere in veſicae cavum introductam fuiſſe. Dein conductorem marem quoque extrahebat. Forcipem plerumque aliquoties & validè ſatis aperiebat, cum ut vulnus diduceret, tum ut veſicam dilataret, & quantum poſſet à calculo removeret. Denique forcipe calculum quaerebat, prehendebat, & extrahebat; easdem plane adhibens cautiones, ac ii ſolent & debent, qui urethram in perinaeo incidendo hanc curationem bene peragunt. Extracto calculo, inſtrumentis per vulnus immiſſis explorabat veſicam, ut, num & alter adeſſet, cognoſceret. Calculorum fragmenta, arenulas, & ſanguinis grumos, cochleari apto, vel indice, ſaepe educebat. Aegrum ſtatim plerumque in lectum reponi ſupinum curabat. Vulnus nec turunda, nec emplaſtro, nec ligatura occludebat; ſed primis ab operatione diebus apertum ſervabat. Interim ptiſanam vel tenuem emulſionem affatim bibendam dabat; ut copioſa aqua in veſicam influens eam elueret, & per vulnus patulum continuo effluens, arenulas & ſanguinis grumos, & ſi quid praeterea peregrini adeſſet, ſecum abriperet. Quo facto vulnus dein recentis inſtar ſanabat (*k*). Quam dextere autem & quam celeriter iſtam operationem ſemper peregerit, teſtes ſunt pene innumeri; & recitare poſſem graves, doctos, celebres, vivos, praeſentesque: quam bene & feliciter, eventus poſtea confirmavit; plerique enim curationi iſti graviſſimae ſupervixerunt; ab ea belle ſatis ſe habuerunt, & tempore etiam extra fidem brevi ita convaluerunt, ut nec fiſtula, nec urinae praeter voluntatem effluvium, nec ſterilitas, aliaque, quae urinae iter ſectis accidere ſolent, eos dein afflixerint. Et licet haec res majorem in foeminis habere difficultatem videatur, iis tamen eamdem curationem adhibuit, modo viro uſae non fuiſſent, nec peperiſſent: atque in iis etiam ſucceſſu non caruit.

Hactenus Albinus. Sed jam Hujus celeberrimi viri vitae curriculum ab ipſis incunabulis ad ultimum terminum enarremus, & tanquam Optimi Anatomici exemplar proponamus.

BERNARDUS SIEGFRIED ALBINUS Francofurti ad Viadrum die 24. Febr. 1697. natus eſt; patre Bernhardo Albino, in Viadrina Academia Therapiae Profeſſore publico, Conſiliario & Archiatro Regis Boruſſorum, matre Catharina Suſanna Ring, Th. S. Ringii, in eadem Academia Juris Profeſſoris, filia. Parentes, cum non ignorarent, quanta vis eſſet disciplinae domeſticae, animum filii, ubi primum per aetatis rationem fieri potuit, cum ipſi virtutis & doctrinae amore imbuerunt, tum aliis bonis litteris & moribus excolendum perficiendumque tradiderunt. Atque haec cura patris ac diligentia tanto felicius ceſſit, quanto majorem hujus rei oportunitatem nactus erat; etenim cum anno 1702. oblatam a Curatoribus Univerſitatis Lugduno-

(*k*) Multi contra hanc, ab Albino datam, deſcriptionem methodi, qua in curandis calculoſis uſus eſt Rauius, varias obmoverunt dubitationes; his autem Ipſe Albinus egregie reſpondit Annot. Acad. Lib. 3. cap. 13. pag. 148.

duno-Batavae, Profeſſionem in Medicina, impetrata, licet difficillime, a Rege venia, acciperet, ibique ſummos in omni genere disciplinarum viros reperiret, praeter caetera praecipuae felicitatis commoda id filio contigit, ut per omne litterarum ſpatium, quod percurrendum ſuſceperat, duces haberet praeſtantiſſimos.

Graece & Latine a Sommerſio & Westerhovio edoctus celeberrimos in litteris humanioribus, ac primarios in ſuo genere viros, Gronovium atque Periſonium audivit, Bernardum & Senguerdum in Philoſophicis disciplinis ſecutus. Horum e Scholis cum recte cogitandi, ſcribendi, differendi, facultatem, concepiſſet adolescens talem, qualis vel in viro probatur, ad Patrem, reliquosque artis medicae Doctores celeberrimos, Bidloum, Rauium, Deckerum, Boerhavium, diſciplinae cauſa acceſſit. Ampliſſimae autem hujus doctrinae partibus omnibus inſignem impendit operam, botanicam, naturalemque hiſtoriam praecipue excoluit, amavitque (*l*). Vivebat tunc Leidae ex hac noſtra Introductione jam notiſſimus Rauius, artis Anatomicae atque Chirurgicae docendae ac faciendae dexteritate inclitus; ad hunc itaque ſeſe applicuit, hujus praelectionibus ac demonſtrationibus tali aſſiduitate interfuit, ut is captus tanti ingenii ſolertia, & ardenti ſtudio quicquid in arte eximii haberet, liberaliter cum illo communicaret. Rauius Albinum tanta complectebatur benevolentia, ut, in rebus difficillimis & quando Operationes chirurgicae ipſi eſſent inſtituendae, Albinum comitem eligeret, praeſertim cum ageretur de calculo veſicâ exſcindendo, quam operationem, ab ipſo emendatam, millies & amplius cum ſucceſſu adminiſtratam, nulli revelavit, ſed toties, praeſente Albino, inſtituit, ut egregiam, omnes encheireſes rite obſervandi occaſionem ipſi dederit non tantum, ſed etiam prae caeteris dignum habuerit, cui in poſterum, cum ab itineribus rediiſſet, calculo veſicae laborantes ſecandos commendaret, adeo ut nemo poſtea aut melius aut exactius ipſius methodum deſcripſerit vel deſcribere potuerit.

Quamvis hoc pacto tantam in Medica arte peritiam acquiſiviſſet, ut ſumma cum laude anno 1718., vix novemdecim annos natus, candidatorum numero ſit adſcriptus, tamen, cum plura deëſſe ipſi viderentur, patris conſilio, Lutetias Pariſiorum ſeſe contulit, ut Noſocomia frequentare, praxis medicae ac chirurgicae exercitio adeſſe, & Duverneyi, Winslowii, Vaillantii, de Juſſieu ſenioris, famâ per totum orbem celeberrimorum, praelectionibus intereſſe poſſet, ſicque cognitionem rerum, ſibi jam paratam, augeret atque amplificaret. Hac autem in Urbe non tamdiu commoratus eſt, quam quidem ſibi propoſuerat, nec aliarum Regionum Academias inviſere potuit: Rauius enim cum jam ab aliquo tempore per affectam valetudinem praelectionibus ſolitis vix ſufficeret; Curatores Academiae noſtrae, ut ſummo huic Viro ſuccurrerent, ab ipſo toties commendatum Albinum, titulo Lectoris Anatomes & Chirurgiae, Pariſiis evocarunt, quorum voluntati obſecutus Leidam repetiit. In reverſum Facultas medica Doctoratus gradum contulit; nulla injuncta neceſſitate, diſſertationem theſesve conſcribendi, quod, etſi lex Academica exigit, tali in caſu, qualis hicce eſt, remitti ſolet.

(*l*) Annot. Acad. Lib. 7. cap. 20. pag. 101.

Suſcepit, impellente patre, anatomen docendi provinciam, & ab eo tempore ſe huic ſtudio dedit (*m*); ſuſcepitque tanto citius, tanto lubentius, quum ſpes ipſi adfulgeret ſumma, fore ut Rauius in Anatome & Chirurgia publice ac privatim tradenda, quoties ejus conſilio opus haberet, ſe adjuvaret, nec eam, quam ab ipſo (*n*) didicerat Anatomen, imperfectam eſſe ſineret. Sed haec vota funeſtus decimus octavus Septembris dies irrita fecit.

Tanto licet fulcro & adjumento deſtitutus publicum tamen Praelegendi munus, die ſecundo Octobris, Oratione de Anatome comparata, tanto cum applauſu adgreſſus eſt, ut Rauii totiusque Facultatis Medicae commendatione non tantum digniſſimus cenſeretur, ſed & Ampliſſimi Curatores, ut tanto majorem ſtimulum ipſi adderent, ſtipendium, quod conſtituerant, ultro augerent. Primae, quas habuit, Praelectiones, primae Demonſtrationes adeo placuerunt auditoribus, ut ſatis admirari non poſſent hominem, vix duos & viginti annos natum, qui, puriſſima lingua latina utens, nitidiſſimis praeparatis Anatomicis, corporis humani fabricam ita oculis ſubjiciebat, ut ne delicatiſſimis quidem ſpectatoribus horrorem incuterent.

Duobus nondum elapſis annis, 7. Sept. 1721. ingenti Academiae damno, cariſſimus ejus Pater diem ſuum obiit, noſtrumque, undecim liberorum natu maximum, reliquit. Clar. Boerhavius, funebrem in ſummum virum Orationem habens, ſolum Bernardum Siegfriedum reſarcire poſſe damnum, quod fecerat Academia, palam profitebatur. Dolenti, inquit, Familiae gratulantur omnes boni de Bernardo Siegfried Albino, qui eruditus ivit in artes patrias, ingenio, doctrina, claritate, ſucceſſibus ultra aetatem felix. Qui vigeſimo ſecundo juventutis anno grave munus in hac Academia digne potuit ſuſtinere, exemplum dans, quid cultura faciat boni Patris ad maturandum fertile ingenium, dum cruda hujus aetas & juventa viridis fructus, non acerbos, ſed coctos & maturos, profert. Optant, orant, expectant, illuſtres, ampliſſimos, ſapientes Academiae Patres huic bene merenti de illa perſoluturos brevi

(*m*) Annot. Acad. Lib. 7. cap. 20. pag. 102.

(*n*) In J. Bruckeri Pinacotheca ſcriptorum noſtra aetate litteris illuſtrium Dec. 5. quo in libro Albini vita etiam inſerta eſt, dicitur, Ruiſchio praecipue adhaeſiſſe Albinum; eum vero, collegae amicique filium discipulum nactum, & familiariter cum eo converſatum, nihil eorum reticuiſſe, quibus commode & artificioſe adhibitis opus eſt, ſi quis cum laude tractare artem elegantiſſimam cupiat; hinc nec vaſorum ſubtiliſſimorum cera explendorum artificium eum celaſſe. Neceſſe autem duxit Ipſe Albinus, monere, ſe ſemel iterumque ac tantummodo obiter vidiſſe Ruiſchium, priusquam ad docendum admotus eſſet, neque discipulum ejus fuiſſe. Ruiſchium collegam patris ſui non extitiſſe, quippe qui in Academia Leidenſi verſabatur, quum Ruiſchius Amſtelaedami eſſet. Ruiſchium ſibi non aperuiſſe vaſorum ſubtiliſſimorum cera explendorum artificium; ſed ſe, ad docendum admotum, modos quamplurimos tentaſſe, retinuiſſe, qui meliores erant. Annot. Acad. Lib. 7. cap. 20. pag. 102. Hoc vel tanto magis hic loci monendum eſſe cenſeo, quum Auctores Commentariorum Lipſienſium Tom. 17. pag. 546. in Memoria Albini, quam pro parte ſequutus ſum, eundem commiſerunt errorem. Dicunt enim vixiſſe eo tempore Leidae duos imprimis viros, qui Anatomes & Chirurgiae docendae ac faciendae dexteritate eſſent nobiliſſimi, Ruiſchium & Rauium. Ad hos Albinum ſe adplicaſſe, eis artem praecipiendo demonſtrandoque tradentibus frequentem adfuiſſe, ingenii ſolertiam & adſiduitatem utrique ita probaſſe, ut quicquid in arte eximii haberent, liberaliter cum illo communicarent. Quem errorem dicto in opere fuiſſe commiſſum, tanto magis mirari quisque debet, cum in eodem, ubi citatae Annotationes Academicae Tom. 15. pag. 300. recenſentur, totidem verbis notatur: Albinum Ruiſchii diſcipulum non fuiſſe.

brevi ſummum, quod habent, pretium! Hoc populi vox, Bonorum hoc vota publica flagitant! Tanti viri tali elogio mox etiam excitabantur, utilitati Academiae invigilantes, Illuſtriſſimi Curatores, nec moras fecerunt, ſed vacantem a morte Rauii ordinariam Anatomes & Chirurgiae Profeſſionem noſtro demandarunt. Hoc autem novum munus, habita Oratione, qua in veram viam, quae ad fabricae humani corporis cognitionem ducat, inquiritur, die decimo nono Novembris ejusdem anni auſpicatus eſt.

Ab hoc tempore non ſolum id egit, ut ſtudiis adoleſcentum, qui magno numero in diſciplinam ac fidem ipſius ſe contulerant, docendo, demonſtrando, inſerviret, ſed etiam elaboravit, ut commentando artem, quam profitebatur, auctam ornatamque relinqueret.

Placuerat Rauio Supellectilem Anatomicam ſuam omnem, quam tot annorum maximis laboribus & ſumtibus, Amſtelaedami ac Leidae, ipſe confecerat, & adſervaverat, Academiae Batavae legare, & Curatores iſti legato praeficere Profeſſores Medicinae. Scedulam, cui voluntatem ſuam inſcripſerat, dederat amico cuidam, juſſeratque, eam poſt mortem, ſtatim a lecto teſtamento, heredibus a ſe ſcriptis exhiberi. Quum vero mortuo Rauio, in aedibus ejus ex officio verſaretur Vir Clar. H. Boerhaave, tradita ei fuit ſcedula iſta. Hic eam ad Facultatem medicam detulit, quae rem cum illuſtribus & ampliſſimis Academiae Curatoribus Urbisque conſulibus communicavit, & cum iis egit de adſervandis illis in Theatro Anatomico Academiae publico, exſtruendisque ibi aptis ad id armariis. Curatores Academiae, collatis cum Medicinae Profeſſoribus conſiliis, Repoſitoria ſplendida in Theatro Anatomico, publicis magnisque ſumtibus, exſtrui curarunt. In his cum dein ordine reponi deberent, eaque per ſe ſatis jam mixta, transferendo etiam, ut fieri ſolet, magis turbata eſſent; multaque meliori conſervatione indigerent; ſcripti vero nihil, quod haec illuſtraret, in ſcriniis defuncti reperiretur, Albinum rogandum cenſuerunt Ill. Curatores, ut id negotii in ſe ſuſciperet, & indicem quoque conficere atque evulgare vellet. Recepit id libenter, ſed non ſine labore & moleſtia eſt exſecutus. Quantae enim difficultatis fuerit, turbatas tantopere partes, tam varias, plerasque ſubtiles, hinc & inde decerptas, extricare, colligere, & ordinare, atque in ſingulis imprimis ſcopum ejus, qui eas paravit, inveſtigare, & invenire, cum in iis multae quoque eſſent, quae verſato in his Anatomico operae multum faceſſerent, ut modo, quae qualesque ſint, cognoſceret, norunt, qui ſimili operi manum unquam admoverunt. Conatus tamen eſt, eas in repoſitoriis non ſolum, collocare, ut conſpici commode poſſint, ſed judicio etiam quodam ita disponere, ut ſingularum praeſtantia ipſo ordine ſerieque magis eluceret, quod negotium ei tam feliciter ceſſit, ut omnes, qui indicem evolverint, qui egregium & duraturum Rauiani laboris monumentum viderint, non ſolum illud, ſed & deſcriptoris peritiam, & accuratam diligentiam ſint admirati. Titulus autem illius indicis eſt. Index Supellectilis Anatomicae, quam Academiae Batavae, quae Leidae eſt, legavit Vir Clariſſimus, Johannes Jacobus Rau, rogatu illuſtriſſimorum & ampliſſimorum Academiae iſtius Cura-

ratorum & Urbis Conſulum confectus a Bernardo Siegfried Albino, qui & vitam ejus, & curationem, quam calculoſis adhibuit, inſtrumentorumque figuras addidit. Lugduni Batavorum 1725. 4°.

Quum autem Auditores ſaepe multumque ab Albino peterent, ut epitomen quamdam rei Anatomicae ad uſus ſuos conſcriberet, publicaret; voto eorum eo libentius & ſtudioſius ſatisfecit, quod intereſſe ipſorum arbitraretur, ut haberent, qui eos, breviter & ſine erratione ad cognitionem operis impediti, ejusdemque cognitu digniſſimi, perduceret. Primum vero illam partem, quae eſt de oſſibus, exhibuit, atque huc operam contulit, ut artificium, quo rerum omnium Creator totam conſtructionem ac formam oſſium hominis adulti perfectique fabricatus eſt, uſusque, quos omnia tum univerſa tum ſingula, tum quae cujusvis eorum partes habeant, paulo accuratius breviterque complecteretur, non ex lectione optimorum auctorum, ſed ex ipſo corpore; & hunc in finem, ut Pictores ad cujuscumque rei imaginem in tabula exquiſite exprimendam, toti ab exemplari pendent, ita & ille multiplices variasque oſſium formas verbis quaſi depicturus, oculos de iis ipſis nunquam dejecit; quae vero ſit utilitas, quaeque opportunitas in nobis eorum, cum ex patefactis mortuorum corporibus tum e vivis hauſit. Solas autem praecipuas oſſium partes, quarum uſus certi ſunt & neceſſarii, & quas ſatis ſimiles inter ſe oſſa habent, ſimpliciter ac nudis verbis deſcripſit, eorundemque uſus exponere conatus eſt. Quo vero facilius & melius tot tamque diverſas ac mirificas oſſium formas ac commiſſuras animo ac quaſi oculis percipere, ac memoria cuſtodire poſſent Lectores, earum praeſtantiſſimas & intelligentium virorum ductu expreſſas imagines, quas in lectione libelli aſſidue adhiberi vellet, ubique magna cura laudavit, praecipue Veſalianas, ſubinde Euſtachianas, paucasque alias. Prodiit hicce Libellus de oſſibus corporis humani anno 1726. in 8vo., & tanto ab omnibus applauſu exceptus, tanta cura elaboratus judicatus eſt, ut ſumma laude digniſſimum eundem non tantum cenſuerint Principes in arte viri, ſed nihil omnino addi poſſe pronuntiaverint; mirum itaque videri non debet, quod, citiſſime divenditus, rariſſime dein acquiri potuerit, & Viennae nova editio ſit parata.

Eodem tempore, una cum celeberrimo Boerhaavio occupatus fuit in adornanda editione egregia Operum Veſalianorum, quam in lucem emiſerunt anno 1725. cum Praefatione, quae continet cuncta, de vita & operibus maximi hujus Anatomici ſcitu neceſſaria.

Anno 1726. Rectoris Academici munus ſubiit, & anno inſequenti, quum Magiſtratum hunc deponeret, Orationem habuit, quam tamen non divulgavit. Anno 1731. Senatus Academici Actuarius dictus eſt. Sed, quamvis haec munera multum eriperent temporis, tamen adamatam ſibi Anatomen non dereliquit, ſed corporis humani fabricam tam exacte & tanta ſedulitate inveſtigare perrexit, ut ſenſim ſenſimque notabiliores non tantum fecerit progreſſus, ſed & talia detexerit, quae omnes adhuc anatomicos latuerant.

Praeter anatomen etiam Phyſiologiam tradere coactus ſat cito perſpexit, non ſuffi-

ſufficere, ut uſus partium rite detegantur, anatomicas diſſectiones, quales in collegiis inſtitui ſolent, ſed intimam partium fabricam eſſe inveſtigandam, cum functiones partium ſaepe dependeant a vaſis fibrisve tam parvis, & conſiſtentiae tam delicatae & tenerae, ut oculorum vel acutiſſimam aciem effugiant, & cultello anatomico, dexterrima licet manu directo, detegi nequeant, & idcirco injectiones vel alias praeparationes eſſe faciendas. Itaque per aliquot annos ejus ſtudium in eo verſatum eſt, ut dicta encheireſi minutiſſimas partes, intricatiſſimas vaſorum divaricationes ac ramificationes, detegeret, fauſto adeo ſucceſſu, ut collectionem praeparatorum phyſiologicorum, non quidem admodum magnam, ſed adeo pulchram compoſuerit, ut parem ipſi vix usquam exſtare uno ore adfirmarent omnes, qui eandem adſpicerent. Summa patientia, & omni qua fieri poterat cura, experimenta inſtituens, eo ſenſim devenit, ut partes monſtraret plane tales, quales in vita eſſe ſolent, &, praeter vitam ipſam, deëſſe nihil videretur, quare etiam omnia praeparata, non veram naturam, ſed arte mutatam exhibentia, rejicere ſolitus erat, & omnia, quae ſuo ſcopo inſervire commode poſſe cenſuerit, etiam hodie, nullo modo vitiata, phyſiologicis in praelectionibus, uſum partium, prius expoſitum, egregie confirmant, quatenus nempe ex cognita hucusque fabrica partium illum intelligere licet. Ut enim hypotheſes, quantum fieri poteſt, evitaret, nihil de fabrica partis alicujus affirmare ſolitus erat, niſi quod oculis auditorum in praeparatis ſubjicere poterat, & exinde actionis modum exponebat. Si vero fabrica adhuc cognita ipſi uſum non ſatis indicaret, judicium ſuſpendebat, conjecturas nullas proferebat, & Auditores convincere conabatur, quam lubrico fundamento ſuperſtructae eſſent aliorum tali de parte opiniones. Hoc pacto, quicquid verum in Phyſiologia eſt, explicans, cavebat, ne committerent errores, quos commiſiſſent facillime, ſi autoritati ſoli omnem habuiſſent fidem.

Fundamento totius corporis in libello de oſſibus exactiſſime expoſito, & Auditoribus epitomen quamdam, quae ſummas muſculorum complecteretur, conducturam videns, inſtituit aliquam conficere, eamque paulo accuratiorem, & non ex Myographis colligendam, ſed ex ipſis deſcribendam hominum corporibus. In hac concinnanda dum erat occupatus, crevit paulatim, aliquot annorum cura, in plenioremem & abſolutiorem hiſtoriam, quam anno 1734. publici juris fecit, eo effectu, ut omnia ſuper hac re ſcripta longe poſt ſe reliquerit, quum nihil & de Anatomica muſculorum deſcriptione, & de uſibus eorum contineret, niſi quod notaverit obſervatione ſaepe iterata. Auctorem nulla in re, praeter in muſculorum, quae retinuit, nominibus, ſecutus, nullius in ipſa deſcriptione mentionem fecit, quoniam neque aliunde, quam ex ipſis hominum corporibus, autoritatem quaerere voluit, neque tantum ſibi otium erat, quantum in ſcriptoribus expendendis eſſet conſumendum. Fini hujus libri adjunxit quatuor tabulas, muſculos manus magnitudine naturali exhibentes, tam perfectas, ut aetas noſtra nihil ſimile in hoc genere viderit. Specimen ſic exhibere voluit magni operis, quod meditabatur, & poſtea in generis humani commodum divulgavit.

Sic demonſtravit publice, quam in anatomia partium craſſiorum haberet ſcientiam, ſed quid in anatomia ſubtiliorum valeret, opportunam nactus etiam eſt oſtendendi occaſionem. Accidit quippe, ut egregius & induſtrius artifex Joannes L'Admiral ad ipſum accederet, offerretque ſe, ad icones vivis coloribus diſtinctas effi-ciendas quadam picturae compendiariae ſpecie. Voluntati ipſius morem gerens Albinus, arterias primum & venas inteſtinorum elegit, quas luculenta Diſſertatione de arteriis & venis inteſtinorum hominis Lugd. Bat. & Amſt. anno 1736. illuſtratas edidit, quam anno inſequenti Diſſertatio ſecunda de ſede & cauſa coloris aethiopum & caeterorum hominum, prima non inferior, ſubſequuta eſt.

Quum jam a longo tempore intellexiſſet, delineationes oſſium foetus, hucusque datas, minus probandas eſſe, accuratius in ea inquirere, non alienum putavit, & laboris ſui feliciſſimum ſucceſſum toti Orbi abunde probavit, editis anno 1737. Iconibus oſſium foetus humani, quibus acceſſit Oſteogeniae brevis hiſtoria. Tabulae hae adeo nitidae adeo exactae erant, ut omnes in admirationem raperent, nec mirum, in aes enim ductae erant manu ſummi chalcographi Wandelaarii, cujus hac in re dexteritatem Albinus cognoverat ex tabulis novae, quam una cum Boerhaavio paraverat, Operum Veſalianorum editioni adnexis, ut & iis, quas ſuae ſubjunxerat muſculorum hiſtoriae. Unicus in ſuo genere Wandelaarius natus videbatur ad juvandum Albinum, & ad divulgandum, quod cultro anatomico aliisque praeparationibus detexerat, & nullus unquam exſtitit artifex, qui melius, ſuis delineationibus, expreſſerit ſubtiliſſimas partes corporis humani. Albinus, mature egregia hujus viri merita perſpiciens, ipſum invitabat, ut, relicto Amſtelaedamo, ubi adhuc vixerat, Leidae domicilium figeret, ac ſummum elegiſſe ſibi artificem, Albinum, abunde docent haec oſſa foetus. Omnia enim & vere & accurate expreſſit, & magna ſubtilitate artis; expreſſit minima quaeque, &, quod difficillimum, ipſum habitum; hoc autem efficere tanto melius potuit, quod pulchre & delinearet, & in aes incideret, &, quod magis eſt, imagines in aere ad os ipſum duceret. Incidit has icones ad ipſa officula, quapropter non modo nihil ex imitatione imminutae ſunt, ut diminui ſolent, quae ad delineatam formam inciduntur, ſed longe etiam exquiſitius imagines eis exprimuntur, quoniam delineare nemo poteſt, quae ad res ipſas talis artifex incidere; expreſſit praeterea omnia, neque diligentiae neque tempori parcens, Albino duce, atque nihil, niſi quod antea intellexiſſet, ut videri poſſint ab eodem, & fabricae gnaro & peritiſſimo, delineatore ſculptoreque profectae eſſe. Natae ſic egregiae oſſium foetus icones, quas imitari nullus alius, qui operi ſimili manum poſtea adplicuit, potuit, quas emendare nulla poterit aetas.

Quamvis Albino multum impendendum eſſet temporis, ut egregium hocce opus componeret, eodem tamen anno novam notiſſimi Harvei de circulatione ſanguinis & generatione animalium libri, ut & Operum omnium, quae conſcripſit Fabricius ab Aquapendente, editionem paravit, & utrique praefationem praefixit.

Altera vice, anno 1738. Magiſtratum Academicum in ſe ſuſcepit, eumque ſequenti

quenti anno, habita Oratione, de arte ſanitatem conſervandi, quam tamen in lucem non emiſit, ſucceſſori tradidit.

Occupatum vero ipſum circa ea tempora tenuere duo Opera, magni ſane momenti, maximaeque utilitatis; Commentarius nempe in anatomicum ſummum Euſtachium, ac Tabulae Sceleti & Muſculorum.

Bartholomaeus Euſtachius, qui, per multos annos diligentiſſime in re Anatomica verſatus, Romae omnium applauſu Anatomen tradidit ſeculo decimo ſexto; tabulas aeneas ſex & quadraginta incidi curaverat, & in epiſtola praefixa ſuis opusculis, tum annotationibus ad collectionem vocum Hippocratis ab Erotiano inſtitutam, vivus adhuc orbi litterato eas erat pollicitus; hae autem non ſunt in lucem emiſſae, ſed adverſo fato per ſesquiſeculum delituerunt. Hanc jacturam cum doctiſſimi Viri indigne ferrent, atque illas, ſicubi forte inveniri poſſent, aſſidua ſollicitudine quaererent, doctiſſimus Dominicus Guglielminus ſaepe a Lanciſio per litteras flagitavit, ut ad eas conquirendas omnem diligentiam adhiberet. Id autem cum diu Ipſi Romae fruſtra cecidiſſet, tandem praeter ſpem in ipſius manus pervenerunt. Euſtachius Petrum Matthaeum Pinum, Urbinatem, propriis ſtudiis laboribusque ſocium adhibuerat, ut in epiſtola, quam opuſculis ſuis praepoſuit, aperte commemorat. Pinus vero, cum per id temporis Annotationes eorundem Opuſculorum Praeceptoris olim ſui edidiſſet, Lectorem pariter admonuit, a ſe provinciam ſuſceptam, ut eidem operi renum figurae adderentur, quarum, inquit, Bartholomaeo diligentiam, ac ſumptum; mihi, ut accurate delinearentur, ac ſculperentur, laborem debes: quin imo idem Pinus, ſex & triginta annis ab interitu magiſtri ſui, maximum artis medicae detrimentum deplorans, in utiliſſimo indice, quem ad Hippocratis Opera, Euſtachii conſilio juſſuque, adornaverat, promiſerat, ſe in lucem, Deo favente, daturum Tabulas Anatomicas, quas multis ab illinc annis aeri inciſas habebat. Hanc igitur rerum ſeriem ad Sanctiſſimum Principem, CLEMENTEM XI., litterarum artiumque inſtaurandarum & augendarum ſtudioſiſſimum, detulit Lanciſius. Pontifex vero, cum Pinum nobili gente Urbini natum ſciret, confeſtim ſumma mentis perſpicacitate conjecit, apud Familiam Rubeorum, itidem nobilem Urbinatem, optatas latere tabulas, cum ex Pinis nulla virilis ſoboles, ſola vero muliebris ſtirpis Lavinia de Antaldis, quae nupſit Franciſco de Rubeis, ſupereſſet. Nec conjectura fefellit. Eodem enim mandante, in quibusdam ſtudioſiſſimi Pini capſis inventae ſunt omnes (*o*). Deërat autem explicatio. Hanc vero mox compoſuit, conſultis etiam ſui temporis celeberrimis Anatomicis, Lanciſius, & vix biennio, poſtquam fuerant inventae, elapſo, anno nempe 1714. Romae in lucem emiſit. Receptae fuere hae Tabulae ab omnibus Anatomicis maxima cum animi voluptate, non propter artem, qua depictae & aeri inciſae erant, hac enim parte aliis non erant praeferendae, ſed propter accurationem ſummam, & judicium, quo fuerant, com-

(*o*) Conf. Lanciſii Epiſtola ad Fontanum, praefixa Explicationi Tabularum Anatomicarum Euſtachii.

compoſitae. Magnis laudibus eas extollere ſolebat Albinus, & discipulis commendare, tanquam optimum ducem, quem in hoc genere ſequi poſſent, ubi, quae in cadavere viderant, repetere & memoriae imprimere conabantur. Uſus autem harum tabularum erat admodum incommodus, & Lanciſii explicatio feſtinantius compoſita, etiam tempore, quo minus bene valebat, talis erat, ut multi errores in illam irrepſerint. Adhortabantur itaque Albinum ipſius diſcipuli, ut commodiorem curaret harum tabularum editionem, & meliorem explicationem. Votis eorum, quorum in commodum natus videbatur, egregie ſatisfecit, edendo anno 1744. & tabulas & novam expoſitionem, titulo: Explicatio Tabularum Anatomicarum Bartholomaei Euſtachii, Anatomici ſummi; accedit Tabularum editio nova. Addidit figuris, ab Euſtachio paratis, alias, lineares, quibus inſcribi commode litterae potuerunt, ut partes diverſae deſignentur. Tam cupide ab omnibus hic liber arreptus eſt, ut altera editio, quam Auctor recognovit, caſtigavit, auxit, anno 1761. prodierit.

Quamvis autem Tabulae Euſtachianae eſſent multo magis exactae, quam quas ante Ipſius tempora ediderant Anatomici, multum tamen aberant ab illo perfectionis gradu, quem in tabulis hujus generis deſiderabat Albinus. Figurae, quae ſceletum & muſculos exhibent, minores ſunt, quam ut partes omnes recte conſpici queant, multae ne adſunt quidem, & dimenſiones earum non juſtam ideam dant, qualem magnitudinem in corpore habeant. Praeterea ſiſtunt cadaver, & partes omnes carent ea rotunditate, quam in corpore vivo exhibent. Albinus itaque jam ab anno 1725. ſibi propoſuerat, tabulas parare, in quibus horum nihil deſideraretur. Multos annos huic labori impendit, adjutus a ſupra laudato Wandelaario. Delineavit primo, ut omnes fecerunt Anatomici, muſculos, mox cuti ſubjectos; ſed ſtatim intellexit, hoc pacto exſtrui aedificium, antequam fundamenta erant poſita. Muſculi originem & inſertionem in omni homine ab iisdem partibus oſſium habent, ut ergo recte collocari queant, ex diverſis corporibus delineati, opus ipſi erat religioſe facta Sceleti figura. Hanc itaque fecit, ſed ſumma cum difficultate, & labore indefeſſo; huic vero, rite exſtructo, adpoſuit deinde muſculos. Meretur attente legi relegique Hiſtoria hujus operis, quam ipſi praefixit, & qua accuratiſſime deſcripſit modum, quem in hiſce ſecutus eſt. Edidit autem Tabulas Sceleti & Muſculorum corporis humani, anno 1747. in Folio maximo. Harum tres ſceleton, decem diverſa muſculorum ſtrata; & quindecim unumquemque muſculum ſeparatum cum partibus oſſium, quibus annectuntur, exhibent. Explicatio addita brevis, ſed exactiſſima. Quae tabulae apud omnes tantam excitarunt admirationem, ut intelligentiſſimus quisque totam Anatomen ita elaboratam ab Albino exoptaret.

Anno 1748. ſeptem ejusdem formae, cujus ſunt Tabulae modo laudatae, dedit alias, quae magnitudine naturali uterum ſiſtunt gravidae, partu inſtante mortuae, quibus anno 1751. octavam, appendicis inſtar, addidit.

Quo tempore, hyeme inprimis, occupatus fuit in tabulis ſceleti & muſculorum, per aeſtatem aliud ſuſcepit opus, quod non minus feliciter ipſi ceſſit. Figurae

ſce-

ſceleti, licet ſesquipedem longae, tamen anguſtiores erant, quam ut omnia oſſa rite diſtingui poſſent, fecit itaque alias, & cuncta oſſa, magnitudine naturali, delineavit tam religioſa cura, ut in forma externa nihil detur, quod non ſit egregie expreſſum. Adjuvit iterum Wandelaarius, imo hoc opus ante modo nominatum musculorum abſolvit, licet illud demum, hortatu amicorum, qui pretium & utilitatem cognoverant, anno 1753. in lucem emiſerit, titulo: Tabulae oſſium humanorum.

Quum nunc tanta ſedulitate in hanc operam incumberet, & nunquam remitteret Anatomiae ſtudium, vix aliter fieri potuit, quin valetudo ipſius laederetur multum; neceſſitatem itaque perſpexit, opere adeo intricato abſtinendi. Ut omnibus numeris abſolutum Anatomicum opus formaret, ſupererant parandae tabulae viſcerum, vaſorum, nervorum. Difficultas hac in re tali Anatomico minor erat, quod jam accuratiſſimas haberet Sceleti & Muſculorum tabulas, ſed denuo inſtituendae erant ſectiones Anatomicae, quas, hunc in finem inchoatas (*p*), perficere non permittebat labefactata ſanitas. Intellexerunt etiam Academiae Patres, tempus eſſe, ut labor ipſius ſublevaretur, & anno 1745. Profeſſorem Medicinae dixerunt, liberantes illum a difficili Anatomes demonſtrandae opere, cui per viginti quinque annos omni ſtudio invigilaverat, Fratremque ipſius, natu minimum, Fredericum Bernardum Albinum, titulo Lectoris Anatomes & Chirurgiae, Amſtelaedamo, ubi praxin exercebat medicam, evocarunt. Ab eo tempore phyſiologicas tantum habuit praelectiones, easque ſuis praeparatis illuſtravit; poſtquam anno 1746. 25. Octobris novum munus ſuſceperat, habita Oratione de natura humana, quam publici juris non fecit.

Perrexit tamen utilitati publicae conſecrare tempus, quod Ipſi a laboribus Academicis, jam multum allevatis, ſupererat, & aliud opus componere incepit, cui perficiendo proprium ſufficiebat Muſeum. Per tot annos in diſſectionibus corporum occupatus, variis, quas inſtituerat, praeparationibus, multa nova, & ab aliis non bene perſpecta indagarat, quae juncta iis, quae praxis medica ac praeſertim chirurgica ſuppeditaverat, collectionem notabilem Annotationum pepererunt; hanc divulgare in animum inducens multa praeparata Anatomica in aes incidi curavit, & primum librum Annotationum Academicarum anno 1754. prodire juſſit, quem ſeptem alii inſequuti ſunt, quorum ultimus 1768. prodiit. In his praeter multa Anatomica, chirurgica, hiſtoriam naturalem illuſtrantia, Halleri, Camperi, aliorumque, qui varii generis lites Ipſi moverunt, objectiones reſolvit.

In hoc opere dum erat occupatus, mors ſummum artificem Wandelaarium ſuſtulit. Qui triſtiſſimus caſus Albinum maximopere adfecit, eumque deterruit a novis tabulis parandis. Nec alias poſtea in lucem emiſit, quam quas Wandelaarius celaverat. Inter has, Annotationibus Academicis deſtinatas, paraverat ejusdem formae ac magnitudinis, cujus ſunt Tabulae Sceleti & Muſculorum, Tabulam vaſis chyliferi cum vena azyga, arteriis intercoſtalibus, aliisque vicinis partibus; quam, licet jam ante tri-

(*p*) Docent hoc delineationes, quas una cum iis, quae parandis tabulis Sceleti & Muſculorum inſervierunt, legavit publicae Academiae Bibliothecae.

triginta & ultra annos paratam, & eo tempore Palfynio aliisque monſtratam, demum anno 1757. edidit. Deſcriptum ac depictum hoc vas chyliferum fuerat ex homine robuſto, ſtaturae juſtae, integra ſanitate ſtrangulato. Declarare hac figura, quam Annot. Acad. Lib. 3. cap. 9. uberius deſcripſit, etiam voluit modum, quo arterias, venas, nervos, deſcribere, depingere, animo conceperat. Fundamentum praebent oſſa & muſculi, eaque ex tabulis oſſium, ſceleti, muſculorum deſumta; huic certo fundamento inſcripſit vas chyliferum, venas, arterias, nervos, ut in corpore ſtaturae ſimilis invenerat, ſicque demonſtravit, hanc rationem quamdiu Anatomici ſibi non praeſcribent, usque fluctuaturos earum rerum ſtudioſos.

Quum anno 1758. Magiſtratus Academici munus ad eum iterum devolutum eſſet, honorificum quidem, ſed difficultatis pleniſſimum, deprecatus eſt. Sequenti autem anno altera vice Actuarius Senatus Academici dictus eſt.

Novam libelli de oſſibus editionem, titulo, Libri de Sceleto humano anno 1762. edidit; quamvis enim, editus anno 1726., libellus omnium, quae adhuc edita erant, ſcriptorum de oſſibus, optimus cenſeri deberet, tamen ipſi Auctori non amplius placebat. Semper ad harum partium fabricam attentiſſimus multa in iis detexerat, de quibus antea monuerat omnino nihil, quae ſilentio etiam preſſerant, aut male deſcripſerant, alii. Praeterea deſiderabatur explicatio tabularum oſſium humanorum multo amplior, quam quae ipſis tabulis erat inſcripta. Igitur plane novum opus adgreſſus eandem, quam in hiſtoria muſculorum elegerat, in hoc ſecutus eſt methodum; ſumma cura deſcripſit quidquid unum quodque os ipſi offerebat, nullo alio conſulto aut citato auctore; ſolas ſuas adduxit ubique tabulas, & ſimul hoc pacto accuratiſſimam dedit explicationem; ſic ut multi expeterent Hiſtoriae muſculorum aliam editionem, in qua ſuas etiam muſculorum tabulas citaſſet.

Hi fuerunt ſummi Viri labores litterarii. Vix intelligimus, quomodo omnibus excellere potuerit, ſi adtendamus ad tempus, quod cuique operi erat impendendum, ut illud tali modo, tali accuratione, tali brevitate, ut vix verbum ſupervacaneum in ejus explicationibus inveniatur, in lucem emitteret, ſi adtendamus ſimul ad reliqua ipſius negotia, quae ipſum eodem tempore premebant. Toto enim temporis ſpatio, quo plurima compoſuit, quotidie praelectiones habuit, ac tales, quae ſummo jure optimae dici debebant. Neque enim Auditores Ipſius tantum erant juvenes, qui, ipſo duce, fundamenta artis ponere ſtudebant, ſed medici, qui ex omni ferme Europae parte, Boerhaavii, Albini, aliorumque fama allecti, Leidam ſe contulerant, ut inſtructiores recederent, poſtea ſemper gloriantes, ſe inter Albini discipulos fuiſſe. Huc adde tot aegrotos, auxilium Ipſius implorantes, praeſertim ſi talibus vexarentur morbis, qui ad Chirurgi forum pertinerent; dum alii, qui Leidam adire non poterant, datis litteris, ad quas reſponderi oportebat, conſilium Ipſius expetebant.

Haec omnia ſi perpendamus, quis non miretur, Albinum tot ac tanta praeſtitiſſe; ut merito cum Hallero, cujus judicium hac certe in parte multum valet, dicendum ſit, illum aſſiduitate laboris, ſolertia ſecandi, artificioſa vaſorum impletione, in oſſium musculorumque hiſtoria omnes priores inciſores ſuperaſſe, in viſce-

ſcerum fabrica multa accuratius vidiſſe, immenſis operibus rem Anatomicam ditaſſe (*q*).

Matrimonium iniit anno 1765. cum nobiliſſima matrona, omnibus animi corporisque dotibus, quae ſexum ſuum amabilem reddunt, ornata, Clara Dorothea du Peyrou, Filia Domini Stephani du Peyrou, Mercatoris Amſtelaedamenſis, & Margaretae Clarae Muyſſart; Vidua Lucae Trip, Commiſſarii Amſtelaedamenſis (*r*).

Principio anni 1770. ſenſit valetudinem minus proſperam, labori tamen Academico vacabat; ſed 29. Auguſti acerrima eum febris invaſit, duplex tertiana, quam comitabantur anxietates tantae, ut 9. Septembris ſeptuaginta & tres annos, ſex menſes, natum, damno Academiae noſtrae, e vivis eripuerit; damno inquam vix ullo tempore reparabili, tanta enim per totum Orbem fama celebrabatur, ut ab omni parte, qui ipſum audirent, qui ipſum conſulerent, confluerent innumeri. Artem, qua auditorum animus ſemper erectus tenetur, ita callebat, ut omnes Ipſius verba maximo gaudio exciperent, maxima veneratione Praelectionibus adeſſent. Non niſi quod verum eſt, demonſtrare, & adfirmare, ſolitus, terminos, ultra quos exſpatiari non licet, ponere ſolebat certos; ſic ut in Ipſius Schola, quod certum erat diſtinguere, & in rebus problematicis judicium ſuſtinere, Auditores addiſcerent. Qualis Senator Academicus fuerit, Acta Ipſius abunde probant. Tanquam medicus ac chirurgus Societatis utiliſſimum erat membrum. Patebat domus pauperibus, aeque ac divitibus. Experientiâ praxin ſuperſtruens remedia ſimpliciſſima adhibere ſolitus erat. Operationes chirurgicas, ſi forte illas inſtituebat Ipſe, certa ſed lenta manu peragebat, Chirurgos in inſtituendis illis adjuvabat, eorum Collegii Praeſes a morte Boerhaavii dictus.

Petropolitana, Londinenſis, Harlemenſis, Roterodamenſis, Societates Albinum numero ſuo aggregarunt, quarum exemplum forte omnes ſecutae eſſent, niſi ſatis ſuperque oſtendiſſet, hanc non eſſe, quam expetebat, gloriam.

Adflictam fuiſſe Academiam, de qua per quinquaginta annos tam praeclare meritus fuit, obitu Albini; ſummo moerore adfectos fuiſſe omnes, qui magnorum hominum ingeniis & diſciplinarum incrementis favent, quis miratur? Eandem jacturam etiam graviter tulerunt Academiae Curatores, qui quodammodo, quod amiſerant, reſarcire ſtuduerunt, emta, pretio non vituperando, Supellectile Ipſius Anatomica, quae ab eo tempore illuſtrandis Praelectionibus Phyſiologicis inſervit, quae, omni cura & attentione adſervata, quotannis a curioſis bene multis cum admiratione conſpicitur, quovis momento memoriam viri ſummi recolens, & famam ejusdem, quamdiu Theatrum Anatomicum ſupererit, conſervans.

Vacabat morte Albini Phyſiologiam docendi munus, illudque Illuſtres & Nobiliſſimi Academiae Curatores demandarunt defuncti Fratri, qui hucusque Anatomen & Chi-

(*q*) Biblioth. Anatom. Tom. 2. pag. 126.

(*r*) Male in Comment. Lipſ. Vol. 17. pag. 551. dicitur; Albini viduam fuiſſe filiam Stephani du Peyrou & Margaretae Clarae Mayffart, ampliſſimi Lucae Trip Dirkzoon, Commiſſarii Amſtelaedamenſis, viduae. Ipſa enim Clara Dorothea nupta fuit primo matrimonio Lucae Trip; ſecundo Albino noſtro; tertio Conſuli Amſtelaedamenſi Hoofd.

Chirurgiam tradiderat ; hanc vero provinciam , volentibus Iisdem , ipſe, qui Hagae Comitum Poliatri munere fungebar, & per multos annos utriusque Albini diſcipulus fueram , in me ſuſcepi tradendam.

Fredericus Bernardus Albinus natus eſt Lugduni-Batavorum 20. Junii 1715. Linguas Litterasque humaniores edoctus , in Mathematicis & Philoſophicis egregie verſatus , medico ſtudio, Patris Fratrumque veſtigia legens , ſeſe totum dedit, & ſummorum , qui Academiam , eo tempore florentiſſimam , cum maxime ornabant , virorum Boerhavii , Oosterdykii , Albini fratris , Royeni , Gaubii , 's Graveſandii , ut in omnibus Medicinae ac Philoſophiae partibus erudiretur , praeceptis , per bene multos annos , tanta ſedulitate, tanto ſtudio, interfuit, ut ſummos inde retulerit fructus , tantamque ſibi rerum omnium , medico ſcitu neceſſariarum , paraverit ſcientiam , ut Facultas medica, poſtquam 21. Decembris 1737. varia ſubierat examina, ore Boerhaavii, tunc ultima vice Decani, ejus eruditioni, ingenio, & virtuti teſtimonium dederit eximium , & promotionem more Majorum obtulerit (*s*). Ipſe tamen , exiſtimans ſuam , quam hac in Academia acquiſiverat , eruditionem non parum augeri poſſe , ſi exteras inviſeret regiones , & aliorum praeceptis etiam imbueretur , Pariſios Londinumque ſeſe contulit ; ibique praecipuos viros non tantum docentes audivit , ſed & Noſocomia ſedulo frequentando in medica & praecipue chirurgica praxi ſeſe exercuit, artem obſtetriciam & anatomen omni ſtudio excoluit , Pariſiis Winslowii , cum quo intimam contraxerat amicitiam, conſilio ac peritia non ſine fructu uſus.

In patriam reverſus die 22. Decembris 1740. & Philoſophiae & Medicinae Doctor dictus eſt , quos honores ut capeſceret , conſcripſit publiceque defendit diſſertationes, de meteoris ignitis, & de deglutitione, quarum poſterior omnium peritorum ſuffragia tulit , & etiam nunc inter optimas circa hanc intricatam functionem commentationes numeratur.

Ab eo tempore Amſtelaedami medicam artem exercuit , cum praecipuis hujus Urbis Medicis familiariter verſatus , conſentientibus Ampliſſimis Urbis Conſulibus, in Noſocomio Anatomen exercuit , & plurima cadavera ſecuit.

Quum vero Frater ipſius per viginti & quinque annos noſtra in Academia anatomen demonſtraſſet , & valetudo eum vix ſineret , ulterius tali , qua ſolitus erat , ſedulitate iſti difficili labori vacare , noſter , tanquam Anatomiae & Chirurgiae Lector, hanc in Academiam vocatus eſt , ut Fratrem ſublevaret. A teneris ſtudio Anatomico maxime deditus , exercitium artis chirurgicae medicae praeferens , lubenter oblationem hujus provinciae 9. Auguſti 1745. non tantum accepit , ſed & mox , habita vigeſimo Octobris Oratione , de Amoenitatibus Anatomicis, auſpicatus eſt. Per biennium tanto ſtudio Anatomen & Chirurgiam, in inſigni Auditorum corona, explicuit, demonſtravit , ut digniſſimum illum cenſuerint Academiae Curatores , qui ordina-

(*s*) Acta Facultatis Medicae Vol. 3. MS.

dinarius Anatomes & Chirurgiae Profeſſor diceretur, quod munus ipſi 6. Decembris 1747. obtulerunt; ille vero 28. Junii 1748., finitis prius laboribus hybernis, habita Oratione de cauſis diſſentionum inter Anatomicos, locum inter Senatores Academicos occupavit.

Februarii primo 1753. Senatus Actuarius, octavo vero 1754. Rector Magnificus dictus eſt. Hunc vero Magiſtratum, quem ſi quis alius digne ſuſtinuit, poſuit habita Oratione de praeſtantia Chirurgiae. Altera vice eandem dignitatem 8. Februarii 1767. Sermone de amictus noxis habito, ſucceſſori tradidit; tertium vero 8. Februarii 1778. Rector dictus morte impeditus fuit, quominus ad ſtatutum terminum Academiam regeret. Nemini lubentius, ut merito dicebat Clar. van der Kemp, tum Senatus Actuarius, cum in locum Albini Rectorem proclamaret Clar. van Doeveren; nemini lubentius honorem hunc Academia gratulabatur, quia, ut nemo erat legum decretorumque peritior, nemo juſti & aequi vindex acrior, nemo rerum perplexiſſimarum moderator & effector, ſimul expeditior & felicior, ſic nemo quoque erat juribus Academicis ſartis tectisque ſervandis aut prudentior tector, aut fortior defenſor. Quicquid rerum Academicarum agebat, id ſemper ſolebat ad Athenaei noſtri ſplendorem atque utilitatem referre. Ipſi Academiae ſalus & decus conſtans agendi norma, ſuprema ſemper lex fuit. Vera Academiae commoda perſpiciens, quid rebus noſtris profuturum, quid nociturum, optime tenebat.

Tanquam Academiae Doctorem ſi noſtrum conſideremus, inter magnos revera magnum fuiſſe, communi omnium teſtimonio & conſenſu adfirmatur. Quanta in docendo rerum haud vulgarium copia, quanta in indagando ſolertia, quanta in narrando fide, quanta in explicando perſpicuitate, quanta in demonſtrando firmitate, quanta in agendo dexteritate, uteretur, ipſe, per multos annos ſedulus non tantum auditor, ſed ob ſingularem, qua me ſemper proſecutus eſt, amicitiam comes & in ſectionibus anatomicis & in faciendis operationibus chirurgicis adjutor, ſumma cum admiratione expertus ſum, expertique ſunt omnes, qui praelectionibus ipſius & demonſtrationibus interfuerunt, aut curae ipſius ſeſe commiſerunt.

Valetudine minus proſpera uſus, ſubinde graviſſimis etiam morbis conflictatus, ſaepe ita, ut ipſe optabat, officio ſuo fungi non potuit, vel ſic tamen per viginti & quinque annos anatomico cultro innumera cadavera examinavit, corporisque humani fabricam, chirurgiam, & artem obſtetriciam tam accurate explicavit & demonſtravit, ut ex ipſius Schola peritiſſimi etiam prodierint & Medici & Anatomici, donec, mortuo Fratre, Ipſius in locum Medicinae Profeſſor creatus, hanc provinciam 30. Aprilis 1770. Oratione de ambulatione, eaque utili & neceſſaria & jucunda, in ſe ſuſciperet, ac poſtea ſolam Phyſiologiam explicaret. Hanc autem Orationem pariter ac quatuor alias, antea habitas, in lucem non emiſit, quum vero Praelectiones Phyſiologicas haberet, ſtatim perſpexit, Auditoribus utiliſſimum fore compendium, quod Fratris, quod ſua praecepta, complectens, Auditores velut manu duceret ad cognoſcendas corporis humani functiones; ſic natus eſt Libellus de natura humana, quam ſummis laudibus extulerunt periti omnes. Hunc commentatus eſt, hunc

hunc Fratris praeparatis illuſtravit, non adeo ſuis: nec hoc mirum alicui videatur, non enim per valetudinem, licet ſupra vires diligens, praeter diſſectiones, in uſum Auditorum inſtituendas, potuit alias facere, eum in finem, ut ſibi Muſeum Anatomicum pararet, neque unquam in animum induxit, ſe ſupervicturum Fratri, neque melius valuit eo mortuo; licet enim obſervantiſſimus eſſet diaetae, omnibus, quae ullo modo ſanitati obeſſe poſſent, caute abſtineret, tamen vires eum ſenſim ſic deſtituerunt, ut 23. Maji 1778. ſuccumberet, natus annos circiter ſexaginta tres, eximiam ſuam inſtrumentorum chirurgicorum collectionem Theatro Anatomico relinquens, cum praeparatis fraternis adſervandam; quae mihi, ab eo tempore non Anatomes & Chirurgiae tantum, ſed etiam Medicinae Profeſſori, & loco Albini Phyſiologiam docenti, memoriam Viri, de ſtudio Medico, de me ipſo optime meriti, praeceptoris, amici, fautoris, collegae, quotidie in animum revocat, & poſteris quoque commendabit.

I

SUPELLEX ANATOMICA RAUIANA.

SUPELLEX ANATOMICA RAUIANA.

Tria ſunt Repoſitoria, duo majora, & tertium minus, in quibus Apparatus hicce totus eſt dispoſitus.

Repositorium primum majus.

A. *Sceleta.*

N°. I. Sceleton artificiale viri adulti integrum, cum appenſis oſſe hyoïde & laryngis cartilaginibus exſiccatis. Verae cartilagines, quae coſtas cum pectoris oſſe committunt, & additamenta quoque cartilaginea inferiorum coſtarum, deſunt; eorumque locum factitia, ex cera, tenent. Dein notandum, quod maxillam inferiorem ad tubercula oſſium temporum filis aeneis adaptaverit; quod & in aliis capitibus fecit. Hac enim verſabatur in opinione Rauius, maxillae inferioris capita non in ſinus oſſium ſquamoſorum immitti, ſed tuberculis, quae ante ſinus iſtos ſunt, inniti, ideoque praeſertim interponi lamellam cartilagineam, utrimque cavam, ut tubera utrimque excipiat, & inter ſe apte committat.

II. Sceleton artificiale foeminae adultae integrum, cum oſſe hyoïde & cartilaginibus laryngis; coſtarum cartilaginibus ſimiliter ex cera factitiis.

III. Sceleton junioris naturale; id eſt, ſic paratum, ut oſſa ejus inter ſe connectantur ligamentis propriis exſiccatis.

IV. Sceleton naturale junioris; annorum circiter ſex.

V. Sceleton ſimile naturale, pueri triennis.

VI. Sceleton naturale, biennis.

VII. Sceleton naturale infantis recenter nati, maturi.

VIII. Sceleton naturale foetus immaturi.

IX. Sceleton naturale ſimiae caudatae.

X. Sceleton naturale felis.

B. *Capita oſſea humana, varia; aetate, ſexu, natione, craſſitie, magnitudine & forma praeternaturalibus, morboſa conſtitutione, atque oſſium ſolutione artificioſa, inter ſe diverſa.*

I. *Capita oſſea adultorum.*

N°. I. Virile integrum.

II. III. IV. V. VI. VII. Virilia omnia; ſed pars cranii dimidia quaſi, ſuperior, ſerrae ope ab inferiore diviſa eſt.

VIII. IX. Similia praecedentibus, niſi quod ſutura ſagittalis ad naſi officula usque excurrat.

X. Caput oſſeum Angli; ut inſcripſit.

XI. Caput oſſeum Hiſpani; hic frontis os anterius & cuneiforme ſuperius, ad ſinuum regionem orbiculariter exſecta ſunt; ut ſinus in utroque duo, & ſepta, quibus diſtinguuntur, conſpiciantur. Ablata quoque a proceſſu mammillari eſt exterior cruſta, ut appareant cellulae ejus.

XII. Caput oſſeum Galli.

XIII. Caput oſſeum Aethiopis. Naſus, totaque facies, lata, plana, & depreſſa ſunt. Supercilia oſſea prope naſum admodum eminent, & verſus inferiora inſigniter deprimuntur.

XIV. Caput oſſeum ſenis, magnum.

XV. XVI. XVII. XVIII. Capita oſſea foeminina.

XIX. Caput oſſeum foemininum, cujus proceſſus ſtyliformes tribus fragmentis oſſeis, ordine ſe invicem excipientibus, & per ligamenta inter ſe connexis, conſtruuntur.

XX. Caput oſſeum Anglae, ut inſcriptio habet; ſutura ſagittalis ad naſum excurrit.

XXI. Caput oſſeum mulieris Malabaricae. Oſſa ſuperiora ſunt admodum tenuia, maxillae anguſtae, ſutura ſagittalis frontem ſecat. Praeterea ſuperius carie exeſum eſt.

XXII. Caput oſſeum anus annorum nonaginta, magnum ſatis. In oſſe verticis ſiniſtro apparet incipiens caries.

XXIII. Caput oſſeum anus edentulae; cui ſutura ſagittalis frontem ſecat.

XXIV. Caput oſſeum virile, cujus ſutura ſagittalis tota deleta eſt; os vero ad ejus locum extrinſecus amplo & oblongo ſinu depreſſum eſt. Os occipitis, ad ſuturae iſtius locum, non acumine, ut ſolet, ſed lata linea terminatur.

XXV. Caput oſſeum virile, ubi ſuturam lamdiformem totam oſſa, Wormiana vulgo dicta, plura & magna occupant.

XXVI. Caput oſſeum virile, magnum, cujus oſſa valde tenuia.

XXVII. Caput oſſeum virile; cujus oſſa frontis, verticis, occipitis, ſquamoſa, & cuneiformis laterales partes, quae in temporibus conſiſtunt, fere digitum craſſa,

ſub-

ſubſtantia oſſea fungoſa quaſi, rara, copioſiſſima, inter binas tabulas eorum, per ſe ſatis tenues, repoſita. Hujus Capitis deſcriptionem ac delineationem in Exercitationibus Academicis Lib. II. cap. 2. pag. 31. Tab. III. Fig. 1. dedi, oſtendique tunc, ſinus frontales, quorum veſtigium nullum apparere, dixerat Clar. Albinus, revera adeſſe, ſed parvos. Latius autem de hoc capite, ut & de nonnullis ſequentibus, dicendi occaſio erit in Sectione quarta hujus Muſei, qua oſſa, morbo aut naturae luſu a ſtatu ſano vel naturali aberrantia, deſcribuntur.

XXVIII. Caput oſſeum virile, praecedente tenuius quidem; ſed tamen craſſum admodum, & praeterea compactiſſimum, forte, & valde ponderoſum. Os frontis miris tuberibus extrinſecus inaequale eſt.

XXIX. Caput oſſeum, cujus oſſa verticis, temporum & jugalia a caeteris ſoluta ſunt; totum mirabiliter craſſum, compactum, durum, forte, ponderoſum, & mire etiam ubique a naturali ſpecie recedens. Foeminae Aethiopicae eſſe Cl. Rau dicentem aliquando audiviſſe, videbatur ſibi recordari Cl. Albinus. Conf. Exercitationum Academicarum Lib. II. cap. 2. Tab. III.

XXX. Caput oſſeum, cujus oſſa, imprimis verticis & ſquamoſa, partes autem frontis anterior, occipitis ſuperior, & cuneiformis laterales, in vaſtam magnitudinem excreverunt; craſſa tamen & ſeſe undique contingentia. Maxilla autem ſuperior, & quibus haec adnectitur, partes calvariae oſſium, oſſa petroſa, & inter haec media occipitis oſſis pars anterior, proceſſusque coronoïdei, a magnitudine conſueta non receſſerunt. Deëſt maxilla inferior. Fronti manu Cl. Otthonis Heurnii inſcriptum eſt: Caput ruſtici annorum 40. ex pago Goudae vicino Wensveen, anno 1628. Appellabant eum Laurentiolum ebrioſum, quod per diverſoria perpetuo divagaretur. Erat ſtaturae puſillae, & ingenii tenuis & hebetis.

Miri hujus capitis exactam figuram dedi, in Exercitationibus Academicis Lib. I. cap. 4. Tab. IV., omnes ipſius dimenſiones memoravi, & oſtendere conatus ſum, a cauſa interna, forte ex hydrocephalo, in enormem molem excreviſſe hocce caput. Eandem deſcriptionem repetam in quarta hujus Muſei Sectione. Alius, cum hoc in multis convenientis, quod Harlemi adſervatur, cranii deſcriptionem invenire licet, in Exercitat. Acad. Lib. II. cap. 1. in not. pag. 2., ubi ſimul mentionem feci calvariae prodigioſae magnitudinis, quae Bonnae exſtat. Conf. Ejusdem libri Tab. VIII.

XXXI. Capitis oſſei humani, prodigioſae magnitudinis & formae etiam depravatae, oſſa calvariae omnia, ſolis verticis oſſibus exceptis, integra fere, & craſſa admodum. Singularem, quam ſubierunt haec oſſa, mutationem multis deſcipſit Clar. Albinus, oſtenditque, Cl. Molyneux, qui de oſſe frontis in Philoſophicis Transactionibus egerat, & probabilibus argumentis multa eruditione adſtruere conatus fuerat, fuiſſe os gigantis, erraſſe. Sed haec omnia tum demum memoranda veniunt, ubi de hoc capite in Sectione quarta hujus Muſei dicendum erit.

XXXII. Caput oſſeum foeminae, cujus os verticis carie mire exeſum; ſic & oſſis cuneiformis baſis, & vicina ei occipitis oſſis pars, inter duo oſſa petroſa, fere usque ad magnum foramen, exeſa interierunt.

II. *Capita ossea juniorum.*

XXXIII. Puellae annorum octodecim, integrum; ubi futura sagittalis ad nasi ossa adhuc excurrit.

XXXIV—XLVI. Capita ossea juniorum, aetatis variae; quae tamen magnitudine inter se non multum discrepant.

III. *Capita ossea adultorum & juniorum in singula ossa sua soluta.*

XLVII. XLVIII. Adulta virilia.

XLIX. Adultum muliebre.

L. Junioris.

LI. Junioris, magna ex parte dissolutum.

LII. Adultum, virile, cujus ossa jugalia, temporum dextrum & spongiosum, a caeteris, inter se adhuc cohaerentibus, soluta sunt.

LIII. Ossa cranii inter se cohaerentia sola, remota maxilla superiore.

IV. *Capita ossea* XIII. *foetuum immaturorum, quinque, sex, septemve mensium.*

Spectari in iis possunt magnitudinis & figurae bregmatis membranacei varietates. In nonnullis adest quoque membrana tympani, & sub ea conspiciuntur auditus officula: in aliis, membrana tympani remota, apparent dicta officula; in his in situ, in illis extra situm, vel & his remotis, tympanum vacuum. Dentes adsunt in maxillis superioribus; absunt autem maxillae inferiores; quibus ad odontologiam parandam usus est.

C. *Ossa quaedam majora adultorum, male formata, vel carie, exostosi, ancylosi, affecta.*

Nº. I. Vertebrae dorsi humani novem; quarum corpora substantia ossea hinc & inde, processus autem obliqui omnes inter se penitus coaluerunt. Figuram simul mire incurvatam, & S haud absimilem conficiunt. Adhaerent praeterea quatuor utrimque costae, depravatae figurae, firmiter connatae cum vertebris.

II. Vertebrae dorsi inferiores quinque; e quarum corporibus, anterius, ubi sibi mutuo occurrunt, effusa quasi substantia ossea tubera magna & inaequalia producit, omnesque inter se firmiter connectit.

III. Os sacrum cum innominato ancylosi concretum.

IV. Radius dexter cum ossibus carpi & metacarpi quatuor ancylosi mire concreta, ut carpi ossa omnia in unum os deforme abierint.

V. Os femoris adulti, cujus pars dimidia inferior, carniosa, praeter naturam mirabiliter crassior facta est, & tota etiam extrinsecus laminas osseas, fibras, spinas, tubera, magna, parva, inaequalia, aspera, posterius praesertim, produxit. Posterius, paulo

paulo ſupra condylos, in medio foramen eſt ovale magnum, digiti minoris apicem facile admittens, ad interiora tendens, & profunde excavatum.

VI. Os femoris adulti, prope articulum genu mire deformatum. Pars longitudinis ejus circiter tertia inferior, quaſi fracta fuiſſet, & male repoſita, ita ad poſteriora fere horizontaliter fertur, ut cum ſuperiore oſſis femoris parte angulum propemodum rectum faciat; anterius vero cum ea tuber magnum, convexum, genu vel patellae inſtar, conſtituat. Porro tota haec pars inferior praeter naturam craſſa eſt, extrinſecus inaequalis, intrinſecus tota cuniculoſa; & praeter minora quaedam foramina, in latere externo, ad anguli locum, foramen habet admodum magnum & profundum, in quo ſemicanalis oſſeus, craſſus, mobilis, haeret. Denique ex anteriore hujus partis regione, inter duos condylos, excrevit collum quaſi oſſeum, forte, craſſum, foraminulentum, quod in patellam definit. Condyli naturalem formam penitus quoque amiſerunt.

VII. Os tibiae & fibulae, adulta, quae a naturali ſpecie penitus receſſerunt, & mire carioſa ſunt. Notabile inprimis eſt, quod per ſeptem magna tibiae foramina appareat intus canalis oſſeus, amplus, fortis, hinc inde interruptus, mobilis, per totam fere tibiae oſſis longitudinem exporrectus.

VIII. Os femoris adulti, ex cujus regione interiore, nonnihil ſub trochantere inferiore, enata eſt exoſtoſis dura, compacta, ovalis, convexa, longitudinis trium pollicum, & unius quartae pollicis partis, latitudinis in medio circiter pollicis unius cum dimidio, craſſitiëi pollicis circiter. Haec autem ferrae ope ab oſſe nitide reſecta eſt, ut appareat origo & natura ejus.

IX. Pars cranii adulti dimidia ſuperior; ex cujus verticis oſſis latere exoſtoſis oblonga, convexa, laevis, ſolida, fabae minoris vulgaris magnitudine, enata eſt.

X. Tibia & fibula adulti. Tibia prope aſtragalum fracta, male repoſita, hinc brevior facta, effudit callum, quo cum fibula concrevit.

XI. Varia fruſta oſſium cranii carioſa, a lue venerea.

De his etiam oſſibus morboſis in Sectione quarta dicendum erit.

Repositorium Secundum Majus.

Aſſer I.

A. Sceleti oſſa diſſoluta; quorum & pleraeque epiphyſes a corporibus ſuis ſolutae ſunt.

B. Aliud ſceleton, ſimiliter diſſolutum; ſeparatis quoque epiphyſibus; ſed minus, & junioris, ut videtur.

Aſſer II.

A. Sceleton adulti, diſſolutum, integrum, elegans; ejus aetatis, ut pleraeque epiphyſes jam perfectae, a corporibus oſſium tamen adhuc diſtinctae, iis exſiccato proprio ſub cartilagineo glutine adhaereant. *B.*

B. Sceleton diſſolutum, junioris, ejus aetatis; ut epiphyſes, corporibus adnexae, magnam partem adhuc ſint cartilagineae, intus tantum oſſeae; unde cartilagine inaequaliter exſiccata, inperfectae apparent.

C. *Theca* continens in

Loculo 1. Sceleton diſſolutum, recenter nati.

Loc. 2. Sceleton abortus diſſolutum. Quicquid horum oſſiculorum in hac aetate eſt cartilagineum, ſervatum non eſt; hinc deſunt omnes epiphyſes, additamenta cartilaginea, cartilagines oſſa incruſtantes, partes eorum nectentes inter ſe, totus carpus, pleraque tarſi oſſa, patellae, ſeſamoïdea.

D. *Theca in tredecim loculos diviſa*, & continens varia oſſa juniorum, variae aetatis, abortuum, recenter natorum, paulo adultiorum, quae pariter cartilaginibus omnibus ſunt orbata.

Loc. 1. Vertebrae; in tres partes, corpus & duas laterales, ſingulae diviſae; exceptis prima & ſecunda colli, quae deſunt.

Loc. 2. Coſtae.

Loc. 3. Sterna; in quibus elegans in oſſiculis, in cartilagine ſicca haerentibus; adeſt varietas.

Loc. 4. Oſſa innominata; ſingula in tres partes, ileum, iſchium, & pubis, ſoluta.

Loc. 5. Oſſa femoris.

Loc. 6. Tibiae.

Loc. 7. Fibulae.

Loc. 8. Scapulae.

Loc. 9. Claviculae.

Loc. 10. Humeri.

Loc. 11. Ulnae.

Loc. 12. Radii.

Loc. 13. Oſſicula metacarpi, metatarſi, digitorum, manus, pedis.

Aſſer III.

Oſſa trunci adultorum & juniorum varia.

A. *Diſſoluta.*

Theca I. Atlantes & Epiſtrophei adultorum.

II. Septem colli vertebrae, adulti: bis.

III. Colli vertebrae inferiores quinque, adultorum, variae.

IV. Colli & nonnullae dorſi vertebrae adultorum.

V. Oſſa utriusque carpi, metacarpi, digitorum manus adulti perpulchra.

VI. Eadem, unius lateris.

VII. Oſſa tarſi, metatarſi, digitorum pedis, adulti, nitida.

VIII. Vertebrae juniorum.

IX. Coſtae juniorum.

X. Pleraque oſſa trunci, ex infante.

XI. Plures juniorum epiphyſes; quaedam ſolutae; quaedam oſſibus ſuis adhuc haerentes, ligamentis propriis, ſiccatis, cinctae. Cartilagines intervertebrales. Auris Cartilago.

B. *Liganentis ſuis propriis; exſiccatis, cohaerentia; adultorum.*

No. I. Brachium; oſſe humeri, paullo ſupra articulum ejus cum ulna & radio, reſecto.

II. Officulorum carpi ordo ſecundus, oſſa metacarpi & digitorum.

III. (a) Tibia, fibula, patella.

(b) ejusdem, reliquus, extremus pes.

IV. Pes extremus totus, cum tibiae & fibulae portionibus, ſupra malleolos reſectis.

V. Sterna, cum adnexis coſtarum cartilaginibus ſiccatis. Quaedam, praeter cartilaginem enſiformem, in nonnullis oſſeam, conſtant ex duobus, alia ex quatuor, quinqueve oſſibus.

Aſſer IV.

Abortuum, foetuum, recenter natorum, variae aetatis, dorſi ſpinae; artus ſuperiores, inferiores; extremae manus & pedes, propriis, ſiccatis, ligamentis connexa; adſunt & ſingula quaedam officula.

Aſſer V.

Thecae viginti & novem, continentes capita oſſea abortuum, recenter natorum, paullo adultiorum, varia, diſſoluta, nitida.

Theca. I. Abortus quinque menſium, perelegans, tenerrimum.

II. Abortus quinque menſium: majora tamen ſunt omnia oſſa, & paullo firmiora, quam praecedentis.

III. Simile fere praecedenti.

IV. Pulchrum; paullo provectioris aetatis, quam Th. III.

V. VI. Abortus ſex menſium.

VII. Ejusdem aetatis cum praecedente. In dextro oſſe petroſo, deleto foramine ovali & rotundo, ſic aperto veſtibulo, apparent orificia quinque canalium ſemicircularium: effracta quoque cochlea, patet lamina ejus ſpiralis. In ſiniſtro petroſo oſſe aquaeductus Falloppii hinc inde effractus eſt: cochlea fere tota aperta, conſpicitur ſpiralis lamina: effractus praeterea eſt canalis ſemicircularis interior.

VIII. Abortus ſeptem menſium.

IX. X. XI. XII. Abortus octo menſium.
XIII. XIV. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. XX. XXI. XXII. Recenter nati, maturi.
XXIII. Adultioris.
XXIV. XXV. Adhuc adultiorum.
XXVI. Infantis ſex hebdomadas nati: ubi omnia oſſa perfectiora.
XXVII. Infantis duos menſes nati.
XXVIII. Infantis quinque menſes nati: omnia ſunt firmiora.
XXIX. Infantis decem menſes nati.

Aſſer VI.

I. *Lagenae vitreae in liquore ſervantes ea, quibus oſſium trunci artuumque, ortus, incrementum, & ſucceſſiva mutatio, demonſtrantur.*

A. *Abortuum & recenter natorum.*

N°. I. Spina dorſi, recenter nati, conſtans vertebris omnibus ab epiſtrophaeo ad ſacrum os; ſacro oſſe. In qua praeſertim apparent, corpora vertebrarum oſſea, ſupra infraque cartilagine incruſtata; lamellae intervertebrales; ſpinae cartilagineae; appendices cartilagineae ad proceſſus transverſos nonnullos adhaerentes.

Spina dorſi alia, minor, abortus, forte ſex menſium; imperfectior.

II. Spinae dorſi portiones; vertebrae quaedam ſolutae; corpora vertebrarum ſola.

III. Coſtae abortus, fere maturi; appendicibus ſuis cartilagineis, ad ſternum pertingentibus, inſtructae.

IV. Coſtae recenter nati.

V. Coſtae paullo adultioris.

VI. Quinque ſterna abortuum, & recenter natorum; adhaerentibus praeterea nonnullis coſtarum cartilaginibus. Ubi elegans in officulorum ſterni numero, magnitudine, & poſitura varietas deprehenditur.

VII. Duo ſterna, recenter nati, & paullo adultioris.

VIII. Sex innominata oſſa, abortuum, & recenter natorum; in quibus patet, quomodo ex tribus oſſibus, cartilagine connexis, coaleſcant, iliûmque os margo cartilagineus craſſus ſuperius cingat & augeat.

IX. Claviculae abortuum & recenter natorum, nullis additamentis cartilagineis inſtructae.

X. Sex ſcapulae abortuum & recenter natorum. Unius ex his baſi adhaeret limbus cartilagineus; & anterius cartilagineum additamentum, producens ſinum, cui articulatur os humeri.

XI. Abortuum tria humeri oſſa, quorum unum utrimque appendicibus cartilagineis inſtructum eſt.

XII. Tria humeri oſſa, recenter nati, cum appendicibus cartilagineis ſuis.

XIII. Ulnae quatuor abortuum, & recenter natorum, quarum duae utrimque appendicibus cartilagineis augentur.

XIV. Radii duo, quorum uni appendix cartilaginea posterior adhaeret.

XV. XVI. Carpi, abortus fere maturi, solutae cartilagines: adhaerent eis ligamentorum relliquiae.

XVII. Superius à filo pendent quatuor ossa metacarpi abortus, cum appendicibus suis imperfectioribus. Inferius autem recens nati ossa metacarpi duo, digiti ossa, primum, secundum & tertium.

XVIII. Metacarpi & ossa digitorum manus, abortus, forte sex mensium: pleraeque appendices cartilagineae imperfectiores, & ab officulis suis separatae sunt.

XIX. Eadem paullo adultioris, adhaerentibus eis copiosis ligamentorum & perioștei relliquiis.

XX. Quatuor ossa femoris, abortuum & recenter natorum, appendicibus cartilagineis instructa, quibus ligamentorum relliquiae adhaerent.

XXI. Tria femoris ossa, paullo majora praecedentibus: appendices cartilagineae perfectius servatae sunt: à duobus appendices inferiores solutae sunt.

XXII. Quatuor tibiae abortuum & recenter natorum; cum suis appendicibus cartilagineis.

XXIII. Tres tibiae paullo majores praecedentibus; à duabus separatae sunt cartilagines superiores.

XXIV. Quatuor fibulae, abortuum & recenter natorum, cum appendicibus suis superioribus; inferiores ab omnibus ceciderunt; duae solutae adjacent.

XXV. Octo patellae, abortuum & recenter natorum, totae cartilagineae.

XXVI. Tarsi partes, abortuum & recenter natorum, totae cartilagineae, excepto calcaneo & astragalo in centro osseis: adhaerent eis ligamentorum relliquiae.

XXVII. Eaedem adultioris, elegantiores; ubi praeter calcaneum & astragalum, etiam cuboides in medio osseum est.

XXVIII. Eaedem propriis ligamentis cohaerentes.

XXIX. Recenter nati, unius lateris tarsus & metatarsus, propriis ligamentis connexi: alterius autem lateris soluti: adsunt & digitorum quaedam officula.

XXX. Metatarsus & digiti pedis recenter nati; relictis ligamentorum & perioștei membranulis & filamentis.

XXXI. Eadem elegantiora.

XXXII. Sceleton, solutum, aetatis paullo provectioris quam recenter nati, fere integrum, imperfectius; adhaerent copiosae ligamentorum & perioștei relliquiae.

XXXIII. Sceleton recenter nati, dissolutum; ubi singula ossa & cartilagines perioștei, perichondrii, & ligamentorum copiosis relliquiis, tota fere obteguntur.

XXXIV. Scapula, os innominatum, duo femora, duae tibiae, humerus, duae fibulae, ulna, radius, claviculae, paullo adultioris, quam recenter nati.

XXXV. Patella, ossa tarsi, appendices quaedam; ad demonstrandum, quomodo cartilagines in medio ossescant.

B. *Adultioris.*

XXXVI. Scapulae duae.
XXXVII. Carpi officula, & tarsus, pleraque ligamentis suis connexa.
XXXVIII. Metacarpi & digitorum manus ossa.
XXXIX. Metatarsi & digitorum pedis ossa.
XL. Patellae.

C. *Multo adultioris; ubi ossa majora, robustiora, multae cartilagines imminutae, sicciores, firmiores, opacae.*

XLI. Vertebrae, minus cartilagineae, firmae satis, perfectiores.
XLII. Costae.
XLIII. Sternum, elegans; cum adhaerentibus cartilaginibus costarum verarum. Adsunt quoque cartilagines costarum solutae.
XLIV. Ossa innominata. Cartilagines multum imminutae sunt, & densiores.
XLV. Femora, tibiae, fibulae.
XLVI. Patellae, maximam partem osseae.
XLVII. Tarsus, pariter osseus, maxima ex parte: adhaerent copiosae ligamentorum relliquiae.
XLVIII. Metatarsus, & digitorum pedis ossa.
XLIX. Scapulae.
L. Claviculae.
LI. Humeri, ulnae, radii.
LII. Carpus, metacarpus, & digiti manus: relictis ligamentorum relliquiis.

II. *Lagenae vitreae in liquore similiter continentes juniorum & adultorum Laryngis partes.*

LIII. Os yoides adulti, ex basi & duobus cornubus, cartilagine connexis, constans; cornuum apicibus cartilagine incrustatis & auctis quasi. Cartilago scutiformis, cricoides, arytaenoideae. Cartilagines primae asperae arteriae.
LIV. Ossis yoidis adultioris tres partes à se invicem solutae; cartilago scutiformis, cricoides, arytaenoideae.
LV. Eadem junioris, propriis ligamentis suis cohaerentia.
LVI. Adulti larynx cum asperae arteriae principio; omnibus propriis ligamentis suis inter se nexis.
LVII. Asperae arteriae cartilagines, quaedam solutae; quaedam propriis cohaerentes ligamentis.

III. *Lagenae, ut ſupra, continentes oſſa adultorum, ad demonſtrandas cartilagineas, tenues, laeves, ſplendentes cruſtas, quibus obducuntur iis partibus, quibus cum aliis oſſibus committuntur, mobili articulo.*

LVIII. Oſſa carpi, & ſeſamoidea.
LIX. Metacarpi & digiti manuum.
LX. Tarſi oſſa.
LXI. Metatarſi & digiti pedum.

IV. *Lagenae, ut ſupra, continentes juniorum & adultiorum oſſa varia fiſſa, & fracta, ad varia demonſtranda.*

LXII. Os humeri & ulna, junioris; utrumque ſecundum longitudinem fiſſum eſt, ut appareat textura interior fibrata, & quomodo appendices cartilagineae, in centris ſuis ſeorſim oſſeſcentes, corporibus oſſium cartilagineo nexu cohaerent.

LXIII. Similia fruſtula aliorum oſſium, adultiorum.
LXIV. Partes oſſeae, effractae, ad demonſtrandam texturam interiorem fibroſam.
LXV. Similes, medulla leviter oppletae.
LXVI. Adultorum oſſium effractorum fruſta, ad exhibenda eadem.
LXVII. Similia, perioſteo cincta, & medulla oppletiſſima.

Aſſer VII.

A.

I. Adultorum oſſa pleraque, varia, fiſſa, fracta, ſerra diviſa; ſecundum longitudinem, transverſaliter, oblique, diverſimode; in medio, in extremis, ad demonſtrandam eorum craſſitiem, ſoliditatem, ſtructuram interiorem, cava, cavernulas, fibratam materiem.

II. Juniorum oſſa nonnulla ſimiliter parata.

III. Recenter natorum oſſa eodem modo diviſa, in eosdem uſus.

IV. Oſſis humeri adulti partes duae cum perioſteo circumpoſito; cujus arteriolae repletae ſunt.

B.

De Dentibus.

Theca. 1. *Dentes per varias aetates.*

Loc. a. Dentes adultorum, integri, varii, radicum diverſitatem exhibentes.

b. Dentes adultorum varii, ſecundum longitudinem, transverſe, oblique, fiſſi, fracti, ſerra diviſi; ad demonſtrandam cavitatem eorum, & aperturam in radicibus.

c. Dentes plurimi juniorum variae aetatis; incipiendo ab ea, in qua radices eorum in tubi ſpeciem elongari primo incipiunt, & deſinendo in ea, ubi radicum aperturae ad extremum ſuum incipiunt arctari, & fere concreſcere.

d. Foetuum immaturorum, modo natorum, plurimi, integri, fiſſi; radicibus nondum inſtructi; ſed ſola corona conſtantes, quae folliculi oſſei, tenuis, formam habet, variam in variis.

e. Adulti dens ſecans, vaſculis repletis radicem ejus hinc inde coronantibus.

Alius ſimilis, fiſſus.

Foetus dens ſecans, & molaris, vaſculis nonnullis in cavo folliculi conſpicuis.

Dentes adultorum carioſi.

Dentes adultorum calcinati.

Theca. 2. Maxillae inferiores immaturorum, modo natorum, in partes duas diviſae; exhibentes alveolos, ea aetate adhuc imperfectos admodum. Ex plerisque dentes omnes excuſſi: aliae, dentibus adhuc inſtructae, habent praeterea ſuperinducta, exſiccataque, gingivarum involucra.

Theca. 3. Maxillae inferiores adultiorum, variae aetatis, ad demonſtrandos dentes ſecundarios.

Theca. 4.

Loc. a. Oſſa maxillaria ſuperiora foetuum, ut *Th.* 2.

b. Eadem adultiorum, ut *Th.* 3. ad eadem demonſtranda.

Theca. 5. Maxillae inferiores variae aetatis, exhibentes ſapientiae dentes.

Theca. 6. Maxillae inferiores adultorum, partim effractae, partim ſerra diviſae, ad oſtendendum canalem oſſeum, per quem arteria, vena & nervus, ramos ad ſingulos dentes emittentes, feruntur.

Theca. 7. Maxillae inferiores edentulorum; ubi excuſſis dentibus, & detritis concretisque alveolis, maxillae anguſtiores factae, & marginem acutum, fortem, dentium loco, acceperunt.

C.

De Aure.

Theca. 1. Duo Temporum oſſa adultorum, de caetero mutilata, exhibentia inprimis meatus auditorii partem oſſeam, integram, cum integumentis, quae interiora ejus inveſtiunt, ſiccatis, & prope oſſei canalis principium reſectis.

Theca. 2. Foetuum immaturorum, modo natorum, variae aetatis,

Loc. a. Oſſa ſquamoſa, integra.

b. Annuli integri, ſoluti.

c. Oſſa

c. Oſſa ſquamoſa, cum adnexis annulis, quorum nonnullis annulus vix adhaeret; aliis extremo ſuo craſſiore, aliis utrisque integre jam eſt connatus.

d. Oſſa petroſa integra, ſoluta, ſola. Eorum uni annulus leviter eſt adnatus.

Theca. 3. Oſſa temporum integra variae aetatis, à recenter natis, usque ad adulta perfectaque; ubi annulus oſſi petroſo ſquamoſoque jam accrevit; ejusque mutationes omnes in meatum auditorium, & hujus quoque ſucceſſivum incrementum, optime conſpiciuntur.

Theca. 4. *Auditus oſſicula, vulgo dicta, ſoluta, elegantia.*

Loc. a. Mallei integerrimi.

b. Mallei. Deëſt omnibus proceſſus longiſſimus & tenuiſſimus.

c. Incudes. Eorum ſingulis adhaeret oſſiculum ovale, quartum dictum.

d. Stapedes.

Theca. 5. *Fruſtula panni lanei nigri, quibus eadem oſſicula ordine ſunt adſuta.*

Loc. a. Omnia integra.

b. Eadem; ſed mallei proceſſu longiſſimo ſunt orbati.

Theca. 6.

Loc. a. Malleus & incus, nexi inter ſe, in ſitu. Incus & ſtapes connexi.

b. Quatuor oſſicula, inter ſe in ſitu cohaerentia. Praeterea malleo adhaerent muſculorum ſuorum ſiccatorum relliquiae.

Malleus & incus connexi.

Incus & ſtapes.

Incus & ſtapes. Stapedi adhaeret muſculus ſuus exſiccatus.

c. Malleus integer, cum adhaerente membrana tympani ſiccata.

d. Malleus & incus. Malleus. Stapes. In his materie rubente repleta ſunt vaſcula arterioſa, quae per ſuperficiem eorum ſunt diſperſa.

e. Orbiculo nigro adglutinati ſunt malleus, duo incudes, & duo ſtapedes, in quorum ſuperficiebus eleganter conſpiciuntur vaſcula materie rubente infarcta. Unius ſtapedis ſpatium, quod à lateribus & baſi ejus fit, apparet hic clauſum membranula tenuiſſima, per quam & vaſcula repleta diſtribuuntur.

Theca. 7.

Loc. a. N°. 1. Os ſquamoſum, cui annulus & malleus adnexi ſunt.

2. Oſſis ſquamoſi pars, cui adcrevit annulus, & adhaeret malleus cum incude.

3. Os ſquamoſum cum adnato annulo, cui adnexa eſt membrana tympani, eique malleus cum incude; vaſculis membranae tympani, & oſſiculorum ſimul pulchre repletis.

4. Os petroſum cum adcreto annulo, cui adnexa eſt tympani membrana; ejusque arteriolae eleganter ſunt repletae. Inſuper hoc os effractum eſt, ſuperius, ad interiora oſſis ſquamoſi; ut in tympanum poſſit introſpici, & ibi appareant auditus oſſicula in ſitu.

5. Similis oſſis petroſi praeparatio; niſi quod ſimul inferiora tympani prope annulum effracta ſint.

Loc. b. N°. 1. Annulus cum adhaerente portiuncula ſquamoſi oſſis ea, quae deliquium ejus ſupplet; vaſculis quoque, quae per ſuperficiem ejus diſtribuuntur, repletis.

2. Os petroſum ſolum, amotis ſcilicet ſquamoſo & annulo. Sic autem aperto tympano, vaſcula repleta in ſuperficie ejus optime conſpiciuntur.

Loc. c. Pars oſſis ſquamoſi, cum adcreto annulo, & adhaerentibus malleo & incude, ſed extra ſitum ſuum protractis, ut paterent arteriólae repletae in ſuperficie officulorum, & regionis tympani, quae ſupra annulum eſt.

Loc. d. Pars oſſis ſquamoſi; annulus & malleus; os petroſum cum ſtapede in ſitu ſuo repoſito. In his repletae ſunt arteriolae ſuperficiei tympani, annuli & officulorum.

Theca. 8. *Oſſa temporum ſic parata, ut conſpici queant officula auditus, & eorum muſculi in ſitu.*

N°. 1. Os temporum junioris, per cujus meatum auditorium introſpicienti apparent officula in ſitu, amota nempe tympani membrana. Dein pars oſſis temporum, inter ſquamoſam & petroſam media, ſuperior, ad regionem internam oſſis ſquamoſi, ablata eſt, ut aperto ſic tympano, in conſpectum veniat mallei proceſſus longiſſimus, cum ſuo muſculo, in ſitu.

2. Adultioris ſimile N°. 1. detrito ſimul aliquantisper meatu auditorio, ſed deëſt malleo proceſſus longiſſimus

3. Junioris eodem modo paratum, ubi ſimul apparet alter mallei muſculus internus, & ſtapedis muſculus.

4. Simile os adultioris, in quo inſuper membrana tympani in ſitu adeſt, cum adcreto ipſi malleo.

Theca. 9. *Demonſtrationes Aquaeductus Falloppiani.*

Loc. a. Oſſa temporum juniorum, variae aetatis, integra. Seta equina, per aquaeductum uniuscujusque trajecta, eum utcumque patefacit.

Loc. b. N°. 1. Os temporum adultioris, cujus meatus auditorius detritus, & ſeta ſimiliter per aquaeductum trajecta eſt, ut & in adultiore aetate, integer tamen, utcumque pateat.

2. Os temporum aetatis adhuc magis provectae; cujus meatus auditorius penitus detritus, & aquaeductus totus apertus eſt, quem ſetae immiſſae commonſtrant.

Theca. 10. *Labyrinthi demonſtrationes.*

Loc. a. Labyrinthus integer.

Loc. b. Labyrinthus, cujus tres canales hinc inde aperti: effracta & regio inter duas feneſtras interjecta, ut pateant veſtibuli interiora: cochlea quoque hinc inde pertuſa eſt.

Loc. c. Labyrinthus, cujus cochlea in principio aliquantiſper effracta; ut conſpiciantur ejus interiora, & lamina ſpiralis.

Loc. d. Labyrinthus, cujus cochlea per totam longitudinem ſuam aperta; ut appareat lamina ſpiralis, & vaſcula per eam diſtributa. Effracto porro, circum foramen ova-

ovale, oſſe, & aperto ſic veſtibulo, conſpiciuntur vaſcula, per ejus ſuperficiem, circa orificia canalium ſemicircularium repentia. Membranula quoque feneſtrae rotundae, ipſa etiam vaſculis inſtructa, adeſt.

Loc. e. Labyrinthus adulti, cujus canales oſſei, totaque cochlea, aperta.

Loc. f. N°. 1. Tres canales ſemicirculares cohaerentes, ſoli.

2. Tres canales ſemicirculares, eodem modo parati, & praeterea ſecundum longitudinem aperti: adhaeret quoque pars veſtibuli.

3. Unus ex canalibus ſemicircularibus.

4. Oſſis petroſi pars, quae tres canales in ſe continet; ubi, veſtibulo penitus effracto, apparent canalium iſtorum quinque orificia, per quae, & ipſos quoque canales, ſetae traductae ſunt.

Loc. g. N°. 1. Labyrinthus imperfectior cum aquaeductu; ſitum aquaeductus reſpectu labyrinthi oſtendens.

2. Labyrinthus; exhibens inprimis cochleam, ejusque laminam ſpiralem, & aquaeductum.

3. Labyrinthus, cujus canales ſemicirculares, & cochlea, effracta ſunt: ubi pars membranacea ſepti cochelae hinc inde adeſt.

4. Labyrinthus, cujus cochlea penitus effracta. Per baſeos cochleae centrum, foramine facto, trajecta ſeta indicat fundum canalis oſſis petroſi, ad quem nervi auditorii portio mollis pertingit, ad baſin nuclei cochleae terminari.

Theca. 11. *Totum auditus organum, oſſeum inprimis, ex recenter nato.*

Loc. a. Os ſquamoſum cum membrana tympani, cujus arteriolae repletae, & adhaerente malleo & incude.

b. Labyrinthus imperfectior.

Theca. 12. *Ex brutis quaedam, ad auditus organum pertinentia.*

Loc. 1. Duae oſſis temporum praeparationes ex vitulis junioribus, ad demonſtrandum in his auditorium meatum, membranam tympani, & applicatum ei malleum.

2. Ovis junioris duae praeparationes ſimiles.

3. Ex cuniculo quaedam.

Aſſer VIII.

A.

Demonſtrationes fabricae naſi interni, oſſeae praeſertim.

N°. I. Pars cranii adulti inferior, cum adnexa ei maxilla ſuperiore tota, in duas partes diviſa, ſectione ſecundum ſeptum narium, parallele ei, facta. In parte ſiniſtra apparent, ſinus frontalis, in anteriora & ſuperiora naſi apertus; cavernae oſſis ethmoidis; os ſpongioſum inferius in ſitu ſuo; & ſupra illud orificium ſinus maxil-

xillaris. In parte dextra, praeter ea, conſpiciuntur, ſinus ſphenoidalis, in poſteriora & ſuperiora naſi patens, & ſeptum narium. Anterius à parte dextra ablatum eſt fruſtum oſſis maxillaris ſuperioris, cum binis dentibus inciſoriis, & uno canino.

II. Eadem junioris; deëſt ſeptum narium. Sinus frontales & ſphenoidales nondum valde cavi ſunt.

III. Pars anterior baſeos calvariae, cum adhaerente maxilla inferiore adulti, eodem modo bipartita; ubi membrana, quae naſum internum inveſtit, exſiccata, ſervata ſimul eſt; & in parte dextra inprimis, omnia in ſitu pulchre apparent.

IV. Similis pars capitis oſſei, adulti, ſed non diviſa, elegantiſſima; ubi naſi interiora obducuntur membrana propria, ſiccata.

V. Similis fere, adulti; ſervata quoque membrana, nares inveſtiente, ſiccata.

VI. Baſis cranii adulti; in qua, detrita ſuperiore parte orbitae ſiniſtrae, ibi loci effractae cavernae oſſis ethmoidis, aperti ſinus ſphenoidales, & maxillaris; ut omnia haec muci receptacula ſimul conſpiciantur.

VII. Pars cranii, conſtans oſſibus frontis, cuneiformi, maxillaribus ſuperioribus, naſi, ethmoide, unguis, palati, inter ſe connexis, ad demonſtrandos ſinus frontales & ſphenoidales.

VIII. Pars anterior cranii infantilis, in qua, amota parte maxima oſſis maxillaris ſuperioris, apparet ſeptum narium, & elegans arteriolarum diſtributio per membranam, quae hoc ſeptum obducit, ſiccatam.

IX. Pars capitis oſſei, conſtans oſſibus frontis, naſi, ethmoide, cuneiformi, unitis; ut appareat, quid ad naſum conficiendum ſingula conferant.

B. *Diverſorum craniorum, juniorum, adultorumve, partes; exhibentes bregma membranaceum, duram matrem, ejus proceſſus, ſinus, pericranium, ſiccata omnia.*

N°. I. & II. Partes ſuperiores craniorum juniorum; ubi bregma membranaceum ſatis adhuc amplum.

III. Similis pars adultioris; ubi bregma membranaceum minus.

IV. Similis pars: ſed, praeter bregma membranaceum, adeſt dura mater, cum proceſſu falciformi ſuo, & ſinu longitudinali; trunci majores arteriarum durae matris repleti ſunt; per alterum foramen verticale trajecta eſt ſeta in ſinum iſtum.

V. Pars calvariae inferior; ubi dura mater, ejusque proceſſus transverſales ſervati. Pars ſinus longitudinalis, & uterque lateralis, materie fuſca repleti ſunt.

VI. Pars cranii junioris ſuperior, cum adhaerentibus dura matre & perioſteo, quorum arteriolae materia rubente infarctae ſunt.

VII. Pars ſimilis; ſolius pericranii arteriis repletis.

VIII. Caput oſſeum parvuli; ſervata ſimul membrana oſſa extrinſecus proxime ambiente, & ea, quae palato obducitur; harum etiam arteriolae repletae ſunt.

IX.

IX. Caput oſſeum adultioris, ſimili modo paratum. A latere ſiniſtro, ablata quadam oſſis verticis parte, in cavo calvariae apparet dura mater, cum proceſſibus ſuis.

Repositorium Tertium, Minus.

Lagenae vitreae, quae in liquore ſervant, artificioſe & varie paratas & conſervatas, partes molliores, ex hominibus & brutis variis; ad demonſtrandam earum fabricam.

I. *De epidermide, rete ſubcutaneo, pilis, unguibus, cute.*

N°. I. Epidermidis adulti fruſtula, craſſa, convoluta.

II. Fruſtum epidermidis adulti hominis, tenue, cum inhaerentibus pilis; ſub axilla detractum.

III. Epidermis de manu adulti hominis, chirothecae inſtar, integre detracta, cum adhaerentibus unguibus.

IV. Epidermis de pede extremo adulti, ſocci inſtar, detracta.

V. Chirotheca, ut N°. III. abortus.

VI. Similis N°. IV. ſoccus, junioris.

VII. Similis, adhuc junioris.

VIII. Similis, abortus.

IX. Fruſtum epidermidis de cute adulti, ſub pollice pedis, detractum; cujus ſuperficiei intrinſecae adhaeret rete ſubcutaneum.

X. Ungues digitorum manus & pedis, adulti.

XI. Adulti hominis cutis plantae pedis, convoluta; cui adhaeret epidermis, hinc inde ſeparata. Adeſt & pollex manus, cum epidermide in dorſo pollicis diſſecta, & à cute ſeparata.

XII. Digitorum manus adulti extrema; à quibus epidermis & ungues detracti, ut nuda ſub his cutis, ejusque ſub ungue habitus, appareant.

XIII. Naſi adulti pars anterior, detracta epidermide, nudam oſtendens cutem, ejusque poros, vulgo dictos. Porro in alia parte naſi anteriore, ejus cartilaginea fabrica, amotis integumentis, utcumque conſpicua eſt; adjacet & lamella cartilaginea, quae naſi ſeptum anterius facit.

XIV. Auricula adulti, & duae juniorum, detracta epidermide, oſtendentes poros cutaneos.

XV. Papilla muliebris, detracta epidermide, cujus fruſtulum adjacet, exhibens orificia ductuum galactopherorum.

II. *De Oculis.*

XVI. Bulbus oculi humani; in quo, ſclerotică undique ad corneam reſectâ, inverſâ, & ad poſteriora reflexâ, apparet choroides, & quomodo trunci vaſorum non repleti per ſcleroticam in medio tranſeant, & ad choroideam accedant.

XVII. Simili fere modo paratus oculus, niſi quod ſclerotica ad medium circiter tantum ſit reflexa, ut demonſtrentur nervi ciliares, per ſcleroticam tranſeuntes, & ad choroideam adeuntes.

XVIII. Bulbus oculi humani; à quo amota eſt cornea, diſſecta, ſeparata, & tota reflexa ſclerotica, ut conſpiciatur choroides tota, orbiculus ciliaris, uvea, pupilla, eique appoſitus humor cryſtallinus.

XIX. Bulbus oculi puerilis, cujus ſclerotica prope corneam reſecta, undique ſeparata, inverſa, verſus opticum reflexa, ut appareat choroides nuda, & vaſcula in ea, materie rubra infarcta. Ex exiguo choroidis vulnere elapſus pro parte vitreus dependet.

XX. Eodem modo paratus oculus puerilis, niſi quod cornea remota quoque ſit; ubi vaſcula repleta in choroide, & uvea praeſertim, nec non nervi ciliares conſpiciuntur.

XXI. Oculi puerilis bulbus, à quo reſecta eſt & amota ſola cornea, ad demonſtranda vaſa arterioſa uveae, elegantiſſime repleta.

XXII. Simili modo paratus oculus puerilis, quam pulcherrimus.

XXIII. Sclerotices puerilis fruſta duo, cum adhaerentibus portionibus choroidis inverſis, repletisque. Cornea cum adhaerente uvea repleta.

XXIV. Cornea puerilis inverſa, cum adhaerente repleta uvea.

XXV. Scleroticae puerilis pars anterior, unde reſecta eſt cornea; relicta autem uvea, cujus arteriolae repletae.

XXVI. XXVII. XXVIII. Optici nervi, ſcleroticae, corneae, choroideae, uveae, retinae, hominum, varie diſſectae & inverſae.

XXIX. Duo vitrei cum cryſtallinis, humani.

XXX. Sclerotica balaenae, remotâ corneâ, exhibens craſſitiem ſuam, & intus, poſteriusque, foramina magna, parvaque, quae vaſa transmittunt.

XXXI. Bulbus oculi balaenae, ſecundum opticum bifariam diviſus: ubi apparet inſignis in hoc animali craſſities ſclerotices, quae tamen anterius, verſus corneae exortum, ſenſim tenuior fit. In parte dimidia ſuperiore, choroides adhaerens à ſclerotica maxima ex parte ſoluta eſt & reflexa, ut appareat, quomodo ſuperficies interna ejus ab externa penitus differat. In parte dimidia inferiore, choroides ſcleroticae manſit accurate applicata; adhaeret etiam portio retinae, hic inſigniter craſſae. Haec autem omnia materie rubente ſunt repleta.

XXXII. Sclerotica balaenae, ut ſupra. Adjacet funiculus quaſi, conſtans optico nervo, in centro locato, tenui admodum, & circumpoſita ei denſa vaſorum majorum & minimorum ſerie, quae materie rubente infarcta ſummopere rubent.

XXXIII.

XXXIII. Dimidia poſterior ſclerotices balaenae pars, cum choroide, ſoluta, repleta, ut ſupra.

XXXIV. Cornea balaenae, cum portiuncula ſclerotices, & adhaerente adnata craſſa; ut appareat, quomodo ea, in hoc animali, toti anteriori bulbo oculi diſtincte obducatur.

XXXV. In fundo jacet balaenae cornea, cum adhaerente adnata, ut ſupra. A filo dependet balaenae cornea, cum exigua ſclerotices parte in ambitu ejus, intus etiam applicata uvea: cornea anterius exſecta eſt, ut iris, cujus arteriolae utcumque repletae, nuda appareat.

XXXVI. Similis cornea; ubi intrinſecus corneam cingit canalis orbicularis, ſatis amplus, repletus, per quem ſeta eſt trajecta. In fundo jacet fruſtum optici nervi craſſum, albicans; & aliud repletum, rubens.

XXXVII. Fruſtum choroidis & uveae balaenae; ubi choroidis ſuperficies interior albicat, polita eſt & aequalis; exterior autem, penitus diverſa ab illa, fuſca eſt, fibroſa quaſi, ſtriata, inaequalis.

XXXVIII. Similis praecedenti portio, ſed ſummopere rubens, ob repletionem vaſorum. In fundo jacet retinae repletae, rubentis, complicatae portio.

XXXIX. Balaenae portio choroidis anterior, cum uvea, & ciliaribus ligamentis, hic admodum conſpicuis: per choroidem & ciliaria ligamenta decurrunt vaſcula exigua, plurima, repleta. Sed iris inprimis mirabilis eſt; ubi apparent vaſa, repleta materie rubra, magna, copioſa, mirabiliter plane inflexa. Excurrunt & rami diſtincti, diviſi iterum, nervorum ciliarium ſupra haec vaſa, verſus pupillam. Objectum hoc caetera omnia elegantia & novitate ſuperat; & fabricam demonſtrat ſingularem & mirabilem.

XL. Simile fere objectum, niſi quod portio ſclerotices adhaereat, corneâ orbiculariter exſectâ: hic autem in interiori uveae ſuperficie, circa limbum ejus, fibrae orbiculares inprimis optime conſpiciuntur.

XLI. Retinae balaenae portio.

XLII. Balaenae vitreus, cum inſidente cryſtallino.

XLIII. Similis vitreus, cui inſidet cryſtallinus, & ubi praeterea in vitreo, circum humorem cryſtallinum, ubi ligamenta ciliaria applicata fuerant, margo latus, repletus, ruber, totus quaſi vaſculoſus, apparet.

XLIV. Bulbi oculi bovini pars dimidia, poſterior, cui intrinſecus applicata choroides, ut binis in locis conſpiciantur trunci vaſorum non repleti, qui, poſtquam per ſcleroticam penetrarunt, ad choroideam accedunt.

XLV. Pars anterior bulbi oculi bovini, conſtans magna parte ſclerotices & corneа, applicata quoque interius parte choroidis, totaque uvea: ubi apparent ligamenta ciliaria; uveae fibrae, longitudinales, orbiculares; nigrities; pupilla; tum & nervi ciliares, tenues, plures, ad orbiculum ciliarem tendentes. In fundo jacent duo vitrei cum cryſtallinis, ex eodem animali.

XLVI. Similiter parata pars anterior bulbi oculi bovini, ſed amota nigritie: ubi ciliaria ligamenta, & uveae fibrae diſtinctius apparent. Reſectâ quoque corneâ, apparet *iris*.

XLVII. Pars choroidis bovinae, cujus arteriolae repletae ſunt.

XLVIII. Oculi bovini repleti bulbus, apertus; inverſa ſclerotica & choroides.

XLIX. Sclerotica bovina inverſa, à qua dependet choroides, per cujus ſuperficiem exteriorem diſtribuuntur arteriolae plurimae, repletae, ex ſclerotica ad eam adeuntes.

L. Bovis pars uveae cum ligamentis ciliaribus, repletis arteriolis.

LI. Pars arterior bulbi oculi vitulini, ubi intrinſecus apparent, uvea cum ſuis fibris, & ciliaria ligamenta; extrinſecus vero, exſecta cornea, iridis anteriora; horumque arteriolae repletae ſunt.

LII. Eodem modo parata pars oculi vitulini anterior, ſed vaſculis minus repletis.

LIII. Nervus opticus, & bulbus oculi vitulini, à quo remota eſt tota ſclerotica cum cornea, ut appareat choroides tota, vitreum & cryſtallinum quoque continens.

III. *De lingua & dentibus.*

LIV. Apex linguae humanae adultae; in qua, detracto involucro externo, apparent papillae nudae.

LV. Lingua parvuli, repleta.

LVI. Parvuli maxilla inferior cum lingua, repleta: ubi conſpiciuntur papillae linguales, & facies interior labii inferioris. In fundo jacet ſimilis maxilla cum lingua; ſed in ea apparet inprimis membrana tenera, alveolos dentium cingens, dentesque excipiens, cum ſuis vaſculis; extrinſecus nempe effracta maxilla.

IV. *De medulla ſpinali.*

LVII. Medulla ſpinalis adulti integra; involucrum craſſum ejus in uno latere ſecundum longitudinem totum diſſectum eſt, & ad latera reclinatum, ut appareat arachnoides, & quomodo nervi ex medulla ſpinali exeant.

LVIII. Medullae ſpinalis adulti hominis pars ſuperior, in vertebris colli conſiſtens, eodem modo parata.

LIX. Medulla ſpinalis adulti integra, à qua remota eſt dura mater; ita ut ad egredientes ex ea nervos exiguae portiones ejus relictae ſint. Apparet ſic arachnoides, & quomodo ſinguli nervi pluribus fibrillulis ex medulla oriantur, varie in variis; dein, qua ratione arachnoides cujusvis nervi fibrillas ambiat, colligetque in unum faſciculum.

LX. Medulla ſpinalis recenter nati, integra, eodem modo parata.

LXII. Medulla ſpinalis foetus immaturi, integra; ubi vaſcula hinc & inde materie rubra repleta ſunt.

LXI. Hominis adulti medullae ſpinalis pars, cauda equina dicta, cum arachnoide inveſtiente.

LXIII. Cauda equina immaturi foetus.

LXIV. Cauda equina foetus paullo adultioris, cujus vaſa nonnulla repleta ſunt.

V. *De Inteſtinis.*

LXV. Pars inteſtini jejuni, humani, adulti, inverſa; ubi juga valvuloſa, & internae tunicae villoſitas apparent.

LXVI.

LXVI. Similis pars; cujus arteriarum majores trunci materie rubra, venarum autem, caerulea ſunt repleti.

LXVII. Tres portiones inteſtini ileum, ex puero, diſtentae: harum duae non inverſae exhibent eleganter diſtributionem arteriarum; tertia vero inverſa, villoſae tunicae habitum, poſt repletionem arteriarum.

LXVIII. LXIX. LXX. Portiones inteſtinorum tenuium vitulinorum, ad demonſtrandam tunicae internae villoſitatem in iſto animali.

VI. *De Liene.*

LXXI. LXXII. LXXIII. Fruſta lienis bovini, eloti; exhibentia, membranam externam craſſam, & interceptam ſubſtantiam fibroſam, vaſaque, poſt talem operam.

LXXIV. LXXV. Similia fruſta eodem modo parata; repletis ſimul arteriarum majoribus truncis.

VII. *De Renibus.*

LXXVI. Pars dimidia renis adultioris; oſtendens papillas renales, & ſubſtantiam vaſculoſam eis appoſitam, repletam.

LXXVII. Similis portio, minor.

LXXVIII. Fruſta ſubſtantiae exterioris, vaſculoſae, renis adulti, repletae.

LXXIX. Ren adulti repletus, diſſectus.

LXXX. Portio renis repleti, cui adhaeret, ſeparata magnam partem, tunica ejus externa.

LXXXI. LXXXII. Renes adultiorum, quorum vaſa majora, pelvis ejusque rami repleti, caetera autem vaſculoſa ſubſtantia non repleta eſt, ſed diſſoluta.

LXXXIII. Renes abortuum, recenter nati unus integer, reliqui diſſecti, repleti.

LXXXIV. Ren parvulus, repletus, diſſectus.

LXXXV. Renes foetuum immaturorum duo, & recenter nati unus; ubi patet, eos ex renculis quaſi coaleſcere.

LXXXVI. Renculus bruti repletus, & transverſe diſſectus.

VII. *De Pene.*

LXXXVII. Pars anterior penis humani, ad demonſtrandum coronae involucrum externum, tenue, quod cuticulae continua productio.

LXXXVIII. Lamellae duae penis humani, transverſe ſecti, exhibentes corpora cavernoſa, horum involucra craſſa, limitantia; urethram, ejusque corpus cavernoſum minus.

VIII. *De Teſtibus.*

LXXXIX. Teſtis humanus transverſe diſſectus, cum adhaerente vaſe deferente.

XC. Teſtis humanus; cujus tunicâ albugineâ diſſectâ, & magnam partem à teſte ſeparatâ, conſpicitur ſubſtantia teſtis interior in ſitu.

XCI. Teſtis humanus adultus, cum adhaerente vaſe deferente & epididymide. Tu-

Tunicâ albugineâ apertâ & reflexâ, apparet pulpa teſtis, & filamenta albicantia, an venae? quae ex tunica albuginea in ſubſtantiam illam teſtis interiorem ſeſe inſerunt.

XCII. In fundo, teſtis humanus, amota tunica albuginea; ut interior ſubſtantia appareat. A capillo pendet ſimilis teſtis, ſed cujus ſubſtantia paululum dilacerata eſt.

XCIII. Simili fere modo parati teſtes duo.

XCIV. XCV. XCVI. Teſtes humani, cum vaſe deferente, tunicâ albugineâ apertâ & reflexâ, vel & remotâ, patet ſubſtantia teſtis, leniter diſſoluta.

XCVII. Teſtis humanus, cum vaſorum ſpermaticorum funiculo, & epididymide diſſoluta: apertâ & reflexâ membranâ albugineâ, apparet ſubſtantia interior, in tenuiſſima & candidiſſima filamenta utcumque diſſoluta.

XCVIII. Teſtes humani tres, quorum vaſcula ſeminifera diſſoluta ſunt.

XCIX. Teſtis humanus, cum epididymide & vaſe deferente, repletus; tunicâ albugineâ apertâ, & magnâ ex parte reflexâ, apparet interior ſubſtantia.

C. CI. Teſtes humani repleti, cum corpore pyramidali, epididymide, & vaſe deferente. Tunica albuginea diſſecta & inverſa, ſubſtantia teſtis lacerata eſt, ut appareant vaſcula repleta, per eam diſtributa.

CII. Teſtis humanus, praegreſſa repletione, aperta & inverſa tunica albuginea, eadem ut C. ſed imperfectius, oſtendens. Adhaeret epididymis uno extremo ſuo, caetero autem corpore a teſte tota ſeparata, cum vaſe deferente.

CIII. Teſtis arietinus, cum adnexa epididymide, transverſim diſſectus: ubi apparent vaſcula ſubtiliſſima repleta, quae inter ſeminalia vaſcula diſtribuuntur; & corpus, dictum olorinum, per medium teſtis excurrens.

CIV. Teſtis arietinus; in cujus membrana albuginea, ex parte ſeparata, apparent vaſa majora, flexuoſa, repleta.

CV. Teſtis arietinus; à quo tunica albuginea maxima ex parte detracta.

CVI. Teſtis arietini, ſecundum longitudinem diviſi, pars dimidia: in qua, praeter ſeminalia vaſcula compacta, apparent & alia repleta, rubentia, intercurrentia. Patet quoque corporis, dicti olorini, ſecundum longitudinem diviſi, pars dimidia.

CVII. Fruſta aliquot teſtis arietini, ſimiliter parata.

CVIII. Simile fruſtulum, paullo magis rubens.

CIX. Simile fruſtulum, ubi vaſa ſeminifera, paullulum hinc inde ſoluta, diſtinctius apparent.

CX. Teſtis arietinus repletus; cujus tunica albuginea variis in locis diſſecta & inverſa: ſubſtantia autem teſtis lacerata eſt.

CXI. Fruſtulum ſubſtantiae interioris teſtis arietini, repletum; ubi vaſcula ſeminifera à ſe invicem nonnihil ſoluta ſunt.

CXII. CXIII. CXIV. Partes teſtium arietinorum, quibus adhaeret portio tunicae albugineae albicantis: ipſa autem ſubſtantia repleta, admodum rubet.

CXV. Teſtis humanus, cujus tunicâ albugineâ apertâ, apparet ſubſtantia interior. Ab epididymide autem detracta eſt tunica externa, & epididymis leniter diſſoluta.

CXVI. Epididymis humana diſſecta, & lacerata.

CXVII.

CXVII. CXVIII. Partes epididymidis arietinae, hinc inde repletae.

CXIX. Partes epididymidis arietinae repletae, & amota tunica coërcente, diſſolutae, & in longitudinem protractae.

CXX. Teſtes vitulini duo, cum adhaerentibus epididymide, vaſe deferente, & funiculo ſpermaticorum vaſorum. Inferior albicans, tranſverſe diſſectus, oſtendit vaſcula ſeminifera, tenuiſſima, hinc inde leniter diſſoluta. Superior repletus, ſecundum longitudinem diviſus, diductus, exhibet vaſcula rubentia, quae inter vaſa ſeminifera decurrunt.

CXXI. Teſtis bruti, in quo inprimis conſpiciuntur vaſa ſpermatica, prope teſtem repleta.

IX. *De Secundinis, Uteri gravidi acetabulis.*

CXXII. Secundina humana; ubi placenta fere integra.

CXXIII. Secundina humana, cujus placenta hinc inde paullulum diſſoluta.

CXXIV. Secundina humana, cujus placenta admodum diſſoluta eſt.

CXXV. Placenta uterina muliebris integra, cum adhaerente chorio, & parte funiculi umbilicalis. Vaſa arterioſa majora materie rubente, venoſa autem caerulea repleta ſunt.

CXXVI. Portiones duae funiculi umbilicalis, ad demonſtrandam venam duasque arterias umbilicales.

CXXVII. Pars placentae uterinae humanae, in hydatides tota converſa.

CXXVIII. Similis pars; ſed hydatides ſunt minores, & naſcentes quaſi.

CXXIX. Pars uteri ovis gravidae, cujus cotyledones admodum magnae; eorumque cavis adnectitur chorion. Repletae ſunt arteriae uterinae; unde uterus & cotyledones ſummopere rubent; chorion autem totum albicat. In fundo jacet ſimilis cotyledon, repleta, transverſe diſſecta.

CXXX. Similis pars uteri repleta, cujus cotyledones minores, & protractum ex plerisque penitus chorion, ut conſpiciatur poroſitas fundi acetabulornm iſtorum.

CXXXI. Cotyledones nonnullae, repletae & diſſectae.

CXXXII. Similis cotyledon, à qua dependet pars chorii.

CXXXIII. Cotyledones brutorum majores repletae, tres; ex uniuscujusque cavo dependet chorii repleti portio.

CXXXIV. Similes cotyledones duae, repletae; ex unius cavo ſimiliter dependet chorii repleti portio: altera autem ex parte diſſoluta eſt.

CXXXV. Similes cotyledones, quarum cavum replent filamenta, numeroſa, tenuia, placentae ex chorio enatae.

CXXXVI. 1. Cotyledon ſimilis repleta, ut ſupra.

2. Cotyledon lacerata pro parte, ut interiora ejus pateant.

3. Pars chorii, cum enata ſubſtantia placentae filamentoſa quaſi, copioſa, ex acetabulo protracta, in qua & vaſa repleta conſpiciuntur.

CXXXVII. Cotyledones diſſectae, laceratae, diſſolutae; nonnullis etiam adhaeret ſubſtantia filamentoſa, è chorio enata.

CXXXVII. Bruti animalis chorion, cui adhaerent acetabula uterina plura, remotis, acetabulis nonnullis, apparent chorio adnexae placentae, quae referunt ſphaeras magnas, con-

conſtantes ex filamentis, vaſculis, numeroſis; quae inhaerebant acetabulorum cavis. Repletae ſunt arteriae rubra, venae autem caerulea materie.

CXXXIX. Similis ſimiliter parata portio, minor.

CXL. Similis praeparatio, exhibens acetabula uterina, & placentulas chorii.

CXLI. Similia duo acetabula, & placentulae tres.

CXLII. Acetabulum, & tres portiones chorii, quaeque cum placentula ſua, materie rubente infarctae.

CXLIII. Duae portiones chorii; ſingulis adhaeret placentula globoſa, non repleta.

CXLIV. Chorii magna portio, cui adhaerent placentae globoſae, plures, majores, minoresque, nonnullae albicant, aliae materie rubente ſunt infarctae, & vaſculoſae apparent: chorii autem arteriae materie rubente; ſed venae caerulaea ſunt repletae.

CXLV. Tres placentae globoſae; materie rubra infarctae, vaſculoſae.

CXLVI. Similes placentulae, non repletae, diſſolutae; adjacet una repleta.

CXLVII. 1. Pars uteri vaccae gravidae, cum enato acetabulo, poroſo, laxo.

2. Simile acetabulum, cui adhaeret chorii portio, & cujus filamenta, placentae analoga, pro parte ex dictis poris acetabuli protracta ſunt.

CXLVIII. Similia acetabula duo. Ex uno placenta chorii tota fere protracta eſt; alteri penitus adhuc inhaeret.

X. *Foetus immaturi.*

CXLIX. CL. CLI. CLII. CLIII. CLIV. CLV. CLVI. Foetus immaturi, humani, octo, aetate & magnitudine diverſi.

CLVII. Foetus ovillus parvulus, elegans, amnio ſuae incluſus, & liquori, quo repleta eſt, innatans.

X I. *Varia.*

CLVIII. Durae matris adulti hominis portio magna; cujus arteriae materie rubente repletae ſunt.

CLIX. Plexus choroides hominis adulti.

CLX. An arteria ſplenica vitulina repleta, cum ramulis diſſolutis ex ſplene protracta?

CLXI. Os verticis foetus immaturi; & dimidia frontis oſſis pars, ex foetu parvulo.

CLXII. Nonnulla, quae ad auditus organum pertinent, ex foetu immaturo. Nempe os petroſum, cum ſtapede, foramini ovali inſidente: aperto aquaeductu Falloppii, apparet nervus auditorius durus, per eum decurrens. Alterius labyrinthi cochlea effracta eſt, ut appareat lamina ſpiralis.

CLXIII. Pars tendinis achillis, hominis; ex multis minoribus tendinibus compoſiti.

CLXIV. Narium ſepti cartilagines ex adultioribus & junioribus, tres.

II

SUPELLEX ANATOMICA ALBINIANA.

SUPELLEX ANATOMICA ALBINIANA.

PARS PRIOR.

Praeparata Anatomica, phialis in liquore limpido contenta.

Integumenta.

N°. I. Infantis, nuper nati, cuticula cum reticulo, unguibus, & pilis, chirothecae integrae ſpecie detracta. Impleta eſt liquore, in quo conſervatur, & poſtea ligata, argumento integram eſſe. Suſtinetur a ramo aſparagi aculeati minoris ſarmentoſi è Maderaſpatan. Pluknet. phytogr. part. 1. tab. 15. fig. 4.

II. Epidermis, ſocculi ſpecie cum unguibus & pilis detracta de pede extremo embryonis maturioris. In planta, ad calcem, in parte inferiore digitorum, interque digitos craſſior eſt, & in ſpeciem contractior, quam in dorſo pedis & digitorum.

Ut viventibus, varia de cauſa, exſolvitur cuticula cum corpore reticulari, in mortuo decedit admoto igne, fervidâ, maceratione. Adurit ignis, fervida contrahit, & indurat, quamobrem, quum integras infanti de pede exuvias, aut de manu detrahere inſtituerat Clar. Albinus, quas lanâ impleret, ſiccaretque, in fervidam immerſione uſus eſt, quod plus roboris ex eo adipiſcuntur, minusque facile laceran-tur, quum implentur; maceratione aquam imbibunt, turgeſcunt, emolliuntur, laxantur, quo fit, ut mollius reticulum facile diſſolvatur, tabeſcat, diffluat ſpecie humoris; tabeſcit etiam levi putredine; minimum tamen detrimenti adferre viſa maceratio, dummodo adhiberetur diligentia. Annot. Acad. Lib. 1. cap. 1. pag. 17–20.

Ex hoc praeparato differentia, quoad craſſitiem cuticulae in diverſis locis apparet. Cutis, cui vis ſentiendi ſumma data eſt, naturâ mollis, humida, tenera exiſtit, propterea munimento quodam defendenda erat, hoc praebent reticulum & *cuticula*: quae

quae tenuia, ne ſentiendi facultatem obtundant, ac cutem reddant minus flexibilem. In locis iis manuum, pedumque, quae ad preſſionem & attritionem ferendam idonea eſſe debent, cuticulae craſſitudine opus erat majore; & refert naturam iis in locis firmiorem & ſolidiorem, in adultiore, in juniore, imo etiam in embryone. Invenit Clar. Albinus exuvias, variis embryonibus, de manubus pedibusque detractas, etiam parvulis, qui aſſecuti nondum erant longitudinem digitalem, pertenues, totasque translucidas, qua parte ad dorſum manus pedisve pertinent, craſſiores, magis opacas, albicantiores, totasque firmiores, qua ad volam, plantam, partesque internas digitorum; adeo ut naturâ differat cuticula iis in locis, & non preſſione tantummodo continua, & attritione ſolidetur per aetatem, & in craſſitiem creſcat. Annot. Acad. Lib. 1. cap. 5. pag. 26. 27. Hanc autem diverſitatem ſe jam ante annum 27. ſuis in ſcholis oſtendiſſe, luculento argumento probavit. Annot. Acad. Lib. 3. cap. 16. pag. 79. Lib. 4. cap. 14. pag. 79. Lib. 5. cap. 1. pag. 16.

III. Portio cuticulae cum reticulo, de calce infantis nuper nati, eaque parte, quae ſupra calcis poſteriora eſt, detracta, hic inverſa, ut pars ſuperior inferior ſit. Reticulum magis coloratum, quam cuticula, & quaſi luteolum, maxime ad calcem. In reticulo foveolae, quae papillas cutis recipiunt. Ex eo in calce radices pilorum nullae, ubi nimirum pili nulli, ſed ſupra eam quam plurimae.

IV. Portiones cuticulae infantis nuper nati, albi, ejusdem cujus III. Adhaeret reticulum coloratius. Penetrant numeroſae radices pilorum, protractae e poris cutis.

V. Portio cuticulae infantis nuper nati, ut III. Sed pars, quae ſupra calcem eſt, diutius ſine pilis eſt.

VI. Portio cuticulae cum reticulo, detracta de digitis pedis, proximaque parte infantis ejusdem cujus III. Inverſa eſt. Reticulum magis coloratum, quam cuticula, & quaſi luteolum. Caetera reſpondent III. Abſciſſi ungues, praeterquam a pollice, in quo eadem, quae XV.

VII. Infantis nuper nati cuticula cum reticulo & ungue digiti manus unius inverſa.

VIII. Infantis nuper nati cuticula cum ungue detracta de digito minore pedis, & inverſa, ut reticulum exterius ſit. Reticulum cuticulâ coloratius. In ungue eadem, quae XV.

IX. Cuticula infantis nuper nati cum reticulo detracta de capillata parte. Inhaerent detracti ſimul capilli, quorum radices ex interiore parte eminent, protractae e poris cutis. Adhaeret portio cutis, impletae per arterias. Cuti ex interiore parte adhaerent portiones pinguis. Sub cute per pingue arteriae majores, quarum rami in cutem penetrant.

X. Cuticula candidiſſima, detracta de brachio feminae candidiſſimae, viginti & quatuor annorum.

XI. Cuticula de brachio hominis adulti detracta. Color alius ac X. Extrinſecus cruſta adhaeret, quae deteritur, ut ex lamellis duabus conſtare appareat.

XII. Portio cuticulae cum reticulo piliſque, detracta de ſcroto albi. Cuticula fu-

fuſca: magis reticulum. Ex interiore parte radices pilorum albae prominent, protractae e poris cutis.

XIII. Cuticula cum reticulo detracta de glande penis viri adulti. Qua parte finuata eſt, pertinebat ad exitum itineris urinae: qua parte gibba ad coronam glandis. Reticulum coloratius eſt quam cuticula. Icone hoc praeparatum illuſtravit Cl. Albinus Annot. Acad. Lib. 3. tab. 4. fig. 1.

Talis cuticula primum glandem totam veſtit, a praeputio ſuper glandem continuata, & cum cuticula reticulum, mollius, quam cuticula, coloratius, foveolis praeditum, continentibus papillas ſubjectas. Veſtitur deinde glans continuatione cutis praeputii, tenui, tenera, e qua papillae eminent. Cutis illa continuatur tunicae internae urethrae. Post cutem membranacei quid ſequitur, ſubtile, ſtrictum, quod, ſufflando penis cutem, verti poteſt in celluloſam, continuatam tunicae celluloſae praeputii corporisque penis. Eoque cutis glandis ſtricte connectitur cum ſubjecto corporis nervoſi corio, quod glandis corticem efficit. Glans igitur, ut penis pars, ſic iisdem praedita eſt integumentis. Annot. Acad. Lib. 3. cap. 9. pag. 34.

XIV. Cuticula plantae pedis hominis adulti cum reticulo, quod magis luteolum. In reticulo vaſorum ſpecies: videntur quippe vaſa impleta extrema inhaerere ipſi. Tanta vaſorum ſpecies eſt, ut addubitari non poſſe videatur, nec pauca quaedam, ſed numeroſa, conferta. Impleverat autem Clar. Albinus arterias, per papillas decurrentes, eruperatque aliquid, quod, detracta deinde cuticula, vaginis, papillis continentibus, inhaerebat concretum, ſpecie vaſculorum. Annot. Acad. Lib. 7. cap. 3. pag. 38.

XV. Unguis pollicis pedis hominis adulti cum adhaerente cuticula & reticulo, quae priorem inferioremque partem pollicis pedis veſtit. Unguis radix alba. Reticulum unguis per longitudinem ſulcatum, & continuatum reticulo cuticulae. A medio cuticulae reticulum coloratius detractum. Icon hujus praeparati datur in Annot. Acad. Lib. 2. tab. 7. fig. 4.

Natura unguis haec eſt. Conſtat ex tribus partibus, candida lunula, qua incipit; rubella parte, quae inde ſequitur; extrema, in quam deſinit. Prima & ſecunda cuti adjectae ſtricte adhaerent, poſtrema eminet. Unguis a principio ſulco cutis, veluti radice, infixus eſt. Candida non ſolum lunula eſt, ſed etiam inde tota radix, cuti inhaerens, ſic ut lunula continuitate candidae radicis porrigatur. Reſpondet in ſubjecta cute macula, candida & ipſa. Cutis ſub ungue papillis tota contecta eſt. Hae, tenuiore orſu e cutis macula venientes, a principio aliquantum inflexae, recta ſe inde per longitudinem aliae juxta alias porrigunt ſpecie filorum, extremis partibus ſuis deſinentes non longe ab illo loco, ubi eminere unguis incipit: & per longitudinem totam cuti continuatae ſunt, praeterquam in fine. Ultra finem breves ſunt, aliae ſuper alias veluti inclinatae, & non aliter, ac longae illae, poſt quas continue ſequuntur, extremum unguem verſus porrectae. Reticulum per longitudinem ſulcatim inciſum eſt; ſinguli ſulci ſingulas papillas, qua eminent, continent, & ad eas apti ſunt. Reticulum hoc pars eſt reticuli cuticulae, quod ab omni parte, maxime jux-

juxta unguem extremum apparet, ubi reticulum perpetuum ex cuticula per eum procedit, in hoc ſulcis, in illa foveolis praeditum. Annot. Acad. Lib. 2. cap. 14. pag. 56. 57. 58.

XVI. Unguis pollicis pedis humani adulti cum cuticula & reticulo, ut XV.

XVII. Unguis pollicis manus cum adhaerente cuticula & reticulo, tum cuticulae, tum unguis, ut XV.

XVIII. Unguis digiti minimi pedis hominis adulti cum illa cuticulae parte, cui inhaeret detractus. Ex interiore parte expreſſus eſt in Annot. Acad. Lib. 2. tab. 7. fig. 5. 6.

A fabrica, ad articulum XV. deſcripta, diſcrepantem in nonnullorum digito pedis minimo, animadvertit Clar. Albinus, & hoc praeparato illuſtravit. Lunula nulla erat, neque radix candidior, neque candida in cute macula. Papillae non per longitudinem fere ad unguem extremum usque porrectae, ſed omnes ſimiles iis, quae in digitis aliis ultra longas illas inveniuntur; breves, extremum unguem verſus inclinatae, modice ſimul erectae, ſic ut neque per longitudinem jaceant, neque erectae ſint, ſed obliquae, magis tamen inclinatae, quam erectae. Reticulum non ſulcatum, ſed plenum foveolarum, & ſimilius illi, quod ſub cuticula eſt. Annot. Acad. Lib. 2. cap. 14. pag. 58.

XIX. Digitorum pedis minorum hominis adulti ungues duo cum adhaerente cuticula cum reticulo ex interiore parte. In inferiore cuticula digiti inverſa eſt. Eadem apparent, ac in XV.

Infra jacet embryonis nuper nati cuticula cum ungue, de priore parte digiti detracta.

XX. Portio cuticulae cum reticulo pilisque de pube feminae albae detracta. Cuticula fuſca. Magis fuſcum reticulum. Pilorum radices oblongae, alba continente materia, prominent. Alii pili ex interiore parte praeter naturam protracti.

XXI. Cuticula cum reticulo & pilis de pene hominis albi detracta. Cuticula fuſca. Magis fuſcum reticulum, quod apparet exterius, quia cuticula inverſa. Prominent albae radices pilorum, e poris cutis protractae. In reticulo foveolae papillas excipientes. In cuticula & reticulo eminentiae, quibus inciſurae cutis, quibus inhaerent, reſpondent. Sunt in cuticula plicae, inciſuras referentes a parte exteriore, eminentes ex interiore. Plicatum ſimiliter reticulum, & inſertum cutis inciſuris. Annot. Acad. Lib. 1. cap. 4. pag. 25.

XXII. Infantis nuper nati cutis capillatae capitis partis, proximaeque frontis. Cutis ex impletione arteriarum rubet. Dependet detracta cuticula cum reticulo. Inhaerent iis detracti ſimul pili. Ex interiore parte eorum eminent radices pilorum, protractae ex poris cutis, qui ex eo vacui.

XXIII. Infantis nuper nati brachium, cui viventis ſpecies reddita. Detracta cuticula cum reticulo & unguibus. Pili relicti. Inaequabiliter impletum eſt, ut cutis appareat variegata, quemadmodum viventi eſt. Ad ſuperficiem cutis deſinunt vaſcula impleta, perexigua, creberrimaque, ex eoque rubet. Arteriae impletae.

Te-

Tenet portionem choroideae hominis adulti, cum uvea & ligamentis ciliaribus, per arterias impletam.

XXIV. Manus embryonis humani immaturioris, impletis arteriis, ſed inaequabiliter; detracta cuticula cum reticulo, unguibus, pilis. Maculae inſunt albae, ubi arteriae non impletae: caeterum cutis tota rubet.

XXV. Infantis nuper nati pes extremus, detracta cuticula cum reticulo, unguibus, & pilis. Cutis ex impletione arteriarum tota rubet, vaſculis perexiguis numeroſiſſimis, ad partem extimam deſinentibus. In planta & digitorum parte inferiore ſimilis CLVIII.

XXVI. Portio cutis capitis feminae junioris. Pars hujus cutis exhibita in Annot. Acad. Lib. 6. tab. 3. fig. 3. Dependet cuticula cum reticulo detracta; cui capilli inhaerent qua parte capillata pars capitis eſt; pili ſubtiles, qua ad frontem pertinet. Eorum radices, e poris cutis evulſae, ex interiore parte reticuli eminent. Aliis poris cutis capilli inhaerent, non evulſi cum cuticula. Alii capilli, qui cuticulae inhaerent, ex interiore parte protracti longius. Ex parte quoque inciſa cutis juxta capillum, in qua radix oblonga inhaeret, craſſior, eo quod membrana videtur contineri.

Conflat ex hoc praeparato, pilum, quum evellitur, oſtendere radicem quamdam, quae cuti inhaeſerat. Quando cutis piloſae partes macerantur aqua, donec cuticula & reticulum laxentur, ut detrahi poſſint, quum detrahuntur, abſcedunt una cum iis pili, aeque atque ungues. In detractis radices pilorum ex interiore parte prominent, eaeque continentur materie quadam alba, & molli. In cute pori vacui cernuntur, unde protractae fuerant. Ex interiore cuticulae, cum reticulo pilisque accurate detractae, reticulum circum circa continuatum eſt materiëi albae, radicem pili continenti: detracto dein a cuticula reticulo, ſimulque ab alba materie radicis pili, eadem materies continuata quoque cuticulae apparet eſſe. Si, detrahendo cuticulam cum reticulo, pilus in cute remanet, in poro infixus radice ſua, tunc in cuticula cum reticulo foramen eſt rotundum, utpote abruptis circum circa pili radicem, quum abſcederent. Ubi tunc cutis juxta pilum premitur, exilit radix vacuefacto poro cutis. Sive reticulum album, ſive fuſcum, ruffum, aut quaſi nigrum ſit, radices eaedem ſunt, continente materie illa alba, reticulo continuata. Annot. Acad. Lib. 6. cap. 9. pag. 57. ſeq.

XXVII. Mulieris adultae portio cutis, de pube detracta, inaequaliter impletis arteriis. Detracta cuticula cum reticulo dependet, verguntque in colorem luteum, maxime reticulum. Ex interiore parte reticuli prominent pilorum radices, protractae e poris, quibus cutis plena eſt.

XXVIII. Feminae adultae cutis menti, impletis arteriis, detracta cuticula cum reticulo, pilisque. Radices pilorum ex interiore parte reticuli prominent, protractae e poris cutis numeroſis.

XXIX. Portio cutis genae hominis adulti, unde dependet detracta cuticula cum reticulo. In cute pori, ubi infixae fuerant radices pilorum. Ex interiore parte reticuli dependent radices pilorum e cutis poris protractae. In confinio reticuli cum cuticula & cutis, radices pilorum partim ad reticulum adhaerent; partim inhaerent po-

poris cutis, non nisi ex parte protractae. Figura datur in Annot. Acad. Lib. 6. tab. 3. fig. 4. 5.

XXX. Extrema digitorum minorum pedis hominis adulti, impletis arteriis, & detracta cuticula cum reticulo & ungue. Annot. Acad. Lib. 2. tab. 7. fig. 5. 6. Conferantur ea, quae ad num. XVIII. dicta sunt. Ubi ungues detracti, adhaeret materies alba, quae exiit, partem faciens liquoris, quo impleta.

XXXI. Extremum pedis hominis adulti, constans e digitis quinque. Leviter impletum per arterias. Detracta cuticula cum reticulo, unguibusque, ut appareat locus, qui sub unguibus est.

XXXII. Cuticula de mamma feminae adultae mammosae detracta, & inversa. Detracta quoque de capitulo, quod continue vestit. Erat ex fuscioribus; eoque cuticula aliquantum fusca, sed reticulum magis, cujus pars ex interiore parte adhaeret. Annot. Acad. Lib. 3. tab. 4. fig. 3.

XXXIII. Feminae fuscioris cuticula fuscior, de mamma detracta.

XXXIV. Portio cuticulae cum reticulo de brachio aethiopis non nigerrimae detracta. In reticuli parte interiore praecipua coloris sedes; in eaque foveolae papillas cutis excipientes. Prominent radices pilorum.

XXXV. Portio cuticulae cum reticulo aethiopis, ut XXXIV., sed pallidioris.

XXXVI. Cuticula cum reticulo pilisque detracta de genu feminae aethiopis junioris. Reticulum aliquibus in locis etiam de cuticula detractum. Cuticula fusca. Magis fuscum reticulum, e quo prominent pilorum radices albae innumerabiles, e poris cutis protractae. Annot. Acad. Lib. 6. tab. 3. fig. 4. Conf. quae dicta sunt ad num. XXVI.

XXXVII. Pars cutis mammae feminae aethiopis cum reticulo & cuticula. Alicubi cuticula cum reticulo ad cutem adhaerent, fusca. Alicubi detracta cuticula dependet, aliquantum fusca. Alicubi reticulum, tum a cuticula, tum a cute detractum, dependet, maxime fuscum, qua ad cutem adhaeserat. Alicubi reticulum, detracta ab eo cuticula, adhaeret ad cutem, multo magis fuscum, quam cuticula, sed qua parte ad eam adhaeserat, minus fuscum, quam qua parte adhaeret ad cutem; in reticuli foveolis papillae inhaerent; subtus surgentes de cute. Nitidissimi hujus praeparati elegantissima figura datur in Cl. Albini Diss. de sede & causa coloris aethiopum & caeterorum hominum Ic. I.

Probat hoc praeparatum, nigrorem aethiopum a corpore reticulari effici, sedemque coloris in reticulo esse ponendam. Fuscus in aethiope reticuli color, habens speciem nigri; saturatior, qua id cuti proximum, ab altera parte, qua epidermidi conjunctum, jam aliquantum exstinctus, & nequit intimi reticuli color integre apparere per corpus reticuli, & per epidermidem, quoniam tantum perluciditatis non habent. Non aequaliter colorata est pars illa intima reticuli, qua enim contingit & implet intervalla papillarum cutis, ibi coloratior, quam qua papillas ipsas ambit suis foveolis, ceu vaginulis, quas tot talesque habet, quot qualesque sunt papillae. Ut porro idem omnibus aethiopis partibus color non est, ita neque reticuli, im-

immo de variis ejusdem corporis partibus detractae reticuli portiones tantopere inter se differunt colore, ut unius ejusdemque aethiopis esse dubitares. In planta, & calce, in vola & interna parte digitorum, quae albicant aethiopibus, etiam reticulum ad rationem atritatis pene albicat, coloris maxime leucophaei; neque tamen aequaliter coloratum ibi est, sed maculis paulo saturatioribus quasi asperum. Minus quoque saturatum, & similiter maculosum est reticulum, quod unguibus subjacet. Epidermis coloris ejusdem est, cujus reticulum, sed multo minus colorata, qualis fere color lamellae tenuis & perlucidae cornu nigri. Cutis in genere quidem candida est; ut omnibus hominibus, sed leviter tincta illo colore, cujus est proximum reticulum. Conf. citata Dissertatio pag. 4. & seq.

Color ita inhaeret in reticulo & epidermide, ut servent eum in aqua, servent in spiritu vini. In spiritu vini per multos annos reticulum colorem servavit; in aqua servat, donec ipsum dissolvatur, sed quia mollius & tenerius, maceratione aquae facile dissolvitur, mistumque aquae tingere eam colore suo videtur; epidermis longe durabilior est.

In hominibus caeteris eadem coloris sedes, eadem ratio. Ubi epidermis candidissima, reticulum omnino candidum, & ob id difficulter discernendum ab epidermide; ubi epidermis subfusca, ibi & reticulum subfuscum. In planta pedis Europaeorum plerumque luteolum, sicuti etiam in vola & interna parte digitorum tum manus, tum pedis. Saturatior color in genitalibus & in pube. Ibid. pag. 8. 9. 10.

XXXVIII. Pars cutis feminae aethiopis adultae, cum cuticula & reticulo. Similis ac XXXVII., nisi quod reticulum cum cuticula cuti non adhaeret.

XXXIX. Portiones cuticulae cum reticulo aethiopis nigrioris. Reticulum aliquibus in locis detractum. Cuticula fusca; sed magis fuscum reticulum.

XL. Cuticulae portio magna, detracta de humero aethiopis, annorum plus minus triginta. Adhaeret portio cutis, unde detracta. Cuticulae ex interiore parte adhaeret reticulum multo magis fuscum. In eo foveolae, quae papillas cutis recipiunt. Cutis candida papillarum subtilium plena. Pori in cute, unde pili protracti. Ex interiore parte reticuli prominent radices pilorum albae, protractae e poris cutis.

XLI. Cutis, cuticula, reticulum genu aethiopis ejusdem, cujus est XL. Eadem exhibet.

XLII. Cuticula aethiopis cum reticulo magis fusco, ut XLI.

XLIII. Cuticula cum reticulo pilisque de genu, cujus cutis portio quoque adest, aethiopis annorum plus minus triginta. In quibus eadem quae XL.

XLIV. Cuticulae cum adhaerente reticulo portio magna, detracta de aethiopis ejusdem, qui XL., parte posteriore calcis, & quod cruris supra eam est; hic autem inversa, ut pars inferior superior sit. Reticulum candicans ubi calcem vestit; supra eam fuscum, variegatum. Detractae aliquot in locis portiunculae reticuli, integra cuticula, quae magis alba. In reticulo vaginulae & foveolae recipientes papillas. Cuticula ad calcem crassior, inde multo tenuior.

XLV. Cuticulae cum adhaerente reticulo portio magna, detracta de aethiopis adul-

adulti parte posteriore calcis, & quod cruris supra eam est. In ea eadem, quae in XLIV. Figura exstat in Dissert. citat. Ic. II.

XLVI. Cuticula cum reticulo aethiopis adulti, ut XLV, sed magis fusca.

XLVII. Cuticula cum reticulo de planta pedis aethiopis adulti detracta. In calce cuticula crassior, albida, compactior; inde tenuior ad digitos, & supra calcem. Reticulum pallidum in planta; a calce infuscari incipit: supra calcem fuscum, sic etiam ubi digiti incipiunt.

XLVIII. Aethiopis adulti cuticula cum reticulo detracta de vola, proximaque parte dorsi manus, quae juxta digitos est. In vola cuticula crassior, albida, compactior, inde tenuior ad dorsum manus, in dorso tenuis. Reticulum pallidum in vola, juxta dorsum manus infuscari incipit; in dorso fuscum. Sic & cuticula.

XLIX. Cuticula cum reticulo detracta de vola, proximaque parte aethiopis pallidioris adulti, sic inversa, ut reticulum ostendat; in qua eadem, quae XLVIII.

L. Cuticula cum reticulo & ungue detracta de digito aethiopis adulti, & inversa, ut nil nisi reticulum conspiciatur cum parte interiore unguis. Reticulum pallidum, maxime in parte digiti interiore. Reticulum unguis ex pallido fuscum, ut ungues esse solent hominibus illis. In ungue eadem, quae XV. In dorso digiti, ubi pili, radices eorum albae prominent ex reticulo.

LI. Portio cutis aethiopis adulti. Cutis alba. Adhaeret ad eam reticulum fuscum, detracta ab eo cuticula. Reticulo papillae cutis inhaerent. Infra in angulo adhaeret quoque cuticula, fusca & ipsa, sed minus, quam reticulum.

LII. Portio cutis aethiopis, unde detracta cuticula cum reticulo dependet. Reticuli particulae fuscae in cute relictae. Cuti adhaeret pars cuticulae interveniente reticulo; eaque cuticula pallidior est.

LIII. Portio cutis aethiopis, unde detracta cuticula cum reticulo dependet. Similis ac LII., sed magis fusca.

LIV. Portio similis aethiopis ejusdem, ac LIII.

LV. Portio cutis aethiopis adulti, detracta & dependente cuticula. Cutis alba. Cuticula, detracto reticulo, fusca. Magis fuscum reticulum, cuticulae adhaerens. In cute papillae. In reticulo foveolae, recipientes papillas. In cute pori. In cuticula cum reticulo pili; quorum radices ex interiore parte reticuli prominent, albae, & protractae e poris cutis.

LVI. Portiuncula cutis aethiopis adulti. Detracta cuticula. Reticulum relictum. Reticulum ex parte adhaeret cuti, ubi papillae foveolis ejus inhaerent: ex parte à cute detractum dependet, ubi apparet, colorem saturatiorem esse ex parte interiore, quam exteriore.

LVII. Aethiopis adulti portio cutis, cui ex parte detracta cuticula dependet. Cuticulae adhaeret ex parte reticulum. Cutis candida. Reticulum fuscum, foveolarum, quae papillas cutis receperant, plenum. Cuticula minus fusca. Ex interiore parte reticuli prominent radices pilorum, protractae e poris cutis. Radices quoque pilorum eminent ex cuticula, detracto ibi reticulo.

LVIII. Portio cutis aethiopis, unde detracta cuticula cum reticulo dependet. Reticulum pernigrum. Penetrant albae pilorum radices, e poris cutis, qui vacui, protractae. In cute papillae creberrimae. In reticulo foveolae, quae eas exceperant.

LIX. Portio similis cutis, cuticulae, & reticuli aethiopis ejusdem, cujus est LII.

LX. Cuticula cum reticulo fusco hominis fusci. Prominent radices pilorum. Haec omnia praeparata egregie illustrant dicta ad num. XXXVII.

Musculi.

LXI. Hominis adulti pars musculi, constans e carne & tendinea parte. Arteriae impletae sunt. Fasciculi carnei & tendinei separati, connectente membrana cellulosa, quae e carne tendineaque parte enascitur.

LXII. Tendo Peronei longi hominis adulti, ut ortus ejus cognoscatur, & compositio.

Solitus erat Clar. Albinus hoc praeparato, cujus iconem etiam dedit Annot. Acad. Lib. 4. tab. 5. fig. 2., uti, ut demonstraret, qua ratione ex fibris carneis oriantur tendineae. Fibrae quippe, quae praecipuas musculi partes constituunt, & musculum proprie faciunt, aliae carneae sunt, quae carnem musculi, aliae tendineae, quae tendinem faciunt, illae molliores, succique pleniores, & rubicundae, hae longe duriores, & sicciores, albicantes, splendentes. Tendineae carneis continuatae, sic ut ab ipsis, ex carnea natura sua in tendineam abeuntibus, produci videantur, eademque fibra hic carnea sit, ibi tendinea. Tendineae tenuiores carneis, unde oriuntur, raritate carnea in tendineam densitatem quasi compacta. Sunt minima tendinum ex carne initia, in qua primum carneae quaedam fibrae se in tendineas simplices vertunt; his deinde se inter se conjungentibus, portiones tendineae insigniores, rususque ex harum conjunctione, fibrarumque accessione, insigniores insignioresque oriuntur, donec conspicuum tendinis principium effectum sit, qui quamdiu deinde carni inhaeret, continua portionum similium adjectione crescit. Histor. Muscul. Lib. 1. cap. 1. pag. 7.

LXIII. Hominis adulti portiones tendinum; in iisque arteriae impletae paucae. Inter eas portio tendinis Peronei, qui, qua parte ad malleolum se atterit, latior, durior, incipiente sesamoideo, sed tendineis filis per id continuatis.

Vasa.

LXIV. Portio arteriae aortae humanae, fabricam arteriae ostendens. Figura hujus arteriae invenitur in Annot. Acad. Lib. 4. tab. 5. fig. 1. Corpus fit ex tunica musculosa, cui interna adjuncta, & quaedam nervea, in cellulosam exiens. Musculosa crassissima ex fibris constat firmis, duris, flexibilibus tamen, dense compactis inter se; colore ad luteolum vergente, & hae neque carneis musculorum similes sunt, neque tendineis; omnes circularem ductum ostendunt, integros tamen,

men plenosque circulos non conficiunt. In ſex tunicas hoc in praeparato muſculoſa tunica diviſa eſt. Veſtit eam ex interiore parte tunica interna, tenuis, denſa, ſtricte adhaerens; in qua vix, niſi ſparſim, aliquid fibrae ſimile internoſcitur, & in ea quidem parte, quae muſculoſae adhaeſerat, ſeparatione relictum. Ex interiore parte, qua capacitatem arteriae ſpectat, aequabilis & laevis. Muſculoſae ab exteriore parte membrana quaedam adhaeret, continens eam, tenuis, denſa, alba, firma, dilatabilis, celluloſa condenſatior: nervoſa appellari poteſt, perficiens ab ea parte arteriam & firmans. Ex denſitate illa laxat ſe in exteriorem partem, vocaturque celluloſa, facile dilatabilis, facile concidens, eâque cum proximis quibusque partibus arteria connectitur. Accedit tunica, quam vocant externam, in pericardio ab hoc ipſo, in thorace à pleura, in abdomine à peritonaeo; pleura autem & peritonaeum totam non complectuntur arteriam, ſed tantum ipſi a priore parte ſuperinducuntur. Quae arteriae intra capacitatem quamdam, membrana veſtitam, non eminent, quaeque ad ejusmodi membranam non pertinent, ad eas nullum etiam ejusmodi involucrum externum accedit. Annot. Acad. Lib. 4. cap. 8. pag. 32. 33. 34.

LXV. Portio aörtae deſcendentis hominis adulti inverſa. Ex parte detracta tunica interna dependet, confirmatque, quae de ipſius natura ad num. LXIV. dicta ſunt.

LXVI. Segmentum aörtae deſcendentis hominis adulti, per longitudinem diſciſſum, & explicatum in longitudinem. Detracta dependet tunica interna cum parte muſculoſae ei adhaerente.

LXVII. Arteriae aörtae deſcendentis ſegmentum per longitudinem a parte poſteriore diſciſſum, & explicatum in latitudinem, ut appareat exitus arteriae coeliacae, meſentericae ſuperioris, emulgentium, aliarumque finitimarum minorum.

LXVIII. Hominis adulti aörta deſcendens extrema, ubi in iliacas abit. Intus cernitur eminentia acuta, ubi in iliacas vertitur.

Nervi.

LXIX. Portio nervi craſſioris hominis adulti. Faſciculus eſt nervorum graciliorum, per membranam celluloſam conjunctorum.

LXX. Ramus unus quinti paris nervorum cerebri humani, ubi apparet; quomodo ex ramulis coaleſcat.

LXXI. Nervorum brachialium hominis adulti unus, qui nervorum minorum faſciculus eſt. Arteriae impletae paucae, tum extrinſecus ad nervum, tum intrinſecus inter nervulos ejus.

Viſcera.

LXXII. Meninx tenuis cerebri feminae viginti & quatuor annorum, cujus arteriae penitiſſime impletae liquore rubro. Cernuntur proceſſus piae matris, e ſulcis protracti: trunci arteriarum corticis, ex eo evulſi, de pia matre dependent. Annot. Acad. Lib.

Lib. 1. tab. 2. fig. 3. Ratio, modusque, quibus arteriae ſe per piam matrem diffundunt, plane in hoc praeparato monſtrari poſſunt. Ab arteriis, per ipſam diffuſis, arteriae ex interiore ejus parte procedunt innumerabiles, perſubtiles, breves, confertae, quae piam matrem veluti piloſam reddunt, & cortici inhaeſerunt, ad quem itaque non una, aut paucae, eaeque majores arteriae accedunt, ut ad viſcera alia, ſed innumerabiles, exiles, ab omni parte, qua pia matre veſtitur. Annot. Acad. cap. 12. pag. 40. 41. 42.

LXXIII. Tenuis meninx cerebri hominis junioris, impletis arteriis. In ea cernuntur, ſed minus plena, quae in LXXV., propter adhaerentes particulas corticis.

LXXIV. Meningis tenuis hominis adulti arteriae majores admodum ramoſae, plurimaeque vertuntur in lanuginem arterioſam corticis. Materie rubra impleti ſunt.

LXXV. Portio meningis tenuis hominis adulti, ex interiore parte conſpicua. Cernuntur proceſſus, quos in ſulcos cerebri demittit. Arteriae, impletae, decurrunt per meningem tenuem, proceſſusque ejus. Ab iis ramuli numeroſi ex interiore parte dependent, protracti e cortice, cujus ſunt arteriolae maximae, aliae craſſiores, aliae ſubtiliores. Hic illic corticis particulae adhaerent, per quas arteriolae ſubtiles diſtribuuntur.

LXXVI. Portio piae matris hominis adulti, cujus arteriae impletae. Ex interiore parte adhaeret lanugo rubra, quae fit ex arteriis corticis impletis, & diſſolutis. Annot. Acad. Lib. 1. tab. 2. fig 2

LXXVII. Portio meningis tenuis hominis adulti, partem interiorem oſtendens. Arteriae impletae; cortex diſſolutus, cujus loco lanugo arterioſa meningi tenui ex interiore parte adhaeret. Pendet a ſerpente, qui appoſitus.

LXXVIII. Pars cerebri hominis adulti, penitus impletis arteriis. Meninx tenuis corticem exterius ambit cum arteriis flexuoſis. Tenuis meningis proceſſus lateri ſulci adhaeret cum arteriis multis. Meninx tenuis de cortice detracta dependet, cum cortice arterioſo ſoluto adhaerente. Cortici a meninge tenui denudato infixae arteriae majores a vaſis meningis illius immiſſae. Cortex ex vaſorum impletione totus rubet. In medulla vaſa pauca impleta ſunt. Tenuis meningis proceſſus cum arteriis multis, inſerti ſulcis, ex transverſo ſectis.

LXXIX. Portio cerebri hominis adulti. Pars exterior partim tecta pia matre eſt cum arteriis impletis; partim nuda, detracta pia matre cum vaſis, quae continet. Cortici autem infixi ſunt trunci innumerabiles, rami arteriarum piae matris. Cernitur etiam truncata corticis, & medullae pars. Diductis ſinuoſis cerebri flexibus, ſulcus dividens apparet; in ſulco flexus undatim ſinuoſi. Alterum ſulci latus veſtit piae matris proceſſus, arterias impletas continens. Arteriae majores adſunt in anguis, quos flexus ſinuoſi relinquunt inter ſe, conſpiciuntur etiam tales intus in ſulcis flexuum ſinuoſorum; adeo ut pleraeque ſic decurrant, ut locum ſibi inveniant commodum, & cortici non ſint impedimento. Annot. Acad. Lib. 1. tab. 2. fig. 1.

LXXX. Portio cerebri hominis adulti, conſtans ex medulla & cortice. Cortex ex impletione arteriarum totus ruber. In medulla vaſa impleta pauciora.

LXXXI. Portiones corticis & medullae cerebri hominis adulti. Cortex ex impletione arteriarum rubet.

LXXXII. Portio cerebri hominis adulti, conſtans ex cortice & medulla. Cortex ex impletione ſubtili arteriarum rubet. In medulla vaſa impleta pauca.

LXXXIII. Cerebri hominis adulti portiones duae; ubi medullae, loco corticis, inhaerent arteriae ejus impletae; & ſolutae. In medulla vaſa impleta plurima.

Haec praeparata optime fabricam vaſculoſam corticis & medullae demonſtrant. In cortice quippe trunculi arteriarum abeunt in innumerabilem multitudinem ramorum ramoſorum, &, his ſubtiliter pleneque repletis, plane rubet. Si deinde dextre & ſubtiliter in aqua ſolvitur; ſic ut laxetur, quod impletum eſt, ſolvanturque ejus nexus, nec tamen aliquid, certe non multum, perdatur, offert ſe ſpecies lanuginis, denſae, ſubtiliſſimae, tenerrimae, molliſſimae, in quam trunculi abeunt. Eam nil niſi vaſa eſſe impleta conſpicillo cernitur. Trunculi ad medullam tendunt, inſertaque iis lanugo, jam inde a pia matre ad medullam usque. Lanugo ipſa ad medullam non modo pertinet, ſed multis etiam ramulis, veluti infixis, ei ad poſtremum inhaeret, & non ſolum ſubtiliſſimis, ſed etiam craſſioribus. Sunt trunculi inter eos, qui manifeſte penetrant in medullam. Cuncta haec quam optime his in praeparatis, ea propter etiam nitidiſſime delineatis, cernuntur. Annot. Acad. Lib. 1. tab. 2. fig. 4. 5. Conf. cap. 12. pag. 42. 43. 44. 45.

LXXXIV. Hominis adulti plexus choroïdeus impletis arteriis, quarum perplenus eſt.

LXXXV. Infantis nuper nati pulmones, cor, thymus, &c. ſitu naturali compoſita, impletis vaſis. In pulmonum parte extima concreta pars albicans liquoris, quo impletio facta eſt, quae exiit ſudoris ſpecie.

LXXXVI. Cordis hominis adulti ventriculi dextri ſeu anterioris portio, quae ex impletis arteriis rubet, explicata, diſciſſo oſtio venoſo, cui ab exteriore parte continuata auris dextra, ab interiore valvula venoſa. Ex interiore parte tum cor tum auricula lacertoſa ſunt. Columnae carneae cordis oſtium verſus tendunt, ventres muſculorum; exeuntque in tendines, qui magis diviſi lateſcunt, confluuntque in membranas tendineas tres, ſimilitudine aponeuroſium; quae ad poſtremum confluunt in unam orbiculatam, ad oſtium venoſum pertinentem. Cum oſtio diſſecta pars orbiculata eſt, valvularumque tricuſpidum una.

LXXXVII. Pulmonis infantis, per arteriam pulmonalem impleti, portiones duae. Superiorem continet membrana externa, ſed ad lobulos plerosque inciſa. Inferior ex pulmone exſecta eſt, in qua lobuli, reſciſſa vaſa, veſiculae, circumque eas nil niſi rubrum, vaſculis per exiguis, & numeroſiſſimis contentum.

LXXXVIII. Omentum infantis nuper nati, cum portione ventriculi, unde dependet. Arteriae gaſtro-epiploïcae ſiniſtrae dextraeque impletae ſunt, ut per venas gaſtro-epiploïcas liquor redierit. Apparent rami, ab iis ventriculo dati, & omento. Vaſa illa per omentum pulchre ducuntur, ramis ſuis ramoſis, ad minima pertinentia. Ipſum omentum perſubtile eſt.

LXXXIX.

LXXXIX. Portio ventriculi hominis adulti. Tunica interna detracta á nervea dependet; tenuis, denſa, mollis, ad terendum non idonea. Nervea craſſa, mollis, aliquantum laxata. Ab exteriore parte annexa muſculoſa tenuis, cum externa pertenui, ſed firma.

XC. Similis portio ventriculi, ut LXXXIX.

XCI. Portio magna tunicae internae inteſtini tenuis hominis adulti, detracta á nervea. Arteriae impletae ſunt, earumque ramuli numeroſiſſimi detrahendo abſciſſi ſunt, qui in villos penetrant, ex eo rubentes.

XCII. Portio magna tunicae internae inteſtini tenuis hominis adulti, impletis arteriis ut XCI.

XCIII. Portio inteſtini jejuni hominis adulti a meſenterio *reſecta*, & a parte, quae meſenterio oppoſita, diſſecta, & explicata in longitudinem. Venae penitus impletae ſunt. Villi rubri, quam pulcherrimi, venarum impletarum pleni. Adſunt quoque valvulae.

XCIV. Portio inteſtini jejuni hominis adulti, abſciſſa a meſenterio, & á parte, quae ei oppoſita, per longitudinem diſciſſa, & explicata. Venae penitus impletae ſunt. De nervea detracta pars magna tunicae internae, reſciſſis venulis, quae ex nervea ad internam pertinent. Tunica interna ex venarum impletione tota rubra, villique. *In nervea reliquiae valvularum, per quas venae excurrunt, a nervea venientes. Caeterum ſuperſunt partes valvularum, propagines nerveae, veſtiente tunica* interna cum villis ſuis.

XCV. Portio inteſtini jejuni hominis adulti, ibi, ubi meſenterium, per longitudinem diſciſſum & explicatum. Arteriae liquore rubro, venae coeruleo penitus impletae ſunt. Ab altera parte detracta tunica muſculoſa dependet; ab altera detracta tunica interna. In nervea, nudata ab interna, proceſſus in valvulas pertinentes; in iisque venae & arteriae per proceſſus excurrentes; quarum ramuli, ad tunicam internam pertinentes, detrahendo eam, abſciſſi, apparent in interna. Villi toti impleti, partim rubri, partim coerulei, impletis vaſis. Globuli perexigui, albicantes, rubri, & coerulei, praeſertim apparentes, ubi muſculoſa detracta, vitio impletionis orti.

Eluceſcit ex hoc, ex aliis etiam hujus generis praeparatis; valvulas componi ex tunica nervea & interna. A nervea portiones excurrunt, e quibus, tunica interna veſtitis, conſtant; internâ hinc ſcienter detractâ, valvula ſupereſt, nerveae proceſſus; ſed, quantum detractione internae diminuta, tantum brevior, tenuiorque. Annot. Acad. Lib. 3. cap. 4. pag. 25.

Apparet praeterea, quomodo arteriae & venae per tunicas inteſtinorum pertineant. E meſenterio in utramque ambitus inteſtini partem trunculi arteriarum & venarum procedunt. Primum autem inter tunicam communem & muſculoſam, in haerentes ibi menbranae celluloſae, e meſenterio venienti. Inde mox inter fila muſculoſae ad nerveam penetrant, per eamque deinde diſcurrunt, in ramos ſeſe ſpargentes, quibus ſe tum finitimae inter ſe, tum oppoſitae creberrime conjungunt, excurrunt quoque per proceſſus nerveae, qui ad valvulas pertinent. A *truncis, ramisque,*

ter-

nerveae inhaerentibus, multi rami tum ad tunicam internam, tum ad muſculoſam communemque. Qui ad internam, ſubtilibus ramis ad eam pertinent. Qui ad muſculoſam, penetrant in eam, abeuntque in creberrimos, ſubtilesque ramos, partim inter fila muſculoſae decurrentes, partim emergentes ex iis, & ad communem pertinentes, creberrimeque ſe inter ſe conjungunt. Ad hos accedunt ramuli alii, ſiquidem trunci tum venarum tum arteriarum, quum ad inteſtinum acceſſerunt, antequam muſculoſam ſubeant, ramum exigunt, qui ſe in ramulos inter communem & muſculoſam ſpargit, iique ramuli conjungunt ſe inter ſe, & cum ſupra dictis. Ubique fere gemina vaſa, quorum alterum, quod craſſius, vena, alterum arteria; eaeque ſe invicem comitantur. Annot. Acad. Lib. 3. cap. 11. pag. 52. 53. Implevit Cl. Albinus, ut dicta paterent, arterias ita, ut ex iis liquor in venas penetraverit, easque non minus repleverit; ſeparavit dein tunicas, ut non ſolum vaſa integra eſſent, ſed etiam fila tunicae muſculoſae, nervea, interna. Annot. Acad. Lib. 3. cap. 11. pag. 57.

Conferantur XCVII. CXI.

XCVI. Tunicae internae inteſtini ejusdem, cujus XCV., portiones quatuor. Quinta conſtat ex tunica communi, muſculoſa, & nervea, unde detracta nervea dependet, ut XCV.

XCVII. Portio inteſtini jejuni hominis adulti inverſa. Venae impletae. Detracta tunica interna, nervea apparet, cum proceſſibus in valvulas pertinentibus. Venae nerveae inhaerent, unde rami per proceſſus excurrunt, ut XCIV. Annot. Acad. Lib. 3. Tab. 2. Fig. 1.

XCVIII. Hominis adulti portio inteſtini jejuni per longitudinem, qua parte ad meſenterium adhaerebat, diſciſſa, & explicata in latitudinem. Conſtat ex ſola nervea, cum propaginibus in valvulas pertinentibus. Arteriae impletae ſunt. Conf. XCV.

XCIX. Portio inteſtini jejuni hominis adulti, penitus per venas impleta. A meſenterio reſecta eſt, poſt, ubi adhaeſerat, diſciſſa, & explicata in longitudinem. In parte interiore valvulae & villi. Ab exteriore parte ſupra tunica communis vestiens. Qua detracta deinde, tunica muſculoſa, conſtans maximam partem e filis orbiculatis, quae decuſſant longitudinalia tenuia ea parte, quae oppoſita eſt ei, qua adhaeſerat ad meſenterium.

C. Hominis adulti inteſtini jejuni portio magna inverſa, ut valvulae appareant. Penitus impletis venis, tunica interna, villique ex impletione vaſorum rubent.

CI. Portio inteſtini jejuni hominis adulti, a meſenterio reſciſſa, ibidemque diſſecta per longitudinem, & explicata per latitudinem. In parte interiore valvulae confertae. Per venas impleta, ex quo tunica interna tota rubet, rubentque villi, quorum plena eſt tunica interior, ex venis impletis.

CII. Inteſtini jejuni portio duodeno propior, quam C., ex homine alio; villi majores, caeterum ſimilis.

CIII. Portio principii inteſtini jejuni hominis adulti, ubi ad meſenterium adhaeret, diſſecta, atque explicata in longitudinem. Arteriae repletae liquore rubro, venae caeruleo. Ab exteriore parte detracta tunica communis cum parte muſculoſae, cujus pars

pars relicta in nervea, sic apparent fila musculosae, interque ea penetrantia numerosa vasa rubra & coerulea. Ab interiore parte valvulae crebrae. Easque atque interiorem partem totam continue investit tunica interna villosa dicta. Ea confertorum villorum plena est, tum qua valvulas vestit, tum qua intervalla earum. Villi partim rubri, partim coerulei, decurrentibus per eos arteriis venisque repletis. Coerulei coloris plus apparet, quam rubri, quoniam plures venae repletae quam arteriae, fortasse quoque, quoniam venae ampliores sunt, & tenuiores, & plures. Tunicam villosam eminere faciunt corpuscula parva, rotunda, ovata; glandulas appellant. Per ea leniter crebreque eminet tum in valvulis, tum in intervallis earum. Non paucae extra eminent; & veluti pendent, cum superducta tunica villosa. Tam multae tamque magnae erant hoc in intestino.

CIV. Similis portio intestini humani, ac CIII.

CV. Portio intestini ilium hominis adulti, ubi ad mesenterium adhaeret, discissa, & explicata in latitudinem. Arteriae impletae liquore rubro. Supra est tunica communis cum musculosa adhaerente, detracta nervea cum villosa, extrinsecus musculosa cum communi: inde infra villosa sola, detracta ab exteriore parte nervea cum musculosa & communi. Sic apparet tunicarum propriarum trium & communis differentia: pertenuis & ex interiore parte villosa interna; crassa densaque nervea; musculosa tenuis, laxa; tenuior & densior communis. Apparet quoque, in nerveam arterias duci, ab iisque non nisi ramos subtiles duci in musculosam, communemque & internam. Tunicae villosae ex interiore parte inhaerent corpuscula, glandulas quas vocant.

CVI. Portio intestini ilium hominis adulti, ubi ad mesenterium adhaeret, discissa & explicata in latitudinem. Tunica nervea superior, à qua ab altera parte separata musculosa cum communi, ab altera interna, dependent. Arteriae repletae liquore rubro; caeteraque eadem, quae CV. In interna conspicua granula multa, parva, glandulas appellant. Eaeque, quum separarentur tunicae, cum tunica interna separatae sunt a nervea. Annot. Acad. Lib. 6. cap. 8. pag. 56.

CVII. Hominis adulti portio intestini ilium, ubi mesenterium adhaerebat, per longitudinem discissa, & explicata in latitudinem. Arteriae impletae sunt. Ab altera parte detracta tunica communis cum musculosa, quarum portio dependet. Ab altera nerveam vestit tunica interna, cujus pars infra separata a nervea resciſſa. Arteriae, ut CV.

CVIII. Hominis adulti portio intestini ilium, juxta mesenterium per longitudinem dissecta, & explicata in latitudinem. Tunica nervea cum adhaerente interna separata a musculosa dependet. Musculosa admodum tenuis adhaeret ad communem. Arteriae impletae sunt, quarum contextus in nervea; unde ramuli abscissi ad musculosam & communem, multoque plures ad internam.

CIX. Portio intestini ilium hominis adulti, dissciſſa per longitudinem in parte ea, quae opposita illi, cui adhaeret mesenterium, & explicata in latitudinem. Nerveae ab altera parte adhaeret cummunis cum musculosa; supra detracta musculosa cum

cum communi; ab altera detracta interna, quae dependet. Arteriae implétae ſunt penitus.

CX. Portio inteſtini ilium hominis adulti, abſciſſa a meſenterio, & explicata in longitudinem. Arteriae impletae ſunt liquore rubro, venae coeruleo. Ab altera parte nerveae detracta tunica interior dependet; ab altera tunica muſculoſa cum communi. In nervea vaſa majora omnia, ubi arteriae venas comitantur. In interna ramuli numeroſi, rubri & coerulei, à nervea penetrantes in partem illam, qua ad nerveam adhaeſerat; detrahendo tunicam abſciſſi, unde in villos penetrant, qui toti rubri & coerulei. Muſculoſa tenuis; in eaque ramuli, detrahendo muſculoſam abſciſſi, rubri & coerulei, e vaſis nerveae in muſculoſae partem interiorem, qua ad nerveam adhaeſerat, penetrantes, per eamque ſubtilibus ramis ramoſi. Pars ex liquore, quo impleta, exiit, globulos albos referens.

CXI. Portio inteſtini ilium hominis adulti, per longitudinem ibi, ubi inteſtinum cum meſenterio cohaeret, diſſecta & explicata. Detracta tunica communis cum parte muſculoſae dependet. Impletae arteriae & venae. Tunica interna, villoſa, adhaeret adhuc nerveae laxatae & in humore explicatae, cum hac nectitur pars tunicae muſculoſae, a qua reliquum ejus, una cum communi ſeparatum, dependet. Cernuntur fila muſculoſa, quibus inteſtini ambitus orbiculatim circumdatus. Tres trunci arteriarum & venarum, e meſenterio venientes, procedunt primum inter tunicam muſculoſam & communem, dein inter fila muſculoſa penetrant ad nerveam, poſt diſcurrunt per nerveam ſub filis muſculoſae. Tres ſimiles ad oppoſitam inteſtini partem pertingunt. Omnes per nerveam in ramos ſe ſpargunt, quibus ſe creberrime conjungunt, tum finitimi inter ſe tum oppoſiti, & ab illis rami ad internam pertinent. Trunci ad inteſtinum accedentes, antequam muſculoſam ſubeant, ramos emittunt, qui ſe in ramulos inter communem & muſculoſam ſpargunt, ut in dependente parte apparet, & hi tum inter ſe tum cum ſupradictis conjunguntur. Figuram hujus praeparati vide in Annot. Acad. Lib. 3. Tab. 1. Conf. dicta ad XCV.

CXII. Similis portio inteſtini ilium humani, uti CXI.

CXIII. Portio inteſtini ilium hominis adulti, abſciſſa a meſenterio: impletae ſunt arteriae. Detracta de circuitu toto tunica communis. Tunica muſculoſa, qua parte filis orbiculatis conſtat, diviſa, ſic ut pars adhaereat communi, pars in inteſtino ſit, a qua nonnulla fila ejus dependent. Trunci arteriarum, e meſenterio venientes, procedunt primum inter tunicam communem & muſculoſam; dein inter fila muſculoſae penetrant ad nerveam, poſt per nerveam diſcurrunt ſub filis muſculoſae. Trunci illi, antequam muſculoſam ſubeunt, ramos emittunt, qui inter communem & muſculoſam ramos ſpargunt, pertinentes ad utramque. Conf. XCV.

CXIV. Portio inteſtini tenuis hominis adulti, & quidem ilium, per longitudinem in parte oppoſita meſenterii diſciſſa & explicata in latitudinem, ut tunica interior magnam partem facta ſit exterior. Impletae venae; ex quo tunica interior villorum rubrorum eleganter plena, rubent autem ex venis impletis. Antequam diſcinderetur, inflata eſt nervea.

CXV.

CXV. Hominis adulti portio inteſtini ilium inverſa, ut tunica interna exterior ſit. Venae admodum impletae, ex quo pſeudo-papillae Ruiſchii. Hae autem non modo papillae non ſunt, ſed ſunt aliquid factitium & vitioſum. Quum venas inteſtini humani admodum impleviſſet Ruiſchius, partem ejus interiorem plenam vidit tuberculorum rubrorum, quae etiam remanebant inteſtino exſiccato; papillas nervoſas eſſe, protinus exiſtimavit. Fiunt autem vitio impletionis, ubi nimis per venas urgendo, liquor in propagines nervoſae, quae in villis ſunt, effluit, eas implet, diſtenditque, coërcente tunica externa villorum, ut ipſi villi ſint ſic praeter naturam diſtenti. Itaque per operam illam liquor etiam effluit in nervoſam inteſtini, eamque, poſtquam liquor coïvit, veluti maſſulis rubris implet. Annot. Acad. Lib. 7. cap. 18. pag. 98.

CXVI. Similis ac CXV. Sed inteſtinum per longitudinem diſciſſum & explicatum in latitudinem.

CXVII. Inteſtini ilium hominis adulti portio, inverſa, impleta per arterias; ex quo tunica interna, villique rubent.

CXVIII. Tunica interna detracta de inteſtino ilium hominis adulti, impletis penitus arteriis & venis, illis colore rubro, his coeruleo. Qua parte ad nerveam adhaeſerat, abſciſi ramuli rubri & coerulei vaſorum ex nervea ad internam pertinentium. Ab altera parte villi toti rubri & coerulei. Interna, villique, demtis vaſis illis, pertenues.

CXIX. Tunica interna inteſtini ilium hominis adulti, plane ut CXVIII.

CXX. Tunica interna inteſtini ilium hominis adulti, impletis penitus arteriis & venis, illis colore rubro, his coeruleo, ut CXVIII., cui ſimilis eſt. Inhaerent glandulae, quae cum tunica interna detractae.

CXXI. Portio inteſtini ilium hominis adulti, impleta per arterias. Inverſa eſt. A nervea dependet tunica interna detracta.

CXXII. Portio inteſtini ilium hominis adulti. Inverſa eſt, detractaque nervea muſculoſam exhibet filis orbiculatis. Detracta quoque tunica communis adjacet. Inſunt vaſa impleta.

CXXIII. Portio magna tunicae communis cum adhaerente muſculoſa detracta de inteſtino ilium hominis adulti, in iisque arteriae impletae. Apparet quam tenuis ſit muſculoſa.

CXXIV. Hominis adulti portio inteſtini ilium per longitudinem praeter extremam partem fiſſa & explicata. Venae penitus impletae ſunt. Valvulae parvae & diſſitae. Tunica interna villorum rubrorum tota plena.

CXXV. Infantis nuper nati portiones duae inteſtini ilium inverſae. Impletae arteriae, villi ex eo rubri.

CXXVI. Confinia inteſtini tenuis & craſſi embryonis humani. Inverſa ſunt. Inteſtinum craſſum, paulatim anguſtatum, fit inteſtinum vermiforme, inde ſenſim quoque anguſtius. Craſſum & vermiforme absque villis; tenue villoſum. In craſſo & vermiformi ſtigmata, oſcula glandularum; nulla ejusmodi in tenui. In craſſo macula magna, fuſca. Exhibita haec praeparatio in Annot. Acad. Lib. 6. tab. 2. fig. 7.

CXXVII.

CXXVII. Hominis adulti inteſtinum vermiforme diſſectum per longitudinem & explicatum. Penitus impletae ſunt venae, unde tunica interna tota rubet, ut CXXXII. eademque cernuntur. Apparent quoque glandulae, ut CXXXIII.

CXXVIII. Portio inteſtini coli infantis nuper nati explicata; ubi in tunica interna ſtigmata, oſcula glandularum. Vide CXXVI.

CXXIX. Hominis adulti portio inteſtini coli e regione extremi ilium per longitudinem inciſi & explicati in latitudinem. Cernitur coli ruga magna, in eaque oſculum oblongum valvulae coli, rimae ſimilitudine, labiis craſſioribus. Ruga illa intra colon prominet. Penitus impletae ſunt venae; ex quo coli tunica interna tota rubet per venas minutiſſimas, numeroſisſimasque ad tunicam illam pertinentes. In ea quoque pororum minutisſimorum & creberrimorum ſpecies. Fabricam hujus valvulae, modumque, quo optime inveſtigatur, deſcripſit Clar. Albinus Annot. Acad. Lib. 3. cap. 2. pag. 15. Conf. Lib. 4. cap. 14. pag. 70. ſeq. Lib. 5. cap. 1. pag. 18. 30. 38. 44. 45. ſeq. cap. 2. pag. 127. Lib. 6. cap. 11. pag. 124.

CXXX. Portio inteſtini coli hominis adulti per longitudinem diſſecta & explicata in longitudinem. Venae impletae ſunt. Extrinſecus detracta tunica communis, & ſuperſunt muſculoſae fila, ad nerveam adhaerentia. Ab altera parte a nervea detracta interna dependet. Trunci vaſorum inter fila muſculoſae penetrant ad nerveam, per quam ramis majoribus, multisque parvis diſtribuuntur, unde ramuli multi ad muſculoſam, per eam quoque penetrantes ad communem; plurimi autem ad internam, niſi quod villoſa non ſit, ut in tenui CXI. CXII.

CXXXI. Portio inteſtini coli, ut CXXX.

CXXXII. Portio inteſtini coli hominis adulti, per longitudinem diſciſſa & explicata, ut tunicam internam potisſimum oſtendat. Inflata nervea, tunica interna aliquibus in locis rupta eſt, ubi apparent rami numeroſi, ex vaſis nerveae ad internam tendentes. Interna autem ex ramis perſubtilibus ad eam creberrime deſinentibus, tota rubet. Venae penitus impletae ſunt. In tunica interna, ubi impleta, pororum ſubtiliſſimorum creberrimorumque ſpecies, etiam in portionibus non impletis. Caeterum nulli villi. Annot. Acad. Lib. 6. cap. 8. pag. 56.

CXXXIII. Portio inteſtini coli hominis adulti, eaque inverſa, ut tunica interna exterior ſit. Impleta per venas. Corpuſcula crebra attollunt tunicam internam, glandulas vocant; inhaerentque tunicae nerveae. Crebriora, ubi ligamenta per coli longitudinem ducta. In medio, ubi eminent, parva lacuna. Annot. Acad. Lib. 6. cap. 8. pag. 56.

CXXXIV. Portio inteſtini coli hominis adulti, ut CXXXIII. Sed, tunica interna maximam partem detracta, adhaerent ejus portiones fluitantes. Sic apparet nuda nervea, cui glandulae inhaerent, quarum ad lacunas interna tunica reſecta. Apparet quoque, ad tunicam internam nil niſi perparvas arterias, easque creberrimas, deſinere.

CXXXV. Embryonis humani nuper nati pars meſenterii, a qua partim abſciſſum eſt inteſtinum juxta meſenterium, partim ad eam adhaeret. Quod adhaeret, inteſtinum ilium eſt. Pars inteſtini ilium juxta meſenterium per longitudinem diſciſſa, &

ex-

explicata, ut cernantur interiora. Arteriae impletae ſunt. Cernuntur arteriae per meſenterium tendentes ad inteſtinum. Glandulae meſenterii impletae. Villi impleti.

CXXXVI. Hominis adulti meſenterium abſciſſo inteſtino. Detracta utraque membrana peritonaei, ſola pars interior nervea cum venis impletis & glandulis, quae ſimiliter penitus impletae. Nerveae accenſentur non impletae arteriae, lactea, nervi, &c.

CXXXVII. Pars membranae alterius meſenterii, impletis arteriis, hominis adulti. Exſiccata eſt ſuper phialam.

CXXXVIII. Portio jecoris humani, per venam portarum impleti, & ſoluti, ut penicilli Ruiſchiani appareant.

CXXXIX. Pars magna lienis hominis adulti, impleta per arterias, & detracta tunica externa diſſoluta. Apparent arteriarum penicilli ſubtiles. Venarum trunculi albicantes, abruptis diſſolvendo ramulis minoribus. Conſpicitur locus, ubi arteriae & venae lienem intrant, arteriae impletae, venae vacuae.

CXL. Portio lienis humani, impleta per arterias, & detracta tunica externa diſſoluta. Diſſolutae ſunt arteriae impletae, diſſolutae venae non impletae, quarum ramuli detriti.

CXLI. Portio lienis hominis adulti, ut CXL.

CXLII. Infantis nuper nati ren, impletus per arteriam, pendens ab uretere. Conſtat e renunculis, detracta tunica externa, ut CXLIII.

CXLIII. Embryonis fere maturi ren cum inſidente ſuccenturiato. Impletae penitus arteriae. Tunica externa renis ex parte detracta. Ren ex renunculis coagmentatus.

CXLIV. Renis hominis adulti per longitudinem a gibba parte ſinum verſus diſſecti portiones duae. Arteriae impletae ſunt; & apparet cortex vaſculoſus, baſes papillarum ambiens, eisque ſe interſerens. In papilla variae fiſtulae uriniferae impletae.

CXLV. Hominis adulti ren, per arteriam penitus impletus. A gibba parte in ſinum medius per longitudinem diſſectus; ex quo diſſecta quoque pelvis pars, cujus reliquum, ubi in ureterem vertitur, integrum eſt. Papillae inhaerent ramis pelvis. Maxime autem cernuntur cortex, papillaeque impletae, maximeque in papillis impletae fiſtulae uriniferae; potisſimumque in papilla ſuperiore, hic media diſecta, ubi fiſtulae illae ex omni ambitu radiorum ſpecie colliguntur in mucronem, qui ramo pelvis inhaeret. Quum arteria emulgens impleretur, rediit liquor per venam, effluxitque per ureterem, ſimilitudine urinae.

CXLVI. Renis hominis adulti impleti per arterias papilla una cum adhaerente parte corticali. Extremum papillae prominet intra ramum pelvis truncatum. Ramus pelvis papillae circumcirca continuatur.

CXLVII. Papilla renis, ut CXLVI.

CXLVIII. Renis hominis adulti pars ſuperior, per longitudinem laterum media diſſecta; diſſectus quoque ſinus, rami pelvis, ureter. Arteriae impletae ſunt. Papillae baſibus ſuis ad gibbum renis ſunt, mucrones in ſinum dirigunt. Papillae duae conſpi-

ſpicuae cum mucronibus ſuis, inſertis ramis pelvis. Per papillas fiſtulae uriniferae, ad mucronem decurrentes.

CXLIX. Renis hominis adulti pars dimidia altera illius, quae CXLVIII. Papillarum duarum mucrones in ſinum renis directi inhaerent ramis pelvis. Arteriae emulgentis ramus ex ſinu renis pertinet ad renem inter mucrones papillarum, ramosque pelvis, qui eos continent.

CL. Fundus veſicae hominis adulti, impletis arteriis. Tunica interior tenuis, denſa, firma, qua parte veſicam terminat, glabra & aequabilis: ad eam arteriolae exiles creberrimae punctorum inſtar pertinent, ex quo tota ſubtiliter rubra. Extrinſecus muſculoſa e lacertis craſſis conſtat, per quos arteriae parvae decurrunt.

Tactus.

CLI. Pars mammae virgunculae. Papilla parva, modice eminens; in ea eminentiae multae majores, circum eam innumerabiles papillae parvae, inciſuris cutis diſtinctae. Detracta cuticula eſt cum reticulo, quibus, ut mamma reliqua, areola veſtita fuit, ut & papilla. In illis tegumentis oſtia adfuerunt canalium lactiferorum. Figuram vide in Annot. Acad. Lib. 3. tab. 4. fig. 2.

CLII. Feminae adultae, annorum circiter triginta, pars prior pedis extremi, penitus impletis arteriis, detracta cuticula cum reticulo, & unguibus. In planta, parteque digitorum inferiore papillae ex impletis vaſis eorum quam pulcherrimae, magnitudine pro variis locis differentes.

CLIII. Portio cutis, detractae de brachio feminae adultae. Cuticula cum reticulo detracta. Arteriae penitus impletae. Papillae minimae innumerabiles, totae rubrae. Pori, e quibus radices pilorum protractae. Ex impletis arteriis ſudoris ſpecie exiit ejus liquoris, quo impleta, pars albicans, concretaque in parte extima.

CLIV. Portio cutis, ſimilis illi, quae CLIII.

CLV. Cutis de cubito feminae ejusdem detracta, cujus eſt CLIII. In ea cernuntur eadem, arteriis penitus impletis.

CLVI. Portio cutis, ſimilis illi, quae CLIII.

CLVII. Portio cutis, ſimilis illi, quae CLIII., niſi quod concreti parum adhaereat in parte ſumma.

CLVIII. Cutis plantae pedis hominis adulti, quae in calce, juxtaque eam eſt. Detracta cuticula cum reticulo & inverſa. Papillae nudae rubent totae ex impletione, cerniturque in vaſculis contineri, quo rubent. Cuticula craſſa, alba, denſa; craſſior in calce, unde in plantam tenuior. Reticulum ſubluteum. Conſtant papillae ex pluribus filis, quae aliae aliis adſtant, extremis veluti collectis in unum; magnitudine in aliis aliisque locis inaequales inter ſe ſunt; circa mediam calcem majores, mediam plantam verſus minores, minores juxta latera. A planta atque digitis in dorſum pedis ac digitorum ſenſim breviores, & minores, donec filorum loco tubercula ſint. In Annot. Acad. Lib. 6. tab. 2. fig. 3. cutis, qua parte in calce eſt, exhibetur; una ex papillis delineata eſt ibid. fig. 4.

In

In cute & in cuticula clavi ſpecies cernitur. Clavus nil aliud eſt, niſi cuticulae pars degenerata, hinc detrahendo cuticulam, detrahitur quoque clavus. Leviter hic intus ex cuticula eminet, latus, inaequabilis, mollis, nullibi corneolus. In cute ſcrobs reſpondens conſpicitur. In clavo reticulum, quod degeneravit, reſpondentesque in ſcrobe cutis papillae. Ex impletis liquore rubro arteriis, rubet ſcrobs rubentibus papillis, fere ut cutis circum circa. Annot. Acad. Lib. 6. cap. 6. & tab. 2. fig. 2.

CLIX. Cutis mediae plantae pedis hominis adulti, ut CLVIII. Infra detracta cuticula cum reticulo. Papillae totae rubent ex impletione arteriarum; & microſcopio cernitur, rubrum vaſis contineri.

CLX. Portio cutis plantae hominis adulti, detracta cuticula cum reticulo. In ea papillae confertae, quarum multae impletae ſunt.

CLXI. Pollex pedis hominis adulti, a quo cuticula & unguis cum reticulo ſuo detracta. Apparet ſulcus cutis, cui unguis inhaeſit. Sub ungue macula cutis alba, reſpondens radici unguis. Cutis papillis tota contecta eſt. Tenuiore orſu e cutis macula venientes, a principio aliquantum inflexae, recta ſe inde per longitudinem aliae juxta alias ſpecie porrigunt filorum, extremis partibus ſuis non longe ab illo loco deſinentes, ubi eminere unguis incipit. Per longitudinem totam cutis ſubtus continuatae ſunt, praeterquam in fine. Earum ultra finem breves dantur, aliae ſuper alias veluti inclinatae, & haud aliter ac longae, poſt quas continue ſequuntur, extremum unguem verſus porrectae. Annot. Acad. Lib. 2. cap. 14. pag. 57. tab. 7. fig. 4.

Guſtatus.

CLXII. Lingua hominis adulti cum tonſillis, larynge, pharynge. Pharynx retro a tonſillis per longitudinem diſſecta, & explicata, ut dorſum laryngis cernatur. Id omne, per arterias repletum, rubet. Linguam, tonſillas, laryngis dorſum, pharyngis interiora, una continua membrana veſtit. Omnia ex impletione tument, caeterum forma iis naturalis. In radice linguae utrimque expanſio glanduloſa; inter eas foramen coecum. Epiglottis erecta. Poſt eam glottis, ante rotundior, inde rectioribus lateribus, retro in angulum convenientibus; a quo rima glottidis. Intus rima interna, & ventriculi laryngis, cernuntur per glottidem introſpiciendo, & per aſperae arteriae abſciſſae principium, quod laryngi adhaeret.

In lingua papillae magnae aliquot juxta radicem ejus, ante loca glanduloſa, & foramen coecum, cernuntur. Tales in nonnullis tres tantum adſunt. Ad radicem ſuam tanquam in annulo quodam continentur, eam in ſpeciem circum eas terminata linguae radice. Adſunt aliae papillae, fungorum exiguorum formam habentes, minores, quam de quibus dictum, caeteris majores, quae mediae dici poſſunt. Rariores hae, diffitaeque, inveniuntur in ea linguae parte, quae eſt ante majores, nonnullae mox pone eas, nonnullae inter easdem. Earum, quae in medio ſitae ſunt, ma-

majores. Ante omnes illas, juxta linguae quidem latera, hujus generis paucae, in medio vix ullae. In extrema lingua plures, confertiores, aſt minores: qua parte eminent pleraeque rotundae ſunt, aliae quodammodo angulatae. Aliis minoribus linguae pars ſuperior a radicis locis glanduloſis denſe conſita eſt, interſertis tum majoribus, tum mediis. Hae veluti retuſae ſunt, vel acuminatae, cono aſſimiles: pleraeque per circuitum rotundae, inſtar coni; nonnullae angulatae, depreſſioribus lateribus convenientes cum proximis. Quartum etiam genus papillarum minimarum adeſt, quibus figura tuberculorum rotundorum. In extrema lingua crebrae multaeque interſertae majoribus; numeroſae in inciſuris linguae, ut & in membrana, veſtiente loca glanduloſa radicis. Denique degenerantium genus adeſt; in poſteriore quippe parte laterum linguae rugae quaedam transverſae ſunt, quarum priores tanquam ex papillis conſtant, aliis aliis continuatis, poſteriores rugas magis referunt, quam papillas. Annot. Acad. Lib. 1. cap. 14. pag. 55. tab. 1. fig. 6. 7. 8. 9. 10. 11.

In expanſionibus glanduloſis, tunicam veſtientem attollunt corpuſcula, quas vocant glandulas; rotunda, depreſſa, oſculo rotundo in ſummo. Tonſillae, foraminibus hiatibusque ſuis patent. Annot. Acad. Lib. 3. tab. 3. fig. 1. n.

Circa linguae extremum aliquot ulcuſcula in dorſo cernuntur.

CLXIII. Linguae hominis adulti extremum, impletis arteriis. In eo papillae mediae, minores, minimae. Detractae dependent periglottidis portiones. Haec veſtit linguam totam, tenuis eſt, coloris albicantis, natura quae cuticulae, multo autem mollior, reticulo quodammodo ſimilis, cui cuticula detracta. Pertinaciter adhaeret, ut reticulum cuti: abſcedit, ut cuticula, igne, fervida, maceratione, levi putredine absque maceratione. Si accurate detracta eſt, ex interiore parte, qua nempe ad linguam adhaeſit, reticuli primo aſpectu ſimilis; ſed, cum accuratius examinatur, praeſertim conſpicillo, nil niſi ſpecies talis reticuli adeſt, referentibus eam oſtiis vaginularum, quae papillas continent, ut in reticulo, quod ſub cuticula eſt. Tot enim talesque vaginulas exigit, quot qualesque dantur papillae, ut reticulum in planta pedis, ſed quia tenuis eſt, papillae autem altius eminent, fit, ut latere in ea, ut latent in cuticula papillae cutis, nequeant, ſed ſuperemineant cum ſuis illis vaginulis. Major ei craſſitudo in intervallis vaginularum, quam in fundo, in quo pertenuis plerumque. Quae vaginulae papillas continent e pluribus uno ſtaminibus conſtantes, earum in fundo reſpondentes extremis ſtaminum partibus foveolae. Si ſatis curae non adhibetur, foraminulum, loco foveolae, detritione non raro naſcitur. Annot. Acad. Lib. 1. cap. 16. pag. 65. tab. 1. fig. 11.

CLXIV. Hominis adulti angulus oris cum proxima parte labiorum & genae. Arteriae impletae ſunt, quae ramulis perparvis, creberrimisque pertinent ad exteriora cutis labiorum, & membranae ex interiore parte veſtientis; ex quo labia, tunicaque interior oris veluti villoſa. Intus in labiis oſcula quaedam, an glandularum ſubjectarum? Apparet, quomodo cutis continuatur in labia rubra, & haec in membranam, labia buccasque ex interiore parte veſtientem.

CLXV. Hominis adulti labia cum fiſſura oris, impletis arteriis. Ex quo membra-

brana interior tota rubra ex arteriolis ſubtiliſſimis, numeroſiſſimis, ad partem illam interiorem pertinentibus. Pars rubra labiorum; parsque interior, os ſpectans, veluti villoſa, villis rubris ex impletione vaſorum. In parte interiore oſcula circularia parva, ubi ſubtus ſitae glandulae labiorum & buccarum.

Olfactus.

CLXVI. Hominis adulti naſus cum labio ſuperiore, impletis arteriis. Cuticulae cum reticulo detractae portiones duae dependent, in quibus pilorum protractae radices, poris reſpondentibus cutis vacuis, quos poros alios implent radices illae. In cuticula cum reticulo pori rotundi, aut ſpecies illorum, ubi pili relicti in cute, a cuticula & reticulo abſcesſerunt, protractique ſunt, ac ſic foramina relinquunt. Icon. exhibita in Annot. Acad. Lib. 6. tab. 3. fig. 1.

CLXVII. Hominis adulti naſus cum labio ſuperiore, impletis arteriis, & detracta cuticula cum reticulo & pilis. In cute pori conferti majores minoresque, e quibus radices pilorum protractae. In rubra labii parte papillae numeroſae; in extremo ſpecies villorum. Reſciſſo interſtitio narium, apparet cartilago ejus, quam membrana mucipara, ab utraque parte, veſtit, ut CLXVIII. Ab interſtitii latere ſiniſtro fiſſura inter alam & interſtitium, qua naſus exterior in capacitatem interiorem patet. In ſecta parte labii cutis continuatur in labium rubrum, indeque in membranam, labium ex interiore parte veſtientem, ut CLXIV.

CLXVIII. Hominis adulti naſus extremus, impletis arteriis. Ala altera retro reſciſſa & antrorſum reflexa. Detracta cuticula cum reticulo & pilis. Extrinſecus in cute globi alarumque ſunt pori, quibus radices pilorum inhaeſerant. Intus in ala, parteque interſtitii, quae contra eam eſt, pori ſunt, quibus ſimiliter radices pilorum, quae vibriſſae vocantur, inhaeſerant. Arteriolae impletae perſubtiles creberrimaeque pertinent ad extima cutis & membranae muciparae, quae ex eo plane rubent. Reſciſſo interſtitio narium, apparet cartilago ejus, quam membrana mucipara ab utraque parte veſtit. A cujus latere ſiniſtro apparet fiſſura inter alam & interſtitium, qua naſus exterior in capacitatem interiorem patet.

CLXIX. Adulti hominis pars membranae muciparae, ſeptum narium veſtiens. Arteriis impletis pars interior tota rubet, arteriolis minimis & numeroſis ad eam ubique pertinentibus. In ea pori, ubi radices vibriſſarum infixae fuerant.

CLXX. Hominis adulti os ſpongioſum ſuperius cum veſtiente membrana mucipara. Impletae arteriae, quarum rami majores ſub membrana illa decurrunt; minores ſenſim ramoſae penetrant in eam, donec ramis perſubtilibus, creberrimisque deſinant ad partem interiorem, quae ex eo maxime rubet, veluti tincta, ut cute, praeſertim circa oram, qua parte eminet.

CLXXI. Hominis adulti os ſpongioſum ſuperius cum veſtiente membrana mucipara, ut CLXX.

CLXXII. Os ſpongioſum inferius cum membrana mucipara, ut CLXX.

Auditus.

CLXXIII. Auricula hominis adulti per arterias impleta, detracta cuticula cum reticulo, viventis ſpecie reddita. Arteriae ſubtiliſſimae, creberrimaeque ad extima cutis pertinent. In cute pori, unde radices pilorum protractae. Supra antitragum cicatrix variolae, ubi pori magnam partem deleti. Annot. Acad. Lib. 6. tab. 3. fig. 2.

CLXXIV. Auricula hominis adulti, ut CLXXIII. Sed cicatrix variolae nulla adeſt.

Viſus.

CLXXV. Globus oculi infantis, cujus arteriae impletae ſunt. Sclerotica circum corneam inciſa, & reflexa; ſic ut nuda ſit pupilla, uvea & pars choroïdis. In uvea vaſa impleta numeroſa; quae, circum radicem uveae emergentia, per latitudinem uveae tendunt ad oram pupillae, tota ſerpentina.

CLXXVI. Embryonis humani nuper nati membrana pupillam occludens, & vaſcula in ea. Haec membranula continuata eſt orae pupillae, & multo, quam uvea, tenuior exiſtit. Vaſcula in ea dantur, quae ex ora pupillae veniunt. Annot. Acad. Lib. 1. cap. 8. pag. 33. tab. 1. fig. 13. 14. De lite, circa inventam hanc membranam, videantur Lib. 3. cap. 16. pag. 81. Lib. 5. cap. 2. pag. 110. Lib. 6. cap. 11. pag. 72.

CLXXVII. Embryonis humani maturioris pars poſterior globi oculi, conſtans ex ſclerotica & choroïdea. Vaſa impleta ſunt. In parte interiore choroïdeae reliquiae ſunt humoris fuſci.

CLXXVIII. Feminae circiter viginti & quatuor annorum globi oculi pars prior inverſa. Vaſa impleta ſunt. In ſclerotica vaſa pauca, in cornea nulla, in choroïdea plurima, praeſertim in ligamentis ciliaribus, in uvea pauciora, ſerpentina per latitudinem uveae ad pupillam tendentia.

CLXXIX. Feminae annorum circiter viginti & quatuor globi oculi pars poſterior inverſa. Vaſa impleta ſunt. Nervus opticus non longe a globo oblique reſectus, cum eoque vagina durae matris, quae inde quoque usque ad globum reſciſſa, & reclinata, ut ipſe nervus cernatur nudus. In reſecto nervo vaſa quam plurima. In ſclerotica vaſa perpauca. Choroïdea, quae cum ſclerotica inverſa, tota vaſorum, ex interiore ejus parte conſpiciendorum, plena. Retina concidit, dependetque. In ea pars membranacea, inque ea vaſa, quae a centro ad circumferentiam procedunt, flexuoſa, quorum tota plena eſt. Extrinſecus parti vaſculoſae medullae portiones adhaerent, quae alioquin detrita, ut vaſa clarius cernantur.

CLXXX. Globus oculi hominis adulti, abſciſſa parte fere dimidia a nervo optico usque ad corneam mediam. Vaſa impleta ſunt; ſed non penitus. Optici vagina a dura meninge. Arteriae flexuoſae optici comites. Sclerotica alba, perpauca oſtendens vaſa. Choroïdea vaſorum plena; & retina. Choroïdea veſtit ſcleroticam; retina concidit. Cornea, orbiculus ciliaris, ligamenta ciliaria, uvea; eorumque in parte ſecta poſitus & craſſitudinis ratio.

CLXXXI.

CLXXXI. Globus oculi adulti, conſtans ex ſclerotica & cornea. Sclerotica a latere magnam partem reſecta. Vaſa impleta. In ſclerotica vix ulla, in ea truncus venae extrinſecus accedens, qui perforata ſclerotica ad choroïdeam accederet. In eadem intus circum corneam circulus ruber impletus. Ab exteriore adnata cum vaſis impletis.

CLXXXII. Hominis adulti choroïdea impletis arteriis, venisque; relictum nervi optici extremum cum vagina ſua; ſclerotica non longe ab eo reſecta. In ſecta parte optici vagina a meninge craſſa, opticusque, quem continet, cujus medulla ex impletione vaſorum variegata. Opticum comitantur arteriae flexuoſae, praeſertim duae. Sclerotica juxta opticum aliquantum ſublata, arteriae plures exiles per circuitum exeunt a ſclerotica, applicantque ſe ad choroïdeam. In medio inter opticum & corneam, aliquot trunci venarum, per ſcleroticam penetrantes, applicant ſe circum circa ad choroïdeam, mox in ramos ſparſi, ſtellarum ſpecie choroïdeam integunt. Nervi ciliares abſciſſi pertinent ad orbiculum ciliarem. Uvea tota tenuior; per cujus latitudinem a radice ad pupillam decurrunt vaſa ſerpentina. Intus per pupillam apparent ligamenta ciliaria, ex impletione vaſorum rubra.

CLXXXIII. Hominis adulti choroïdea, impletis arteriis, venisque, ſimilis ac CLXXXII. Sed minus diſtincta vaſa, & liquor, quo impleta, hic illic e vaſis erupit, concretus in maſſulas.

CLXXXIV. Globus oculi hominis impletis vaſis. Nervus opticus cum vagina ſua, comitantibus arteriis flexuoſis & nervis ciliaribus. Abſciſſa cornea cum proxima ſclerotica; proxima ſclerotica inciſa, & reflexa; usque quo venarum trunci per eam penetrant ad choroïdeam, eamque ſuis ramis ſtellarum ſpecie integunt. Cernuntur circum circa trunci venarum illarum per ſcleroticam penetrantes, quorum praecipue duo, ubi penetrant, ab impletione vitiati, craſſioresque redditi. Cernuntur nervi ciliares, inter choroïdeam & ſcleroticam ducti ad orbiculum ciliarem, iique depreſſiores. Cernitur unus, qui perforat ſcleroticam; idem ille, qui nervum opticum extrinſecus comitatur, ubi craſſior apparet ob adhaerentem celluloſam multam.

CLXXXV. Hominis adulti globus oculi, maxime poſitus, ut in homine erecto, antrorſum proſpiciente. Vaſa impleta ſunt. Ablata pars prior ſclerotices cum cornea; ex quo in ſede fere naturali pupilla, uvea, orbiculus ciliaris, choroïdea. Nervus opticus cum vagina ſua comitantibusque arteriis flexuoſis, & nervis ciliaribus, ad globum usque. Venarum trunci circum circa ſcleroticam abſciſſi. Unus quomodo per ſcleroticam penetret, applicet ſe ad choroïdeam, in ramos, ſtellae ſimilitudine, abeat, qui cum caeteris choroïdeam integunt. Orbiculus ciliaris craſſior. Uvea tenuior, inque ea vaſa ſerpentina, ad pupillam tendentia. Nervi ciliares depreſſi ſuper vaſa choroïdeae decurrunt ad orbiculum ciliarem; quorum unus, major, antequam ad orbiculum perveniat, bifidus eſt.

CLXXXVI. Globi oculi humani adulti pars anterior, conſtans ex cornea, & ſclerotica circum eam. Ex interiore parte choroïdea, orbiculus ciliaris, cilia, uvea, pupilla, poſitu maxime naturali. Vaſa non impleta.

CLXXXVII. Oculi humani adulti choroïdea integra, reſciſſa ſclerotica circum nervum opticum. In choroïdea, choroïdea ipſa, orbiculus ciliaris, uvea, pupilla. De exteriore parte portio, vaſis non impletis, detracta, ſic ut ea ibi loci in tunicas duas diviſa ſit, exteriorem, quae detracta, interiorem unde detracta. Interior, quae Ruiſchianae nomine a Ruiſchio filio inſignita, membrana eſt tenuis, denſa; exterior, cui choroïdeae nomen reliquit, conſtat e vaſis illis numeroſis, denſe compoſitis, quae extrinſecus in choroïdea inveniuntur, accedente, cui inhaerent, membranaceo quodam ſubtiliore, quo, vaſisque ipſis, cum membrana interiore conjungatur, ſic ut ſine laceratione eorum, reſectioneve, ſeparari nequeant. Haec in oculo ovillo, vitulino, bovino, melius cernuntur. In homine choroïdea ab exteriore veluti ſtriata eſt, ſtriis pallidioribus & ſolidioribus, ſuffuſcae cuidam membranaceae parti inhaerentibus; vaſis autem impletis, cernitur vaſa eſſe, quae videbantur ſtriae, praetereaque, vaſa eſſe multo plura, quam quae ſtriarum ſpeciem praebuerant; tamque conferta, ut non niſi parum membranacei illius ſuperſit. Ex interiore autem parte choroïdea pallidior eſt, aequabilior, ſibique partibus ſuis ſimilis; vaſa quum impleta ſunt, eorum plena eſt, ſed alio modo, quam ab exteriore parte. Annot. Acad. Lib. 7. cap. 4. pag. 39. 40. 41.

Vagina, quam meninx craſſa nervo optico dat, ſeparata eſt, & inciſa per longitudinem. Nervi optici, ex transverſo reſecti, ſpongioſa natura. Pori autem, qui ſpongioſam naturam repraeſentant, videntur eſſe diſſecta & inania vaſcula. Arteriis quippe cerebri impletis, quam plurima vaſcula impleta in medulla optici inveniuntur, quo autem plura vaſcula impleta ſunt, eo minus ſupereſt de ſpongioſa illa natura, & cernuntur impleta vaſcula loco pororum vel foraminum, ſpongioſam naturam referentium. Videtur tamen, quum nervus aqua eluitur, & nonnihil maceratur, medulla diſſolvi poſſe, remanentibus vaſis, quae firmiora, ſicque ſpongioſae naturae aſſimilis reddi. Annot. Acad. Lib. 7. cap. 7. pag. 78.

CLXXXVIII. Globi oculi hominis adulti pars poſterior. Arteriae impletae ſunt. Nervus opticus per transverſum digitum a globo reſectus. In parte ſecta vagina meningis craſſae, nervum continens, nervus admodum poroſus. Arteriae flexuoſae opticum comitantes. In ſclerotica vaſa pauca. In choroïde permulta, ſic ut tota rubra ſit. In choroïdis parte interiore multa aliter diſtribuuntur, quam in exteriore. Choroïdea ſcleroticam ex interiore parte veſtit. Retina concidit. Extrinſecus in retina pars medullaris, per quam vaſa impleta translucent. Intus pars membranea, quae vaſa continet, a centro retinae quaquaverſum tendentia ad circumferentiam, flexuoſa, numeroſa.

Egregium profecto hocce praeparatum fabricam & compoſitionem retinae optime demonſtrat. Diſtinguitur haec in tunicas duas, plane diverſas inter ſe, alteram membraneam, pertenuem, continentem cuncta vaſa, quae retinae dicuntur, alteram medullarem, tenerrimam. Membranea humorem vitreum veſtit, medullaris membraneae extrinſecus ſuperinducta. Quomodo has membranas detexerit Clar. Albinus, tradit Annot. Acad. Lib. 3. cap. 14. pag. 60. 61. Pars membranea minus tenuis membra-

branae ſpecie apparet vaſis non impletis; quippe quae, quum ſubtilia ſint, & intertexta membranae, eique, quia inania, colore ſimilia, non dignoſcuntur, ſed una cum ea crasſiorem membranam referunt. Continet non ſolum arterias numeroſas, ſed etiam venas, arteriis majores, easque comitantes. Quanto plures arteriae venaeque impletae fuerint, tanto etiam ſubtilius eſt, quod ſupereſt membranacci.

CLXXXIX. Embryonis nuper nati humor cryſtallinus cum vaſis ſuis. Vaſis oculi ovilli impletis liquore rubro, concreſcente poſt impletionem, in illa parte cryſtallini vaſa vidit Clar. Albinus, qua vitreo inſidet. Trunculus unicus ad eam accedebat; per eamque ſpargebat ſe in ramulos; accedebat autem non prope centrum, ſed magis a latere. Impletis arteriis oculi in infante nuper nato, dum retinam de vitreo detrahebat, vaſculum repletum ſeſe offerebat, intus per vitreum inde a poſteriore eademque laterali parte antrorſum oblique porrectum usque ad cryſtallinum, eundem illum, qui hoc articulo deſcribitur, & cujus icones etiam dedit. Annot. Acad. Lib. 1. tab. 1. fig. 4. 5. Videbatur e vaſis retinae naſci, prius quam ad cryſtallinum perveniret, non ramoſum. Accedebat ad ejus medium, qua parte is in vitreo inhaerebat, per eamque mox abibat in ramulos, qui, ſenſim ramoſiores, undique omnem in ambitum ducebantur, ad circumferentiam cryſtallini usque. Inhaerebant membranae, qua is continetur.

CXC. *Embryonis humani nuper nati humor cryſtallinus cum vaſis impletis liquore rubro.*

CXCI. Hominis adulti humor vitreus cum cryſtallino inſidente. Vitreus non tam opacus, quam cryſtallinus; & cryſtallinus, vitreo compactior.

CXCII. Hominis adulti vitreus cum inſidente cryſtallino, ut CXCI.

CXCIII. Globi oculi hominis adulti pars anterior, conſtans ex ſclerotica cum cornea, atque adnata. Arteriae impletae ſunt. Adnata circum circa corneam reſciſſa; in eaque vaſa impleta, multis ſubtilibus ramis ad corneam circum circa pertinentia. Muſculorum rectorum quatuor extrema tendinea, lata, ſcleroticae ſub adnata ſeſe innectentia. Intus circum corneam, circulus impletus ruber. Extus in ſclerotica vaſa impleta, multo pauciora, quam in adnata.

CXCIV. Palpebrae hominis adulti ab exteriore parte. Rubent ex impletione facta per arterias. In cantho majore caruncula lacrymalis. In ora palpebrarum pori majores, quibus radices pilorum infixae fuerunt. Horum pilorum ſeu ciliorum ordines in ſuperiori quatuor dantur; pili plures, longiores, craſſiores eſſe ſolent; major hinc pororum in ſuperiori numerus. Detracta cuticula. In caruncula pori, evulſis pilis ſubtilibus, qui inhaerent. In poris ciliorum majoribus apparet conceptaculum, radicem cilii continens Hic illic extrinſecus adhaeret materies alba, quae ex materie, qua impleta, ſudoris inſtar exiit, & concrevit. Figuram vide in Annot. Acad. Lib. 3. tab. 3. fig. 4.

CXCV. Palpebrae hominis adulti, impletis arteriis. Detracta cuticula cum reticulo; ex quo pori ciliorum in cute. In caruncula lacrymali pili ſubtiles. In illis trichiaſis ſpeciem vidit Cl. Albinus. Unus eorum increverat praeter naturam, cras-

crasfior, longiorque, atque ita se incurvans, ut globulum oculi extrema parte attingeret. Consequuta est oculi inflammatio dira, cruciatu tetro, &, quod causa non intelligebatur, pertinax. Adhibita fuerant, quaecumque suggerere ars potuerat, & empiria, collyria, epispastica, purgantia, sanguinis missiones, fonticuli, diaeta. Quum nihil proficeretur, itum ad Virum Clarissimum. In causam inquirens, pilum vidit, evulsit; & subsedit malum. Annot. Acad. Lib. 8. cap. 8. pag. 32. 33.

CXCVI. Palpebrae hominis adulti, ut CXCVIII. Sed arteriis magis impletis; ex quo in tunica interna papillarum & fossularum species. Caeterea ut in CXCVIII.

CXCVII. Palpebrae oculi sinistri ejusdem hominis, qui CXCIX. In quibus eadem. Sed cohaerent secundum naturam, non dissecta in cantho minore.

CXCVIII. Palpebrae hominis adulti inversae. Arteriae impletae sunt. Tunica interior vasorum plena. Tarsus superior multo latior, quam inferior. Caruncula lacrymalis; puncta lacrymalia; ostiola vasorum Meibomianorum; ora interior acuta; qua conveniunt palpebrae, ora latior, membrana interiore sensim in cutem exeunte; juxtaque oram exteriorem cilia suis infixa poris.

CXCIX. Palpebrae oculi dextri hominis adulti, impletae per arterias, & in cantho minore dissectae, & in longitudinem explicatae. Apparent orae, oscula Meibomiana, cilia, puncta lacrymalia, caruncula lacrymalis cum pilis suis, caeteraque, quae in CXCVIII.

CC. Canthus major oculi humani adulti. Vasa impleta sunt. Palpebrae a globo aliquantum deductae, ut cernantur puncta lacrymalia. Eminentiae palpebrarum, in quibus puncta sunt. Ultra puncta orae palpebrarum rectae, inter quas caruncula lacrymalis, & inter eam, ac globum oculi palpebra tertia quaedam. Caruncula & palpebra tertia totae rubrae ex vasorum impletione. In adnata, quae supra globum est, vasa sparsa. Extrinsecus in palpebra inferiori cilia, quae poris cutis inhaerent; in superiore, excussis ciliis plerisque, pori vacui.

Mammae.

CCI. Infantis nuper nati cutis mammae, impletis arteriis, ex quo summa rubet ex arteriolis persubtilibus numerosissimis, ad cutem illam summam pertinentibus. Detracta cuticula cum reticulo. In ea cutis sulci, pori, papillae. In papilla parva ipsa papillae parvulae.

CCII. Pars mammae feminae jam annosae. Cutis pollicis latitudine circum capitulum resecta. Capitulum magnum; ejusque in extremo patent emissaria galactofera; quorum septem setae nigrae infixae.

Virilia.

CCIII. Testis hominis adulti. Tunica albuginea per longitudinem testis incisa, haec pars detracta a pulpa testis est, inversaque & reflexa, sic ut interiorem partem ex-

exhibeat. Penetrant per eam multa vasa, quae, quum a pulpa testis detraheretur, e pulpa illa protracta sunt. Pars altera albugineae eodem modo detracta, inversa, reflexa. Penetrant quoque vasa, quorum nonnulla e pulpa protracta sunt, pleraque non nisi ex parte, quo appareat, quomodo se portionibus pulpae interserant, & super eam in ramos spargant. Pulpa testis, a qua detracta albuginea, in multas portiones inaequaliter divisa. Impletio ostendit vasa esse, quae, quando vasa impleta non sunt, disceptorum membranaceorum specie apparent, qualia adesse nonnulli voluerunt. Annot. Acad. Lib. 3. tab. 7. fig. 1. 2.

CCIV. Testis hominis adulti pulpa dissoluta. Dissecta albuginea, & reflexa. Ab ea in pulpam penetrant veluti fila crassiora, quae vasa sunt impleta. Vide CCIII.

CCV. Portio pulpae testis hominis adulti, leniter dissolutae, admodum clotae.

CCVI. Testis viri adulti, cujus pulpa resoluta. Albuginea per longitudinem incisa, & supra testem replicata. Pulpae vascula, quae fila referunt, alia simplicia, leniter tortuosa; pleraque congesta in particulas, quae resolvi potuissent. Vasa impleta penetrant per albugineam, indeque immiscent se pulpae: qua resoluta, abrupta vasa a truncis suis ramos per pulpam distribuunt.

CCVII. Testis viri adulti, ut CCVI. Sed albuginea, per longitudinem incisa, tantummodo ab altera parte supra testem replicata. Pulpae pars minor resoluta. Vasa multo magis impleta. Penetrant per albugineam, indeque ramos multo plures, magisque ramosos, immiscent pulpae. Qua resoluta, abrupti rami a truncis suis. Difficilius fuit resolvere, quoniam vasa impleta abrumpenda erant.

CCVIII. Penis hominis adulti, ex impletione corporum spongiosorum rigidus, retracto praeputio, glande nuda. Glans papillarum plena; in corona hae majores sunt, eminentque e cute glandis, continuata cuti praeputii. Annot. Acad. Lib. 3. cap. 12. tab. 4. fig. 1.

Muliebria.

CCIX. Virginal embryonis humani maturi. Rima virginalis, nymphisque cum scaphula plane diductis, hymen intima in parte conspicitur, ad vaginae introitum; membrana fere circularis, lata, media perforata, quadam uveae & pupillae similitudine, latior autem, qua parte perinaeo propior, inde se ab utraque parte aliquantum angustans. Foramen rotundius, nisi quod qua parte perinaeum spectat, in angulum se contrahit, ob crassiorem quamdam hymenis partem, ab angulo illo ad scaphulam pertinentem, instar freni. Annot. Acad. Lib. 4. cap. 10. tab. 4. fig. 1. 2. Si rima cum nymphis & scaphula non nisi modice diducitur, hymenis forma ovata est, rima in eo recta, loco foraminis rotundioris, hymen angustior, non extentus, laxus, aliquantum rugosus. Ubi tam parum diducitur, ut modo cerni hymen possit, hymen laxior est, contingentibus se lateribus, rima ejus clausa, & laxitate contingentium se marginum nequidem apparens; hymen tunc colliculum refert rectum, ex lateribus surgentem, instar columnae, vel potius columellae.

CCX. Embryonis nuper nati uterus cum cervice & vaginae principio, media per longitudinem laterum diſſecta. Appendent tubae, ovaria, ligamenta rotunda. Arteriis impletis rubet. Cervix admodum longa; in eaque & in vagina valvulae notabiles. Uteri quoque fundus ſulcos habet profundos, & rectos, pluresque minores, transverſos. Uteri, cervicis, vaginae, tunica interior. Secta pars uteri, cervicis, vaginae, plenae ſectorum vaſorum.

CCXI. Uteri & vaginae CCX. pars dimidia altera. Sulci quoque in utero, ſed minus profundi.

CCXII. Feminae junioris uterus cum vagina & genitali exteriore. Vagina cum genitali diſſecta per longitudinem a parte poſteriore.

CCXIII. Virginal adultae explicatum a parte poſteriore, diſſecto vaginae introitu. Inverſum eſt, ut pars ſuperior ſit inferior. Detracta cuticula cum reticulo & pilis. In virginali labia duo magna, ab utroque latere unum. Inter ea clitoris cum praeputio ſuo, capitulo prominente. Ab eo nymphae. Inter eas oſculum itineris urinae. Poſt vagina diſſecta, eaque rugoſa, ex interiore parte. In nymphis veluti papillae prominent.

CCXIV. Uterus feminae adultae, quae pepererat. Adhaeret extrema vagina, a poſteriore parte diſſecta, & explicata. Uterus a poſteriore parte diſſectus per longitudinem ab oſculo ad fundum; diſſectus quoqne in angulis, ubi tubae Falloppianae incipiunt. Sic apparet craſſitudo laterum uteri, & capacitas. Capacitas ab oſculo per cervicem primum ſenſim anguſtior, dein amplior, per uterum lateſcens magis magisque, ſpecie triangulari. Fundus laevis; in cervice eminentiae, valvulas vocant. In diſſecto utero oſcula vaſorum parva, diſſecta.

CCXV. Segmentum uteri mulieris, paulo ante partum mortuae, laxatum aqua. Craſſities uteri in hac muliere, mollis erat, facileque & comprimi, ac tenuior reddi poterat, & diduci reddique craſſior. Segmento in aquam conjecto, leniterque agitato, laxavit ſe & explicavit. Annot. Acad. Lib. 2. cap. 5. tab. 3. fig. 2.

Conceptus.

CCXVI. Ovum integrum, abortu a muliere perditum. Cernuntur membranae ovi; intus humor amnios, in quo embryo, dependens umbilico, placentae vaſa ſolutiora. Annot. Acad. Lib. 1. tab. 5. fig. 1. 2.

CCXVII. Ovum humanum. Extrinſecus adeſt involucrum, quo continebatur, quum eliſum eſſet. Ab altera parte illud una cum membranis ovi, inciſum; cernuntur amnios; interiora ovi, inaequalia; amnios proceſſus infundibuliformis, umbilicus; embryo. Annot. Acad. Lib. 1. tab. 5. fig. 5. Hujus caput toto corpore reliquo majus; pars capitis maxima, quae cerebri conceptaculum; frons prominula; oculi manifeſti, reliquum faciëi parvum; collum craſſum, breve, ut appareat nullum; truncus, ut a capite procedit, contractior; brachia parva, in quibus cubiti leve indicium; in manu nil niſi tubercula loco digitorum; pedes toti nil niſi tubercula.

CCXVIII.

CCXVIII. Ovum humanum, abortu perditum. Extrinſecus maxima pars cernitur involucri, ovum continentis (quod decidua reflexa Hunteri videtur). Sub eo chorion apparet nudum. Vaſa placentae de chorio dependent, ſoluta, libera, per intervalla contractiora, mediis locis capaciora, in veſiculas terminata. Trunci nonnulli diſtant ab ordine ceterorum. Umbilicus per membranas ovi apparet. Annot. Acad. Lib. 1. tab. 3. fig. 1.

Illuſtrant haec praeparata fabricam ovi humani, & compoſitionem membranarum. Conf. Albini Annot. Acad. Lib. 1. cap. 18. 19. & Obſervationes meae Anatomico-Pathologicae Lib. 2. pag. 11. 38. tab. 6. fig. 1. 2. 3. Lib. 3. pag. 92. tab. 8. fig. 4. 5.

CCXIX. Portio chorii embryonis humani maturi, cui extrinſecus ſuper adhaeret pars membranae fungoſae, infra detractae.

CCXX. Portio membranarum ovum continentium embryonis humani maturi. Extrinſecus membrana fungoſa, infra detracta, ubi chorion nudum. Chorion infra detractum, ubi amnios nuda; idemque a latere ſeparatum ab amnio.

CCXXI. Portio membranarum ovi embryonis maturi humani. Supra conſtat ex amnio, chorio, & membrana fungoſa. Infra, detracta membrana fungoſa, ex amnio & chorio. Infra detracto chorio, ex ſola amnio ad ſimilitudinem CCXX. Merentur inſpici Cl. Albini tabulae uteri mulieris gravidae.

Secundae.

CCXXII. Portiones placentae humanae maturae, per arterias impletae, & aliquantum diſſolutae. Arteriarum plenae ſunt, quibus adhaerent quaedam relliquiae membranae fungoſae ramis ramulisque ubique ſe interſerentis & adhaerentis.

CCXXIII. Portiones placentae humanae maturae, per venas impletae, caetera ut CCXXII.

CCXXIV. Portio placentae humanae maturae, impleta per arterias. Adhaeret membranae fungoſae portio, qua placenta extrinſecus veſtita. Caetera, ut CCXXII.

Embryones.

CCXXV. Embryo humanus parvulus. Hernia in umbilico conſpicitur illapſis inteſtinis. Iconem dedit Clar. Albinus Annot. Acad. Lib. 1. tab. 5. fig. 3. Adeſt ovum cum placenta ſolutiore. Ex ovo inciſo excidit. Ovum inciſum quodammodo ſuſtinetur per inſertum ramulum pimpinellae ſpinoſae. Embryo ſuſtinetur portione inteſtini ilium hominis adulti, per longitudinem inciſa & explicata, impletaque per venas; ſic ut villi, quibus incumbit embryo, toti rubri ſint. Inteſtinum, ovumque ſuſtinetur per ramum appoſitum aſparagi aculeati majoris, ſpinas plurimas ab eodem exortu pro foliis ferentis. Pluknet. Phytogr. part. 1. tab. 15. fig. 5.

CCXXVI. Embryo humanus cum ſpecie allantoidis. Filum album a ventre embryonis per umbilicum decurrit, ante finem ejus exit, leviter ſe curvat & deſinit in ve-

veſiculam, puro limpidoque diſtentam humore, hydatidis ſpecie. Veſicula ſub amnio ſita in proceſſu ejus infundibuliformi. Praeter filum veſiculae in umbilico tria fila, aliquantum craſſiora, & nonnihil flexuoſa, vena umbilici, & duae arteriae; horum duo manifeſte cernuntur, tertium minus apparet, umbilico, poſtquam per tot annos in humore conſervatus eſt, minus, quam fuerat, perlucido. Annot. Acad. Lib. 1. tab. 1. fig. 13. Conf. cap. 19.

CCXXVII. Embryo humanus parvulus cum umbilico ſuo. Adhaeret pars membranarum ovi cum placentae vaſis ſolutis. Amnios, ejus proceſſus infundibuliformis, umbilicus, membranis ovi continuatus; & embryo apparent. Annot. Acad. Lib. 1. tab. 5. fig. 4.

CCXXVIII. Embryo humanus magnitudine articuli digiti medii.

Oſſa.

CCXXIX. Sceletus embryonis humani longitudinis uncialis. Cranii quod cerni poteſt cartilagineum. Maxillae baſis ab utroque latere magnam partem oſſea. Coſtae, praeter extrema priora, praeterque principia, oſſeae. Spina tota cartilaginea. Claviculae majorem partem oſſeae. Scapulae media parte ſpinaque oſſeae; circum circa proceſſibusque cartilagineae. Coxae cartilagineae, ſed, ubi os ilium futurum, oſſeae. Humerus, ulna, radius, femur, tibia &c. ex figura cognoſci poſſunt tota cartilaginea, ſed in longitudine media granulum oſſeum oſtendunt. Icon. femoris invenitur inter Icones oſſium foetus tab. 10. fig. 72. Caetera artuum tota cartilaginea, ſed ex forma cognoſcenda, etiam carpi particulae cartilagineae, veluti granula exigua, ſic ut cerni niſi adjumento conſpicilli a plerisque nequeant. Oculi adſunt, lingua, & viſcera pleraque, non impedientia, quominus oſſa cernantur.

CCXXX. Embryonis humani adultioris; quam cujus ſunt ſcapulae CCLXI. & coxae CCXLV., Trunci, artuumque oſſicula pleraque cum cartilaginibus ſuis tenerrimis, perlucidis. In femore additamentum cartilagineum ſuperius continet utrumque trochanterem, collum, & caput. Conf. Icon. oſſium foetus pag. 253. Os ſacrum totum cartilagineum, praeter granula oſſea quatuor, quorum unum in corpore vertebrae cujusque quatuor ſuperiorum: cartilago eſt una continua, corpora autem vertebrarum diſtincta ſunt. Annot. Acad. Lib. 4. tab. 7. fig. 1. Icon. oſſium foetus pag. 57.

Manuum & pedum oſſicula continentur CCLXXIII.

CCXXXI. Embryonis nuper nati interſtitium cribriformis cum criſta galli, quae una cartilago ſunt. Inverſum eſt, ut pars ſuperior facta ſit inferior; quicquid ſupra ſpinam infixam eſt, interſtitium eſt, quicquid infra, criſta galli. Icon. oſſium foetus tab. 2. fig. 6.

CCXXXII. Embryonis humani immaturi malleus, incus, ſtapes. Icon. oſſium foetus tab. 6. fig. 49. 50. 51.

CCXXXIII. Spina embryonis fere maturi, praeter atlantem. Ut omnium oſſium foe-

foetus, ſic & hujus ſpinae, egregias icones dedit Anatomicus incomparabilis, easque tali explicuit modo, ut Ipſius hoc de argumento liber ab omnibus legi, mente volvi, mereatur, & neceſſe non judicaverim, inde depromere varia, quae ex praeparatis hiſce addiſci poſſunt. Spinae hujus delineationes dedit Icon. oſſium foetus tab. 7. fig. 52 53. 54.

CCXXXIV. Pars ſpinae dorſi infantis nuper nati, conſtans e vertebris dorſi & lumborum. Corpora per longitudinem ſpinae inciſa ſunt, & in latera reclinata, ut cernatur, quid inter corpora illa interjectum. Caeterum oſſeae partes vertebrarum, & additamenta cartilaginea pura ſunt.

CCXXXV. Embryonis humani maturi ſex vertebrae colli, praeter Atlantem. Arteriae etiam impletae ſunt.

CCXXXVI. Vertebrae dorſi embryonis humani maturi. Icon. oſſium foetus tab. 8. fig. 57. 58. 59.

CCXXXVII. Embryonis humani immaturioris atlas, ut CCXXXVIII.

CCXXXVIII. Embryonis maturi atlas. Icon. oſſium foetus tab. 8. fig. 56. 57.

CCXXXIX. Coſtae embryonis. Icon. oſſium foetus tab. 8. fig. 60. 61. 62. 63.

CCXL. Embryonis humani maturi coſtae. Icon. oſſium foetus tab. 8. fig. 60. 61. 62. 63.

CCXLI. Sternum totum cartilagineum embryonis humani parvuli. Icon. oſſium foetus tab. 9. fig. 66. Eſt ejusdem embryonis, cujus coxae CCXLV; & tibia atque fibula CCL, ſcapulae CCLXI; humerus, ulna & radius CCLXV.

CCXLII. Sternum embryonis humani immaturioris totum cartilagineum, praeter granula oſſea, quae intus ſunt. Icon. oſſium foetus tab. 9. fig. 65.

CCXLIII. Sternum embryonis humani immaturioris. In cartilagine ſuperiore oſſiculum unum, inſigne, ſubrotundum, ejusque imae parti proximae adjunctum granulum. Inter coſtas ſecundas & tertias unum inſigne ſubrotundum. Simile inter tertias & quartas. Inter quartas & quintas unum oblongum minus, in medio poſitum. Inter quintas & ſextas duo in medio, alterum infra alterum, quorum ſuperius parvulum inſtar granuli, inferius majus, ovatae formae.

CCXLIV. Embryonis humani maturi ſternum. Icon. oſſium foetus tab. 9. fig. 64.

CCXLV. Embryonis humani parvuli coxae duae. Icon. oſſium foetus tab. 9. fig. 69. Ejusdem embryonis, cujus ſunt ſternum CCXLI, tibia & fibula CCL; ſcapula CCLXI.; humerus, ulna, radius CCLXV.

CCXLVI. Embryonis coxa ſiniſtra, ſimilis illi, cujus icones dedit Clar. Albinus. Icon. oſſium foetus tab. 9. fig. 67. 68.

CCXLVII. Embryonis maturi oſſa femoris. Icon. oſſium foetus tab. 10. fig. 70. 71.

CCXLVIII. Infantis provectioris oſſa femoris duo, cum additamentis cartilagineis. Caput cum trochantere majore additamentum cartilagineum unum eſt. Alterius additamentum inferius decuſſum os intus oſtendit; oſtendit quoque ſuperficiem inaequabilem, qua cum oſſe conjunctum fuerat. Cartilago denſa, dura, candida, non translucens.

CCXLIX. Embryonis humani maturi patellae. Icon. ossium foetus tab. 10. fig. 73. 74.

CCL. Tibia & fibula embryonis ejusdem, cujus sunt CCXLI. CCXLV. CCLXI.

CCLI. Embryonis humani maturi tibia, & fibula. Icon. ossium foetus tab. 75. 76. 77. 78. 79. 80.

CCLII. Embryonis humani immaturioris septem particulae tarsi utriusque. Icon. ossium foetus tab. 12. fig. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94.

CCLIII. Ossa tarsi septem infantis provectioris. Magnam partem nil nisi cartilago sunt densa, firmaque, sed partibus omnibus praecipuis plene formatis. Multum ossei in calcaneo, minus in talo, minus in caeteris, ut minora. In calcaneo, talo, cubiformi, cuneiformi medio, os jam pertinet ad partem exteriorem; caeterum in cubiformi, naviculari, & cuneiformibus, tantummodo intus est.

CCLIV. Embryonis humani maturioris aliquot officula metatarsi, & digitorum manus ordinis tertii.

CCLV. Embryonis humani maturioris officula metatarsi, primique ordinis digitorum pedis, atque aliquot costarum principia cum suis additamentis cartilagineis. Icon. ossium foetus. tab. 12. fig. 95. 96. 97. 98. 99. 100. 101. 102. 103. 104. 105. 106. 107. 108. 109. 110.

CCLVI. Embryonis humani junioris metatarsi officula quinque.

CCLVII. Ossa primi ordinis pollicis pedis, & digitorum minorum quatuor, itemque digitorum minorum quatuor ossa secundi ordinis, cujusmodi sunt in embryone nuper nato. Icon. ossium foetus tab. 12. fig. 104. 105. 106. 107. 108. 109. 110. 111.

CCLVIII. Embryonis humani nondum maturi officula primi ordinis pollicis, & proximorum digitorum trium pedis.

CCLIX. Embryonis humani ossa digitorum pedis ordinis tertii quinque.

CCLX. Embryonis humani maturi sesamoïdea pedis, manusque. Icon. ossium foetus tab. 12. fig. 115. tab. 15. fig. 150. 151.

CCLXI. Embryonis humani parvuli scapulae duae. Icon. ossium foetus tab. 13. fig. 121. Ejusdem embryonis cujus sunt sternum CCLXI, coxae CCXLV, tibia & fibula CCL., humerus ulna, radius CCLV.

CCLXII. Scapula embryonis humani immaturioris. Os nondum inchoatum in processu coracoideo. Icon. ossium foetus tab. 13. fig. 118. pag. 126.

CCLXIII. Scapula embryonis humani immaturioris, impletis arteriis.

CCLXVI. Scapulae duae embryonis maturi. Icon. ossium foetus tab. 13. fig. 118. 119. 120.

CCLXV. Embryonis humani parvuli os humeri, ulnae, radii cum additamentis cartilagineis. Ejusdem embryonis, cujus sunt sternum CCXLI. coxae CCXLV, tibia fibula, CCL., scapulae CCLXI.

CCLXVI. Ossa humeri duo embryonis fere maturi. Icon. ossium foetus tab. 13. fig. 122. 123.

CCLXVII. Embryonis humani fere maturi os humeri.

CCLXVIII. Embryonis maturi ulnae & radii. Icon. ossium foetus tab. 14. fig. 124. 125. 126. 127. 128. 129. 130. 131.

CCLXIX. Embryonis humani immaturioris particulae carpi & metacarpi pollicis.

CCLXX. Embryonis humani immaturioris carpi particulae octo solutae, ut

CCLXXI.

CCLXXI. Embryonis humani nondum maturi carpi cartilagines septem.

CCLXXII. Embryonis humani maturi carpi dextri particulae ab exteriore parte, inter se cohaerentes. Icon. ossium foetus tab. 15. fig. 32. In fundo jacent carpi alterius particulae octo solutae.

CCLXXIII. Embryonis humani parvuli officula metacarpi, metatarsi, & digitorum manus ac pedis. Ejusdem, cujus CCXXX.

CCLXXIV. Embryonis humani maturi officula metacarpi utriusque manus quatuor. Icon. ossium foetus tab. 15. fig. 133. 134. 135. 136. 137. 138 139.

CCLXXV. Maturi embryonis humani ossa metacarpi manus, pollicisque utriusque.

CCLXXVI. Embryonis maturi os metacarpi, primique ordinis pollicis manus, primique & secundi ordinis digitorum manus utriusque. Icon. ossium foetus tab. 15. fig. 140. 141. 142. 143. 146. 147. 148.

CCLXXVII. Embryonis maturi ossa digitorum manus utriusque primi & secundi ordinis, itemque ossa pollicum secundi ordinis. Icon. ossium foetus tab. 15. fig. 140. 141. 142. 143. 148.

CCLXXVIII. Embryonis humani maturi ossa ordinis tertii digitorum manus. Alterius manus quinque, alterius digitorum quatuor. Icon. ossium foetus tab. 15. fig. 149. 145. 144. 150. 151.

CCLXXIX. Embryonis humani immaturi thyreoidea, & cricoidea, totae transluciae.

CCLXXX. Nuper nati embryonis hyoides, thyreoidea, cricoidea, & arytenoidea. Icon. ossium foetus tab. 16. fig. 152. 153. 155. 156. 157. 158. 159.

CCLXXXI. Immaturioris embryonis humani hyoides totum cartilagineum, cum granulis cartilagineis in ligamentis, quae ab extremis cornubus pertinent ad thyreoideam. Icon. ossium foetus tab. 16. fig. 144. Adest praeterea larynx.

CCXXXII. Infantis adultioris hyoides, thyreoidea, cricoidea, arytenoideae, cartilagineae. Hyoidis basis & cornua maximam partem ossea.

CCXXXIII. Os humeri infantis. A superiore parte medium per longitudinem sectum. Truncus medius corticem habet crassiorem solidiorem, qui eo tenuior, quo propior, extremo. Intra eum contextus ossium rarus, pumiceus, eo subtilior, quo propior extremo. Supra infraque additamentum habet majorem partem cartilagineum. In superiore nuclei ossei duo, alter major in capite, alter minor in tubere, quod juxta caput est. In eodem praeterea nuclei ossei parvi. Ab inferiore parte abscissa quoque pars est tum de osse, tum de additamento, inque additamento cartilagineo nucleus osseus ea in parte, ubi caput est, cum radio commissum, praeter nucleos osseos minores. Pars superior exhibita est in Annot. Acad. Lib. 4. tab. 6. fig. 1. Conf. icones ossium foetus ad ic. 122.

CCLXXXIV. Os humeri infantis provectioris. Medium per laterum longitudinem dis-

dissectum. Pars exterior trunci ossei, firmior, solidior, media crassissima, inde in utramque partem paulatim extenuans se. In medio capacitas, quae medullam continuit. Tum superiora tum inferiora versus sequitur contextus fibratus, rarus, dein pumiceus, eo subtilior, quo propior parti extremae. In additamento cartilagineo superiore nucleus osseus in capite, quo humerus cum scapula committitur; alter in illa parte, quae continet tubera, juxta caput eminentia. Nuclei a superiore parte jam conjuncti in unum. In additamento cartilagineo inferiore nucleus osseus in capitulo, cum quo radius committitur. Annot. Acad. Lib. 4. tab. 6. fig. 2.

CCLXXXV. Pars superior ossis tibiae pueri, media per longitudinem laterum dissecta. Pars exterior trunci ossei firmior, solidior, eo tenuior, quo propior parti extremae; intra eam contextus osseus rarus, pumiceus, quo propior parti extremae, hoc subtilior. Additamentum superius, non nisi extrinsecus per ambitum suum cartilagineum; intus osseum, rarum, pumiceum. Annot. Acad. Lib. 4. tab. 6. fig. 3.

CCLXXXVI. Pars ossis humeri hominis adulti per longitudinem media dissecta, impletis arteriis. Arteria major, per canalem ossis, majorem partem dissectum, ad medullam penetrat. Medulla arteriarum impletarum plena. Capacitas ossis, ubi excussa medulla. In osse secto arteriae subtiles impletae. Annot. Acad. Lib. 3. cap. 3. tab. 5. fig. 2.

CCLXXXVII. Portiones ossis humeri hominis adulti, effractae ad capacitatem usque, quae medullam continet. Arteriae impletae sunt, ex quo medulla tota rubet, vasorum impletorum plena. Nullum periosteum internum. In periosteo externo vasa, eoque detracto, ramuli eorum in os penetrantes, ramulique impleti in crassitudine ossis, ubi effractum est.

CCLXXXVIII. Cartilaginea additamenta, decussa de femoribus, tibiis, fibulis, ossibus humeri, ulnae, &c. embryonum humanorum, maturiorum. Ic. ossium foetus tab. 11. fig. 79. 80. tab. 16. fig. 160. 161.

CCLXXXIX. Hominis adulti ossa carpi, metacarpi, & digitorum, in quibus supersunt crustae cartilagineae ad loca articulorum.

CCXC. Hominis adultioris os temporis, ubi processus styliformis, totus cartilagineus, ex osse nascitur.

Praeternaturalia.

CCXCI. Clavus digiti pedis. Cuticula cum reticulo detracta, superque unguem reclinata, inversa, ut nil nisi reticulum cernatur. Clavus in cuticula, coni brevis forma eminens, qui medius in mucronem parvum & corneolum definit, circum quem reticulum est. Cutis nuda, papillarum plena; in ea plaga infundibuliformis, ad formam clavi, qui inhaeserat. In ea papillae majores; in imo fundo cutis laevis, veluti depressa a mucrone clavi. Papillae vasorum impletorum plenae, pulso liquore in arterias. Vasa insigniora in parte infundibuliformi, ejus in imo nulla. Annot. Acad. Lib. 6. tab. 2. fig. 1.

CCXCII. Portio cutis hominis adulti, supra malleolum resecta, in qua ulcus est. Arteriae impletae sunt. In parte saniore ulceris vasa impleta; in eschara nulla.

CCXCIII. Arteriae aörtae descendentis humanae portio inversa. In ea apparet tumor, tunicam externam attollens.

CCXCIV.

CCXCIV. Concretum quid ex ſanguine, eluendo & comprimendo confectum. Suſtinetur a ſerpente adjecto.

CCXCV. Hominis adulti gula, ſupra reſecta infra pharyngem; infra reſecto proximo ventriculo; per longitudinem inciſa & explicata. Supra ventriculum contractior, inaequabilis, veluti calloſa. Mortuus ex eo homo eſt, non potens deglutire, haerente circa ventriculum, quod deglutiebat, redeunteque in os cum ſpuma.

CCXCVI. Hominis adulti glandula colli, quae degeneravit. Diſſecta eſt media. Extrinſecus verſa in membranam craſſam, ex qua folliculus, quem implebat materies mollis cum vaſorum ramentis; quae etiam intus adhaerent folliculo.

CCXCVII. Glandula colli major facta, & tota degenerans. Extrinſecus formata in membranam crasſiorem, intrinſecus tota degeneravit.

CCXCVIII. Pars placentae humanae in hydatides verſae. Hydatides ſunt ipſae arteriae & venae per intervalla contractae in ligamentorum ſpeciem, per intervalla dilatatae in hydatides. Supereſt vaſorum ſpecies. Hydatides pleraeque oblongae ſpeciem vaſorum retinent. A trunco, qui ſuper eſt, ligamentum procedit, mox hydatis, a cujus longiore parte ligamentum & mox hydatis minor, ac ſic porro; ut trunci paulatim decreſcunt. Ab hydatidibus majoribus veluti rami, ſenſim decreſcentibus ligamentis, hydatibusque. Ab iis eodem modo ramorum minorum ſpecies. Eſt ubi non vera ligamenta & hydatides; ſed vas per intervalla contractius; per intervalla dilatatius. Superſunt rami, quibus loco ramorum minorum ligamenta appenſa cum hydatidibus. Conf. Obſervat. Anatom. Patholog. Lib. 2. pag. 87. 88. 89.

Ex brutis deprompta.

CCXCIX. Rete mirabile vituli impletum.

CCC. Pars ruminis bovis. Tunica interior ex parte detracta dependet. In ea vaginulae, quae excipiunt eminentias cutis. Tunica interior fuſca eſt, pallidior, qua ad cutem adhaeret, caeterum cuticulae ſimilis. Cutis, quae ſub ea, alba.

CCCI. Inteſtini tenuis vituli nuper nati portio, ubi ad meſenterium adhaeret, diſſecta, & explicata in longitudinem, venae impletae ſunt. Tunica communis cum adhaerente muſculoſa a nervea ſeparata dependet. Nervea nuda, detracta quoque interna. In nervea, qua parte meſenterio oppoſita, tractus latitudine digiti, ubi globuli conferti, glandulas referentes. Infra portio tunicae communis nuda, qua, ex meſenterio veniens, inteſtinum veſtire incipit, adhaeret pingue candidum meſenterii. In nervea venarum majorum contextus, a quibus abſciſi ramuli ad muſculoſam pertinent. Globuli albi, perexigui, qui adhaerent, vitio impletionis orti ſunt.

CCCII. Inteſtini tenuis nuper nati portio, ubi ad meſenterium adhaeret, *diſſecta*, & explicata in longitudinem. Venae impletae ſunt. Tunica communis cum adhaerente muſculoſa a nervea ſeparata dependet. Tunica muſculoſa crasſior & compactior, quam in homine. Venas ſubtiles ubique accipit ex venis nerveae; accipit quoque a truncis, antequam nerveam ſubeant; qui ramuli ramulis ſuis inter fila muſculoſae diſtribuuntur, &

& ad communem penetrant. Infra portio tunicae communis nuda, qua, ex meſenterio veniens, inteſtinum veſtire incipit. In nervea venarum majorum contextus. Interna ad nerveam adhaeret; villorum plenisſima, qui omnes ex impletione maxime rubent. Internae portio a nervea detracta dependet; quae multo crasſior eſt, quam in homine. Venae, ex meſenterio venientes, decurrunt primum inter tunicam communem & muſculoſam, mox inter fila muſculoſae penetrant ad nerveam; quod in parte, quae hic ſuperior eſt, cerni poteſt.

CCCIII. Portio inteſtini tenuis vituli nuper nati penitus impletis venis. Diſciſſa per longitudinem, ut tunica interna appareat, in eaque villi creberrimi, magni, rubri, decurrentibus per eos vaſis impletis numeroſis. Holoſericum tunica illa quodammodo refert.

CCCIV. Portiones inteſtini tenuis vituli nuper nati, penitus impletis venis. Diſciſſae per longitudinem, tunicam internam oſtendunt, ut appareant, quae CCCIII.

CCCV. Portiones inteſtini tenuis vituli, cujus venae penitus impletae ſunt. Infra integra eſt. Mox ſupra detracta tunica communis dependet, muſculoſa denudata ab ea. Mox ſupra tunica muſculoſa detracta dependet, nervea nuda. In nervea venae majores, plurimaeque minores; in muſculoſa parvae; in communi perparvae, raraeque. Infra adhaeret meſenterii portio cum pingui albo.

CCCVI. Portio inteſtini tenuis vituli, a meſenterio reſecta, ibique per longitudinem diſſecta, & explicata in latitudinem. Arteriae impletae ſunt. In parte exteriore ſupra tunica communis. Mox infra eam eaque detracta, tunica muſculoſa. Mox infra eam, eaque detracta, nervea. Qua nervea infra in angulo utroque detracta; tunica interna. Ex interiore parte nil niſi tunica interna cum villis ſuis. Apparet, quomodo vaſa per tunicas illas decurrant; generaliter ut in homine.

CCCVII. Portio inteſtini tenuis vituli. Inverſa, ut tunica villoſa exterior ſit. Villi, per arterias repleti, rubent, ex eoque tunica interna. Extremi villi plerique candicant.

CCCVIII. Vituli nuper nati uvea, ligamenta ciliaria, proximaque pars choroïdeae. Vaſa impleta ſunt, quorum ligamenta ciliaria tota plena ſunt.

CCCIX. Globi oculi vituli utriusque partes priores, plane ut in CCCXII. Detractus humor fuſcus. Praeterea clarius cernuntur fila transverſa in parte uveae interiore, a quibus & a faſce ſeu taenia exteriore ora uveae juxta pupillam libera eſt. Caetera ſimilia, ac CCCXII.

CCCX. Pars poſterior globi oculi vituli, impletis arteriis, venisque. Retina expanſa veſtit choroïdeam, parva portione detracta ab ea. Pars retinae medullaris, albaque, poſt vaſa, quae intus eminent, ponitur. Caetera ut CCCXIII.

CCCXI. Pars poſterior globi oculi vituli inverſa. In qua eadem fere, quae in CCCXIII. Choroïdeae pars a ſclerotica ſeparata & inflexa. Retinae pars medullaris maximam partem detrita eſt.

CCCXII. Globorum oculorum ovis partes priores. Superior conſtat ex cornea cum parte ſclerotices, qua circum eam eſt; dein ex choroïde, intus veſtiente, in qua ligamenta ciliaria fere detracto fuſco humore, uvea praeterea, impletis arteriis. Inferior alterius oculi ovis ejusdem eſt; detracta cornea cum ſclerotica; ligamenta ciliaria plane, de-

detracto humore fusco, nuda. Extrinsecus orbiculus ciliaris, inque uvea tenia orbicularis eam integens, in qua fascium fibrarum species. Impletae arteriae.

CCCXIII. Globi oculi ovis adultae pars posterior, constans ex sclerotica, choroïdea, retina. Impleta sunt vasa, quorum perpauca in sclerotica, plurima in choroïdea, majora ejus in parte exteriore & connexa per lanam, parva in parte interiore, in qua, ubi optici ingressus, plaga coerulea. Retinae portio concidit. Pars ejus medullaris alba, crassa, sine vasis; cujus ex interiore parte membranea, tenuis, cum impletis vasis.

CCCXIV. Globi oculi ovilli pars posterior, constans ex sclerotica, choroïdea, retina. Choroïdea scleroticam ex parte interiore vestit; retina concidit. Vasa impleta sunt, pauca in sclerotica, plurima in choroïdea & retina. In choroïdea extrinsecus vasorum decursus alius, quam intrinsecus. In retina vasa per partem membraneam a centro ad circumferentiam procedunt; adhaeret extrinsecus partis medullaris aliquid.

CCCXV. Pars anterior globi oculi balaenae, constans ex adnata & sclerotica. Segmentum abscissum per transversum. Cornea manu divisa in folia duo, eaque, interposito officulo, diducta; quorum alterum scleroticae continuatum est, alterum adnatae.

CCCXVI. Portio choroïdeae & uveae oculi balaenae, vasis non impletis. In choroïdea membranae crassae, albae, densae, firmae densus contextus extrinsecus circumpositus, & annexus est, primo statim aspectu internoscendus.

CCCXVII. *Portio choroïdeae oculi balaenae, impletis vasis, sed non distincte.* Caetera ut in CCCXVI.

CCCXVIII. Globi oculi balaenae pars dimidia altera CCCXIX. *Resecta cornea* cum sclerotices parte, quae circum eam est, apparet choroïdea, uvea, pupilla oblonga. Caetera ut in CCCXIX.

CCCXIX. Globi oculi balaenae, secundum axem dissecti, pars dimidia. Scleroticae pars posterior admodum crassa, antrorsum eundo, sensim extenuatur; ante praesertim, ubi in corneam vertitur. Choroïdea densa membrana est, cui extrinsecus vasa circumponuntur. Eorum contextus crassus in sclerotica est; extenuatus autem per scleroticam penetrat ad choroïdeam. Nervus opticus per longitudinem cum globo dissectus, per crassam scleroticam penetrat, fitque retina.

CCCXX. Humor crystallinus vituli, cum vasis impletis. Ruischius, quum arterias oculi ovilli implevisset, vidit in membrana crystallini complures arteriolas sanguine plenas, qui, qua impleverat materia, propulsus in eas fuerit. Implevit Clar. Albinus vascula illa liquore rubro, concrescente post impletionem; & in illa parte crystallini ea invenit, qua vitreo insidet. Trunculus unicus ad eam accedebat, per eamque spargebat se in ramulos, eo in universum modo, quo Ruischius exhibuit; non ita autem prope centrum ejus accedebat, sed magis a latere. Annot. Acad. Lib. 1. cap. 7. pag. 31.

CCCXXI. Vitreus cum insidente crystallino balaenae. Ora vitrei, quae circum crystallinum est, plane rubra ex impletione vasorum. Ibique per totam circumferentiam rubra fila vitreo se immergunt, simillima vasis, subtilissima non ramosa alia juxta alia. Annot. Acad. Lib. 7. cap. 19. pag. 100.

CCCXXII. Testis vituli, impletis venis. Tunicae albugineae pars magna resecta de-

dependet. Pulpae pars magna exemta. In funiculo ſpermatico venae pampiniformes; in albuginea multae, magnae, flexuoſae; quae ex ea undique penetrant in pulpam, decurrentes axem medium verſus. Infra una ex albuginea penetrat, caeterae detrahendo albugineae portionem, ab ea abſciſſae. Intus veluti fila ab albuginea in pulpam penetrant, quae ſunt vaſa non impleta. Rami, ex pulpa venientes, tendunt quoque axem medium verſus. Caeterum adeſt quoque epididymis, vas deferens, & tunica vaginalis inciſa & reflexa, in quibus venulae impletae plures.

CCCXXIII. Ovis gravidae cornu uteri alterum, per longitudinem diſſectum & explicatum. Cotyledones eo fiunt minores, quo propiores cornu extremo, in extremo perparvae. Inter cotyledones ſtigmata multa in tunica interna, an ſingula in cotyledones vertenda, ut uterus tota parte interiore aptus ſit, qui, quum impraegnatur, in cotyledones vertatur? Impletae ſunt arteriae. Cotyledones poſitae inter uteri membranam exteriorem, eamque albam & craſſiorem, & inter interiorem, quam attollunt, veſtitae ea, usque ad ſinum ſuum, qui placentam recipit. In ſinu cotyledonum placenta cum portione chorii. Arteriae circum circa per exteriora cotyledonis in membrana veſtiente, quae eſt uteri interior, ad ſinum cotyledonis procedunt, ſenſim ramoſiores & ſubtiliores. Cotyledonibus duabus e transverſo ſectis, apparet, quomodo corpus cotyledonis extrinſecus veluti alba cruſta ſit, intrinſecus opus reticulatum impletum, intermedia materia alba eadem.

CCCXXIV. Uteri, per arterias impleti, ejusdem cujus CCCXXIII portio, ubi chorion placentulis ſuis inhaeret cotyledonibus uteri.

CCCXXV. Cotyledon major uteri ovilli, cujus eſt CCCXXIII. De exteriore parte uteri detracta, ubi vaſa ingrediuntur. Qua eminet intra uterum, tunica uteri interiore veſtita, in qua vaſa, ad ſinum repentia. In ſinu reticulatum opus, rubrum.

CCCXXVI. Pars uteri ovis gravidae CCCXXIII., continens cotyledones duas. Uteri membrana exterior craſſa, alba: interior tenuior ex impletione arteriarum tota rubens. Cotyledon ſuperior integra; qua eminet veſtita membrana uteri interiore, usque ad ſinum, qui placentam recipit; in quo ſinu placenta cum portione chorii. Cotyledon inferior media per altitudinem diſſecta, cum proxima parte membranae internae uteri; ubi apparet, quomodo cotyledon inter membranas uteri duas ponatur, interiorque usque ad ſinum cotyledonis pertineat: apparet quoque in ſecta parte, quomodo corpus cotyledonis extrinſecus veluti alba cruſta ſit, a qua per ſimilem materiem vaſa procedunt ad ſinum cotyledonis.

CCCXXVII. Tunica interiore uteri circum cotyledonem reſecta, cotyledon inverſa dependet. Cruſta alba cotyledonem continet. Separando eam a tunica uteri exteriore inciſa quoque vaſa, quae ex tunica illa penetrant in cotyledonem. Ejusdem, cujus CCCXXIII.

CCCXXVIII. Embryo ovis cum Amnio continente.

CCCXXIX. Embryo taton ſeu armadillae.

CCCXXX. Muſculus.

CCCXXXI. Eruca, cujus cutis per longitudinem dorſi inciſa, ut appareant vermes, inter cutem illam & canalem alimentarium medii. Quibus vermibus cutem perforantibus eru-

eruca moritur, vermesque vertuntur in ichneumones, quae vivente eruca perforaverant cutem ejus, ovaque intus posuerant, e quibus vermes illi orti.

Varia.

CCCXXXII. Sceletus fructus alkekengi.

CCCXXXIII. Penna marina alba. Annot. Acad. Lib. 1. tab. 6. fig. 1. 2.

CCCXXXIV. Penna marina rubra. Annot. Acad. Lib. 1. tab. 6. fig. 3. 4. 5.

PARS POSTERIOR.

Praeparata Anatomica, quae siccata conservantur.

Integumenta.

N°. I. Cuticula detracta cum unguibus de digitis pedum infantis nuper nati, gossypio impleta.

II. Portio cuticulae hominis adulti, albi, detracta de planta pedis; ubi crassior, & de parte, ubi tenuior.

III. Portio cuticulae Aethiopis adulti, tenuis est, neque convolvit sese.

IV. Cutis cranii pueri, impletis arteriis, quae sub cute sunt. Apparet, quales & quantae tum juxta tempora, tum a parte posteriore adscendant, ac quomodo se & in quam numerosos ramos spargant, eosque conjungant inter se, continuentque. Subtiles ramuli ad cutem ipsam pertinent. Adest locus, ubi arteriolae ex contusione sic vitiatae sunt, ut non permeabiles redditae sint. Quum implebantur arteriae, liquor non penetravit in locum collisum, neque alicubi effluxit; sic ut pateat, illas non ruptas, sed compressas, certe non permeabiles redditas fuisse. Sunt eo loci arteriolae, quae non per truncos suos, utpote collisos, impletae sunt, sed per ramos subtiliores, quibus conjunctae sunt cum ramulis non collisarum, ex quibus liquor in eas penetravit. Constare sic videtur, per creberrimas toto corpore conjunctiones parvularum, & non paucarum majorum arteriarum, caviſſe naturam, ne statim ab omni obstructione aditus humoribus intercluderetur. Figura hujus nitidissimi praeparati datur in Annot. Acad. Lib. 2. tab. 6. fig. 1. conf. cap. 9. & 10.

V. Pars cutis brachii hominis adulti. Impleta per arterias; rediit liquor in venas subcutaneas magnas. Majores arteriae & venae inhaerent cellulosae sub cute: cellulosa autem macilenti est, eoque a pingui vacua. Minores arteriae venaeque, sensim ramosiores & subtiliores, per crasitudinem cutis penetrant ad partem externam.

VI. Similis pars hominis ejusdem, ac IV.

VII. Similis pars hominis ejusdem, ac VI.

VIII. Similes portiones duae hominis ejusdem, ac VII.

IX. Cutis ſuperioris partis capitis hominis adulti, penitius impletis arteriis.

X. Portio cutis, ac XI., ubi pingue in membrana celluloſa, cum cute exſiccatum. Pingui inhaerent arteriae majores; minores ad cutem penetrant, minimae, creberrimaeque ad extima cutis pertinent, quae ex eo tota rubet aequaliter; ſed conſpicillo cernitur, rubedinem in vaſis contineri. Cernuntur melius, quam in macilento.

XI. Similis alius, ut X.

XII. XIII. Similes, ac XI. Vaſis etiam penitius impletis.

XIV. Similis portio minor, detracta de ſupercilio, ex alio.

XV. Portio cutis hominis adulti. Impletae arteriae. Detracti trunci majores, ſub cute decurrentes. Minores ubique ad cutem pertinent, ſenſimque ramoſiores, & ſubtiliores per craſſitudinem cutis penetrant ad partem externam.

XVI. XVII. XVIII. XIX. Portiones ſimiles cutis, ut XV.

XX. Pars cutis hominis adulti, impletis arteriis. Arteriae ſubcutaneae majores adſunt; unde ubique rami minores ſenſim ramoſiores per cutem penetrant, creberrimis minimisque ramis ad ſuperficiem exteriorem pertinentes.

XXI. Similis portio minor, ac XX.

XXII. Portio cutis hominis adulti ſimilis, ac XXI., impletis arteriis. Macilenti eſt. Praeter arterias ſubtiles, creberrimasque, per craſſitudinem cutis penetrantes, apparent *corpuscula ovata*, creberrima, ex impletione arteriarum rubra. An radices pilorum cum *folliculis* ſuis? an glandulae?

XXIII. XXIV. XXV. XXVI. XXVII. Similes portiones, majores, minores, ac XXII.

XXVIII. Portio tunicae celluloſae hominis adulti macilenti, de brachio detracta, impletis arteriis, ut per venas liquor redierit. Impletae venae ſubcutaneae magnae.

XXIX. Membrana celluloſa hominis adulti macilenti, detracta de fronte, impletis arteriis penitius. In ea cernuntur vaſcula perſubtilia.

XXX. Portio panniculi adipoſi brachii hominis adulti, impletis arteriis, ut liquor per venas redierit. Pingue continet.

XXXI. Hominis adulti cutis cum panniculo adipoſo, putrefaciendo redacta in materiam albam, levemque. Putrefacta quoque cutis pars exterior, ut pſeudo-papillae in ea appareant; quae ortae ſunt ex eo, quod, circum circa eas putrefacta cute, pſeudo-papillae relictae ſunt.

XXXII. Manus feminae adultae, detracta cuticula cum reticulo, impletis arteriis, ut per venas liquor redierit. Ungues detracti: detrahi duo poſſunt.

XXXIII. Digiti tres ſimiles, ac XXXII.

XXXIV. Pedis pars prior ſimilis, ac XXXII.

XXXV. Pars ſuperior cranii infantis nuper nati, arteriis leviter impletis per perioſteum, & duram meningem.

XXXVI. Similis ac XXXV. arteriis multo magis impletis.

XXXVII. Similis, ac XXXVI. arteriis maxime impletis. Apparet, quomodo arteriae decurrant, ſenſimque ramoſiores, in perexiles abeant, donec ſubtiliſſimis creberrimis-

rimisque ramulis in poros cutis penetrent. Apparet crebra earum conjunctio. Icon. offium foetus pag. 160. tab. 16. fig. 162.

XXXVIII. Pars ſuperior cranii hominis adulti, impletis arteriis in perioſteo externo.

XXXIX. Similes, ac XXXVIII. impletis penitus arteriis & venis in perioſteo externo. Liquor, pulſus in arterias, rediit per venas.

Muſculi.

XL. Portio carnis tendinumque extenſoris digitorum manus, impletis arteriis.

XLI. Portio diaphragmatis infantis ejusdem, ac XLIV. tum carneae partis, tum tendineae. In parte utraque impletae arteriae & venae, ut XLV.

XLII. Portio tendinis hominis adulti, impleta per arterias.

XLIII. Portio tendinis ſimilis, ac XLII.

XLIV. Latus thoracis infantis nuper nati, conſtans ex coſtis, muſculis intercoſtalibus, transverſo abdominis. Arteriae & venae impletae ſunt; per arterias impulſus liquor, per venas rediit. In eo vaſa in perioſteo, & muſculis. Vaſa intercoſtalia in ſinu coſtae inferioris; & non modo rami ſuperſcandentes coſtam, & ſecundum oram ejus ſuperiorem decurrentes, ut apud Ruyſchium; ſed praeterea multi rami ſimiles, minores. Vaſa quoque ſupra per partem interiorem deſcendentia usque ad coſtam quartam, quae conjungunt ſe cum intercoſtalibus.

XLV. Infantis ejusdem, ac XLIV. ſternum cum cartilaginibus coſtarum ab utraque parte octo ſuperiorum. Arteriae & venae impletae ſunt, & quidem impulſus in arterias liquor per venas rediit. In eo vaſa in perioſteo, perichondrio, & muſculis intercoſtalibus. Praeterea ex interiore parte vaſa mammaria, quae ſe conjungunt cum intercoſtalibus.

XLVI. Sternum cum cartilaginibus coſtarum, coſtisque dextris ſuperioribus novem, ut XLIV. & XLV.

XLVII. Genu infantis nuper nati, arteriis impletis. Femur inferius eſt. Ab hoc detracti muſculi, patellae inſerti, cumque patella inflexi. In femore, detracto perioſteo, vaſa, quae poros ejus minores ubique intrant. In patella, cartilaginea, vaſa,

Vaſa.

XLVIII. Hominis adulti vena cava inferior, in qua apparet eminentia acuta, ubi in iliacas confluit.

XLIX. Portio venae ſubcutaneae, infra valvulam geminam reſectae.

L. Hominis adulti vas chyliferum. Hujus radices duas, inflatas, exſiccatas, quarum dextra major, & a principio capacior, receptaculum magis refert, depinxit Clar. Albinus Tab. vaſis chyliferi fig. 4.

LI. Hominis adulti vas chyliferum, cujus extremum ſuperius pariter exhibuit Tab. vaſis chyliferi fig. 3. Vas lymphaticum, chylifero inſertum.

LII. Vas chyliferum, ſimiliter delineatum Tab. vaſis chyliferi fig. 2. A parte priore ſubclavia juxta jugularem internam aperta, ut valvulae appareant, ſubcla-

viam

viam a jugulari illa disterminantes. Chyliferum inseritur, mox infra has valvulas. Jugularis interna continuo ductu fit subclavia, vel potius una est eademque vena, cujus parti alteri jugularis, alteri subclaviae nomen impositum est. A latere axillaris inseritur. Annot. Acad. Lib. 4. cap. 9. pag. 48.

Viscera.

LIII. Portio meningis tenuis hominis adulti, impletis arteriis.

LIV. Portio Pericardii hominis, impleti per arterias, impletis quoque venis, quippe quod liquor per venas redierit.

LV. Cor embryonis. Vasa ex eo enata, ad illud tendentia, canalis arteriosus apparent. Annot. Acad. Lib. 2. tab. 7. fig. 7.

LVI. Cor infantis nuper nati, arteriis venisque impletis. Canalis arteriosus brevior est.

LVII. Cor infantis provectioris impletum, ut appareat canalis arteriosus, brevis, angustus, fere transversus.

LVIII. Cor simile, ac LVII. Sed apertus sinus venosus uterque, & cum ventriculis evacuatus, ut foramen ovale in pariete sinuum intergerino appareat. Canalis arteriosus jam fere in ligamentum versus.

LIX. Cor infantis, impletum liquore rubro.

LX. Cor simile, ac LIX.

LXI. Cor hominis adulti. Cava, auricula dextra, ventriculus dexter, arteria pulmonalis, venae cordis, impletae sunt liquore coeruleo; vena pulmonalis, auricula sinistra, cor sinistrum, aörta, arteriae coronariae, impleta sunt liquore rubro.

LXII. Portio pulmonis hominis adulti inflata, ut vesiculae appareant.

LXIII. Ventriculus embryonis humani immaturi, cum stomacho, impletis arteriis.

LXIV. Ventriculus infantis arteriis leviter impletis. Adest stomachus extremus, & principium duodeni. Impletus gossypio.

LXV. Ventriculus adulti, impletis vasis.

LXVI. Portio tunicae externae, ab intestino hominis adulti detractae, impletis arteriis, quae paucae.

LXVII. Portio intestini tenuis hominis adulti inversa, & inflata, ut tunica nervea in cellulosam versa sit.

LXVIII. Portio similis, ac LXVII., sed venis admodum impletis. Detracta pars tunicae villosae, ut cellulosa nuda appareat, cum venis, quas continet.

LXIX. Portio intestini jejuni hominis adulti, per longitudinem ibi, ubi ad mesenterium adhaeserat, dissecta & explicata. Arteriae penitus impletae sunt. Exsiccatae eminent ita dictae valvulae.

LXX. Portio similis ac LXIX. sed valvulae insigniores.

LXXI. Similis ex eodem LXXIV. Sed rescissa a mesenterio. Ipsiusque intestini pars dimidia per longitudinem rescissa, ut interiora appareant.

LXXII. Pars dimidia illa abſciſſa ab LXXI.

LXXIII. Portio major inteſtini jejuni hominis adulti, reſecta a menſenterio, impletis venis. Ex alio, quam LXXII.

LXXIV. Portio inteſtini jejuni hominis adulti, cum adhaerente portione meſenterii pinguioris. Venae impletae ſunt.

LXXV. LXXVI. Similes portiones ex eodem.

LXXVII. Similis portio inteſtini jejuni, ac LXXIV. Apparent eadem, ſed majora; valvulae praeterea.

LXXVIII. Similis portio, ac LXX. Sed arteriae impletae ſunt liquore rubro, venae coeruleo.

LXXIX. Portio magna inteſtini jejuni hominis adulti, inverſa, & inflata nervea, verſaque in celluloſam.

LXXX. LXXXI. LXXXII. LXXXIII. Similes portiones, ac LXXIX.

LXXXIV. Portio magna inteſtini jejuni extremi, inverſa, inflata nervea, & arteriis impletis. Ex eodem, ac CXX.

LXXXV. LXXXVI. LXXXVII. Portiones ſimiles, ac LXXXIV.

LXXXVIII. Inteſtini jejuni, non longe ab inteſtino ilium, hominis adulti portio, inverſa & inflata, ut nervea reddita ſit celluloſa. Venae impletae ſunt. Ex alio, ac LXXXVII.

LXXXIX. Ejusdem ac LXXXVIII. portio parva.

XC. Inteſtini jejuni portio per omnia ſimilis, ac LXXXVIII. Eſt autem portio duodeno propior.

XCI. Ejusdem ac XC. portio parva, ubi tunica interna ex parte ſeparata.

XCII. Inteſtini portio ſimilis ac XC.

XCIII. Portio ſimilis, ac XC., ubi arteriae liquore rubro, venae coeruleo penitus impletae.

XCIV. Portio magna inteſtini jejuni hominis adulti, per arterias penitus impleti, reſecta a meſenterio.

XCV. Unum ex voluminibus inteſtini jejuni hominis adulti, cum meſenterio. Impletae arteriae. In meſenterio cernuntur annuli arteriae, ramique ex iis ad inteſtinum pertinentes, qui deinde per inteſtinum decurrunt.

XCVI. Portio inteſtini ilium hominis adulti, per longitudinem ibi, ubi ad meſenterium adhaerebat, diſſciſſa & explicata. Arteriae penitus impletae ſunt. Inteſtinum, ut impletum, non ſeparatis tunicis, exſiccatum. Juxta extremum alterum apparet ſpecies arbuſculae diſtinctae. Conf. Ruiſchii Adverſar. III. tab. 1. fig. 6. 7. Albin. Annot. Acad. Lib. 3. cap. 11. pag. 56. Non impletum autem ibi erat plene, vacuis intervallis. Caeterum impletum eſt plenius.

XCVII. Similis portio, ac XCVI. Niſi quod plene non impleta ſit, appareat-que ubique ſpecies arbuſcularum, ut apud Ruiſchium.

XCVIII. Ejusdem ac XCVI. portio minor.

XCIX. Portio, ut XCVI. ſed diſſecta a parte, quae adverſa illius, ad quam adhaeret meſenterium.

C. Portio illius, cui XCIX. inſcripta.

CI. Portio inteſtini ilium humani, reſecta a meſenterio, ac inverſa, arteriis impletis.

CII. Portio magna inteſtini ilium hominis adulti, a meſenterio reſecta, impletis arteriis.

CIII. Portio ſimilis inteſtini ilium, ut & ex eodem, ac CII.

CIV. CV. Ejusdem ac XCVI. portiones minores.

CVI. Portio ſimilis inteſtini ilium, ac CII.

CVII. Principium inteſtini ilium hominis adulti, per longitudinem ibi, ubi ad meſenterium adhaeſerat, diſciſſum & explicatum. Arteriae penitus impletae ſunt, neque ſpecies arbuſcularum adeſt. Vide XCVI. XCVII.

CVIII. Ejusdem ac CVII. portio minor.

CIX. Portio inteſtini ilium a meſenterio abſciſſi. Caeterum ſimilis ac XCVI. Ex eodem homine.

CX. Portio inteſtini ilium hominis adultioris ibi, ubi ad meſenterium adhaerebat, per longitudinem diſciſſa, & explicata. Venae aequaliter impletae ſunt.

CXI. Ejusdem hominis portio ſimilis ac CX. impletis arteriis.

CXII. Portio inteſtini ilium hominis adulti, ubi ad meſenterium adhaeſerat, per longitudinem diſciſſi & explicati. Arteriae venaeque penitus impletae; nimirum impulſus per arterias liquor rediit per venas. Apparet venas comitari arterias.

CXIII. Portio ſimilis, ac LXXXVIII, arteriis impletis. Nervea inflata & exſiccata; unde pars major tunicae internae detracta. Apparent arteriae per celluloſam illam internam decurrentes ad tunicam internam.

CXIV. Portio inteſtini ilium hominis adulti, per longitudinem ibi, ubi ad meſenterium adhaeſerat, diſſecti, & explicati. Impletae arteriae, ut per venas liquor redierit. Penitus impletae venae. Tunica interna apparet papillarum plena, quae ſunt villi nimis impleti & ſiccati. Conf. dicta ad num. CXV. partis prioris hujus ſupellectilis Albinianae pag. 45.

CXV. Tunica nervea inteſtini ilium hominis adulti, per longitudinem ibi, ubi ad meſenterium adhaerebat, diſciſſa, & explicata. Venae impletae ſunt liquore rubro, arteriae coeruleo; quae vaſa ſeſe comitantur. Figuram videre licet in Clar. Albini Diſſ. de arteriis & venis inteſtinorum hominis.

CXVI. Tunica nervea ſola inteſtini ilium hominis adulti, ut CXV. Solae autem impletae arteriae. Apparet, quomodo arteriae per nerveam decurrant, & creberrime conjungantur. Annot. Acad. Lib. 2. tab. 4. fig. 1. Nerveam flatu diſtendi poſſe in rarum quiddam, cavernoſumque, & veluti pumicoſum tenerum, ſimile ei, quam celluloſam appellant anatomici, hoc praeparato probatur. Nervea haec ab altera parte cum interna conjungitur, ab altera cum muſculoſa, ut celluloſa cum cute & muſculis, neque aliae celluloſae membranae hic dantur, quas adeſſe, & muſculoſam cum nervea, hanc cum interna nectere, voluerunt. Pertinent ad nerveam, quae tota naturae celluloſae eſt. Nervea, quum concidit, membrana denſa eſt, ut cellulo-

luloſa, quae ſub cute, tractando denſatur magis; quum diducitur & diſtrahitur, fit rarior. Annot. Acad. Lib. 2. cap. 7. pag. 29.

CXVII. Nervae ejusdem, ac CXVI., portio minor.

CXVIII. Nervea ſola, inteſtino a meſenterio abſciſſo, impletis arteriis, ut CXVI. Ex eodem homine.

CXIX. Inteſtini ilium hominis adulti portio inverſa & inflata, ut nervea verſa ſit in celluloſam; Arteriae penitus impletae ſunt.

CXX. CXXI. CXXII. Similes portiones, ac CXIX. Ex alio.

CXXIII. Portio principii inteſtini ilium hominis adulti inverſa, inflata, ut nervea verſa ſit in celluloſam. Tunicae villoſae pars magna detracta, ut nervea in celluloſam verſa conſpiciatur. Infra, praeter villoſam ſeparatam a nervoſa, etiam communis ſeparata, apparetque tum nervea, in celluloſam mutata, tum celluloſa externa, pingue continens, vacua, inflata, ſiccata. Arteriae impletae ſunt. Annot. Acad. Lib. 2. tab. 4. fig. 2.

CXXIV. Portio extremi ilium cum principio craſſi & appendicula vermiformi infantis nuper nati. Arteriae leviter impletae.

CXXV. Hominis adulti extremum inteſtinum craſſum, cum extremo ilium & appendicula vermiformi, inflata. Colon e regione extremi ilium apertum, ut valvula coli appareat cum habenis ſuis. Valvulae coli valva ſuperior, quae hic inferior, aliquantum diminuta, quia extrinſecus ilium extremum aliquantum ſeparatum a craſſo.

CXXVI. Similis portio, ac CXXV., ex adulto alio. Sed valva inferior latior apparet, quoniam ilium extremum ad angulum acutiorem adſcendit, citiusque ſe cum craſſo conjungit per celluloſam.

CXXVII. Hominis adulti extremum craſſum inteſtinum cum extremo tenui, & appendicula vermiformi.

CXXVIII. Similis portio, ac CXXVII. Ex adulto alio, ſed colon integrum. Extrinſecus, ubi intus valvula coli, adhaeſio ilium ad craſſum per celluloſam ſeparata, communisque tunica muſculoſa valvae utriusque diſſecta media, tota valvula coli deleta, ut veſtigium non ſuperſit, ſed ilium extremum pandat ſe in craſſum. Conf. Annot. Acad. Lib. 3. cap. 2. pag. 20. Lib. 4. cap. 14. pag. 70. Lib. 5. cap. 1. pag. 18. 30. 38. 44. 45. cap. 2. pag. 127. Lib. 6. cap. 11. pag. 125.

CXXIX. Inteſtini coli hominis adulti pars inverſa, inflata nervea. Arteriae impletae ſunt.

CXXX. Similis portio minor, ac CXXIX. Ex eodem.

CXXXI. Pars inteſtinorum tenuium infantis nuper nati, cum meſenterio. Arteriae impletae ſunt, ut liquor per venas redierit. Apparet, quomodo venae arterias comitantur in meſenterio, inteſtinisque. Inteſtina tota rubent, penitus impletis vaſis. Inteſtini tenuis portio dilatatior eſt, ſenſim ex tenui dilatatior, ſenſimque rurſus contractior.

CXXXII. Ejusdem infantis, ac CXXXI. inteſtina craſſa cum meſocolo, compoſita in poſitum maxime naturalem. Arteriae penitus impletae ſunt, ut per venas liquor redierit; & caetera ut in CXXXI.

CXXXIII. Portio inteſtini ilium infantis nuper nati, cum meſenterii portione, arteriis impletis. Apparent arteriae annuli per meſenterium, ramique inde ad inteſtinum pertinentes, perque illud decurrentes; praeterea adſunt glandulae meſenterii.

CXXXIV. Pars magna meſenterii hominis adulti. Impletae venae; minores tales in meſenterio adſunt, & in glandulis ejus. Macilenti eſt, deleto etiam omni pingui.

CXXXV. Portio meſenterii, cui adhaeret portio inteſtini. Vaſa lactea impleta ſunt mercurio.

CXXXVI. Portio magna meſenterii hominis adulti, pingue continens, in quo vaſa majora. Venae impletae ſunt.

CXXXVII. Infantis nuper nati jecur impletum, in quo cernuntur ſinus, inciſurae.

CXXXVIII. Veſiculae fellis hominis adulti ea portio, quae hepati inhaeret. Vena portarum per hepar impleta eſt. Rami venae portarum pertinent ad eam, ex hepate venientes.

CXXXIX. Veſicula fellis hominis adulti cum ductu cyſtico, hepatico, & choledocho.

CXL. CXLI. Similes, ac CXXXIX.

CXLII. Hominis adulti duodenum cum meatu pancreatico, & choledocho, diſtantibus inter ſe, ubi inteſtina inſeruntur. Ut diſtenditur inteſtinum, diſtant inter ſe magis; ut contrahitur, diſtant minus.

CXLIII. Hominis adulti pelvis cum ramis ſuis & principio ureteris. Pelvis oblonga eſt.

CXLIV. Veſica infantis nuper nati, arteriis leviter impletis. Arteria umbilicalis ramos veſicae dat, cum arteriis veſicae communicantes.

CXLV. Veſica, ut CXLIV. Sed arteriis penitus impletis, ut per nonnullas venas liquor redierit, impletae & ipſae, ſed albicantiores. Arteriae umbilicalis praetereuntis trunicus ſervatus unus, qui ramos veſicae dat, ut in CXLV.

CXLVI. Hominis adulti veſica cum ureteribus. Ureter alter integer eſt, ac pelvi renis, ramisque ejus incipit.

CXLVII. Veſica hominis adulti cum ureteribus inflata. In ea urachus pervius Annot. Acad. Lib. 1. tab. 3. fig. 4. Inflata veſica inflabatur per latos digitos tres, manifeſto intus in veſica oſtio; nullum aderat veſicae vitium, aut itineris unnae.

Olfactus.

CXLVIII. Os cribriforme hominis junioris. Simile cum vomere. Oſſis cavernoſi partes duae. Cribriformis interſtitium. Oſſa unguis ſex. Oſſa ſpongioſa inferiora ſeptem. Os maxillare ſuperius ſiniſtrum cum cohaerente oſſe palati. Os maxillare ſuperius dextrum cum jugali. Os maxillare ſuperius dextrum cum ſeparato oſſe palati. Os palati ſiniſtrum. Sinus ſphaenoidalis in tota baſi multiformis unus, magnus; cujus oſtium dextrum adeſt: ſiniſtrum extrinſecus apparet dextro minus, ex interiore parte concretum. Oſſis multiformis partes duae, in quibus interſtitium in ſinu baſis, ſinusque ſupra proceſſus pterygoideos.

CXLIX.

CXLIX. Pars dimidia capitis oſſei infantis, in qua praecipue interſtitium narium, infra conſtans ex vomere oſſeo, & ſupra ex cartilagine una, quae eſt interſtitium cribriformis, & pars, in molli naſo cartilaginea manens.

CL. Hominis adulti cranium, diſſectum fere medium per longitudinem. In eo, praeter alia, pars oſſea interſtitii narium, ſinus ſphoenoïdalis & frontalis, eorumque interſtitium. Albin. Tab. oſſium. 3. fig. 3.

CLI. Simile, ac CL. Sed remoto interſtitio narium, ut latus narium cernatur. Albin. Tab. oſſium 4. fig. 1.

CLII. Simile, ac CL. Sed remoto etiam oſſe cavernoſo, & ſpongioſo inferiore, ut latus narium appareat, conſtans ex oſſe plano, unguis, palati, maxillari ſuperiore. Albin. Tab. oſſium 4. fig. 2.

CLIII. Portio cranii ſimilis, ac CL. Ut appareat oſſea pars interſtitii narium, & exitus ſinus ſphaenoïdalis dextri.

CLIV. Latus interius narium hominis adulti, cum ſinu multiformis. Latus interius narium veſtitum eſt cute ſua, per arterias penitus impleta. Cutis palati cum cute fundi narium per foramen inciſivum conjungitur.

CLV. Pars major interſtitii narium hominis adulti, conſtans ex vomere, interſtitio cribriformis, cum criſta galli & cartilagine anteriore. Ab altera parte cutis narium, cum arteriis penitus impletis, quarum aliae a poſteriore parte veniunt; aliae, eaeque minores, per foramina cribriformis deſcendunt. In parte anteriore cutis illius pori quam plurimi, confertique, ubi vibriſſae inhaeſerant.

CLVI. Os ſpongioſum ſuperius hominis adulti. Intus veſtitum eſt cute narium tenui, cum arteriis impletis.

CLVII. Os ſpongioſum inferius hominis adulti, cum veſtiente cute narium, impletis arteriis.

Auditus.

CLVIII. Auricula hominis adulti, impletis arteriis.

CLIX. CLX. CLXI. Similes, ac CLVIII.

CLXII. Hominis adulti cartilago auriculae. Cernuntur in ea ab exteriore helix, anthelix, crura ejus duo, antitragus, tragus, principium pori acuſtici, cavitas innominata, ſcapha, ejus dorſum, concha, ejus dorſum & proceſſus acutus, rima helicis, rimae principii pori acuſtici; ſciſſura inter principium anthelicis & concham: ab interiore, dorſum cavitatis innominatae, anthelicis, ejus crurum, ſcaphae, conchae, principii pori acuſtici, ſciſſura inter principium anthelicis & concham. Annot. Acad. Lib 6. tab. 4. fig. 1. 2.

CLXIII. Os temporis embryonis maturioris cum membrana tympani.

CLXIV. Infantis nuper nati os ſquamoſum cum annulo ac membrana tympani, & malleo. Annot. Acad. Lib. 6. tab. 5. fig. 1.

CLXV. Simile, ac CLXIV. Sed adeſt quoque incus.

CLXVI. Simile, ac CLXIV. Membrana tympani pulchre impleta per arterias.

CLXVII. Embryonis junioris ſimile, ac CLXVI.

CLXVIII. Embryonis nuper nati os petroſum cum annulo & membrana tympani, cujus arteriae impletae. Supra, poſt membranam tympani, effractum eſt, ut officula cernantur.

CLXIX. Os temporis infantis junioris. Detracta membrana tympani, officula auditus in ſitu. Annot. Acad. Lib. 4. tab. 1. fig. 2.

CLXX. Infantis nuper nati os petroſum, a quo detractum ſquamoſum & annulus; relicta membrana tympani & officula in ſitu.

CLXXI. Embryonis maturioris annulus cum malleo, cujus proceſſus gracillimus inſidet ſinui annuli.

CLXXII. Infantis nuper nati os petroſum, detracto ſquamoſo & annulo. Stapes baſi ſua inſidet feneſtrae ovali, facitque veſtibuli partem, quod ab altera parte effractum. In tympano tendo muſculi ſtapedii, inſertus ſtapedi. Tympanum praeterea, arteriaque impleta, quae veſtigiis fundi tympani inhaeret.

CLXXIII. Infantis nuper nati malleus, incus, ſtapes, integri.

CLXXIV. Idem, ac CLXXIII. Sed adjectus adulti malleus, qui ſine proceſſu gracillimo eſt.

CLXXV. Nuper natorum, juniorum, infantum, adultorum, mallei, incudes, ſtapedes, plures.

CLXXVI. Embryonis maturioris pars dimidia baſis cranii. In ea tuba Euſtachii, chorda tympani, nervus tertii rami quinti paris, ejus ramus longior lingualis, & ab eo ramus retrogadus, qui cum tendine muſculi externi mallei intrat fiſſuram inter os ſquamoſum & annulum, fitque radix prior chordae tympani. Muſculi externi mallei venter, tendo.

CLXXVII. Embryonis maturioris os temporis, ejusdem, cujus eſt CLXXVI. detracta parte priore annuli. In eo tenſor membranae tympani, & externus; itemque progrediens nervus, qui a ramo linguali tertii rami quinti paris ortus (conf. CLXXVI.) fit radix prior chordae tympani.

CLXXVIII. Os temporis infantis junioris. Ab altera parte tympanum integrum; ab altera, detrito petroſo, labyrinthus in ſitu. Veſtibulum & cochlea effracta.

CLXXIX. Os temporis embryonis maturioris. Oſſe petroſo detrito labyrinthus erutus in ſitu. Tympanum ſpectat cochleae vertex, feneſtrae duae, & aquaeductus Falloppii, qua per tympanum decurrit. Ab altera parte canalis nervorum acuſticorum communis, ad baſem cochleae, proximamque partem veſtibuli pertinens. Cujus in ſuperiore parte pars, portionem duram recipiens, inque fundo foraminulum, per quod exit; itemque aquaeductus principium dimidiatum, perfectum, ſuperinducta dura matre.

CLXXX. Infantis nuper nati tres canales ſemicirculares.

CLXXXI. Similes, ac CLXXX. Sed ſemicircularis unius extremum abſciſſum eſt, ut cernantur oſtia gemina, quorum alterum unius canalis eſt, alterum ex confluentibus extremis duorum fit. Ab altera parte gemina altera, interque gemina illa altera & altera pars veſtibuli.

CLXXXII. Infantis nuper nati cochlea integra.

CLXXXIII. Similis labyrinthus, ac CLXXXIV. Cochlea autem a feneſtra rotunda ad finem usque effracta, ut lamina ſpiralis appareat.

CLXXXIV. Embryonis maturi labyrinthus ſiniſter. Veſtibulum a parte capacitatis cerebri effractum. Principium cochleae ab utraque parte effractum, ut appareat ſepti principium, conſtans ex parte oſſea & membranea. Scala ſuperior definit ad veſtibulum, inferior ad feneſtram rotundam.

CLXXXV. Embryonis maturioris os petroſum; in quo effracta ſcala cochleae, a feneſtra rotunda. Cernitur lamina ſpiralis, ſeptique pars membranea; foramina ſecundum radicem laminae, & baſis nuclei cochleae. Effractum quoque veſtibulum a parte, quae capacitatem cranii ſpectat; cerniturque exitus veſtibuli in ſcalam cochleae.

CLXXXVI. Infantis nuper nati petroſum; ubi pars illa aquaeductus Falloppii, quae per tympanum decurrit, tota diffracta eſt.

CLXXXVII. Simile ac CLXXXVI. Sed in aquaeductu vaſa impleta.

CLXXXVIII. Infantis nuper nati labyrinthus cum aquaeductu Falloppii, per longitudinem aperta parte, quae per tympanum decurrit. Cochlea hic illic effracta. Veſtibulum apertum ab ea parte, quae capacitatem cranii ſpectat.

CLXXXIX. Hominis adulti os temporis.

CXC. Adulti hominis os temporis. *Seta trajecta per fiſſuram, per quam* penetrat tendo externi mallei, *& nervus, qui fit radix prior chordae tympani.* Meatus auditorius ante detritus, ut cernatur tympanum, inque fundo ejus feneſtrae duae. Cruſta externa a proceſſu mammillari detracta, ut cellulae ejus appareant.

CXCI. Hominis adulti oſſis temporis pars, in qua aquaeductus Falloppii pars, quae per tympanum decurrit, tota aperta.

CXCII. Pars ſimilis ac CXCI. Sed praeterea in aquaeductu vaſculum impletum.

Viſus.

CXCIII. Pars poſterior ſclerotices hominis adulti, cum nervo optico, comitantibusque eum arteriis, nervisque ciliaribus, qui penetrant per ſcleroticam.

Virilia.

CXCIV. Infantis ſcrotum cum veſica ſiccatum. Dartos ſiccando cum cute concreta, itemque aperta, ut loculi duo appareant, & ſepti ſpecies; quae fit ex duabus dartos, altera alteri adjacente & adnexa, ſiccando verſis in ſpeciem ſepti.

CXCV. Dartos diviſa in involucra duo. Scrotum inciſum ubi raphe. Sic dartos in involucra duo diviſa eſt, inciſo ſepto ſcroti. Inciſa ab utraque parte cutis cum darto, quae ſimul ſunt exſiccata, ſic capacitates dartos duae apparent.

CXCVI. Dartos ſimilis, ac CXCV. Intus membrana celluloſa. Scrotum inciſa cute, ubi raphe, integreque diviſa dartos in involucra duo. Dartos nuda, ubi altera alteram contingit, ac ſic ſeptum efficiunt. Caeterum darto utrique adhaeret cutis exſiccata, inter quam & darton celluloſa multa.

CXCVII.

CXCVII. Dartos cum membrana celluloſa.

CXCVIII. Epididymis, argento vivo, per vas deferens perite at ſcienter propulſo, diſtenta. Penetravit usque in pulpam teſtis. Figura datur in Annot. Acad. Lib. 2. tab. 3. fig. 1. Conſtat ex hoc praeparato, qualis & quam longa, quamque anguſta & flexuoſa, ſuperanda ſemini via per epididymidem, antequam ad vas deferens perveniat.

CXCIX. Veſicula ſeminalis viri, cum extremo deferente, inflata.

CC. Similis, ac CXCXIX. Diſſecta per longitudinem, ut cellulae appareant.

CCI. Penis viri adulti, per corpora cavernoſa impletus. Impletus quoque per arterias, ut per venas liquor redierit. Inflata praeterea celluloſa, quae ſub cute eſt, in pene & glande. De corpore detracta portio cutis, ut appareat celluloſa multa. De glande detracta portio cutis tenuis, ut celluloſa parca appareat. Impleta vaſa decurrunt per celluloſam. In ea vena azyga cum ramis ſuis. Supra in angulo corporum majorum arteria impleta una. In membrana corporum cavernoſorum vaſa impleta. Vaſa plurima, minutaque, ubi praeputium glandem circumcirca contingit. Praeputium retractum.

CCII. Pars inferior penis ejusdem, qui CCI., conſtans e corporibus impletis. Ubi bulbus urethrae.

CCIII. Penis viri inflatus per corpora cavernoſa, perque celluloſam, quae ſub cute eſt. Dein diſſectus per longitudinem, ſecundum ſeptum, quod e corporibus majoribus fit. Apparet corporum folliculus membraneus, & quae implent. Corpora majora obtuſo mucrone pertinent in glandem. Celluloſa externa plurima, ubi praeputium; in glande parca.

CCIV. Ejusdem penis, ac CCIII., pars dimidia altera.

CCV. Penis humanus minor, ſimilis illi, qui CCIII. Sed in eo praecipue apparet celluloſa ſub cute multa, praecipue ad praeputium.

CCVI. Penis viri per transverſum ſecti tomus. Inflata corpora cavernoſa, urethra, arteria & vena, celluloſa ſub cute. Corpora majora, qua adjacet alterum alteri, ſeptum efficiunt. In angulo eorum inferiore urethra, in ſuperiore arteriae; ſupra quas vena.

CCVII. Penis virilis pars extrema, ubi glans; inflatis corporibus cavernoſis. Retro abſciſſus tomus; caeterum per longitudinem ab utraque parte urethrae fiſſus; & in ſumma glande detracta cutis ad cavernulas usque.

Secundae.

CCVIII. Hominis funiculus umbilici cum parte chorii & amnios. Funiculi vena impleta liquore fuſco, arteriae rubro. In chorio ramos ſpargunt. Albin. Tab. uteri mulieris gravidae p.–u. Ab exteriore parte funiculi amnios abſcedit.

Oſſa.

CCIX. Sceletus infantis nuper nati; & aliorum juniorum & adultiorum partes. Caput deficit.

CCX. Sceletus infantis. Caput deëſt. Additamenta magnam partem adhuc cartilaginea.

CCXI. Embryonis junioris, quam CCXXXVIII., oſſa verticis, frontis, occipitis quatuor, ſquamoſa, annulus unus, petroſorum portiones oſſeae, multiformis partes quatuor, proceſſus laterales & tenues, baſis particulae oſſeae, oſſa palati, jugalia, maxillaria ſuperiora, vomer, naſi unum, maxillae partes duae, malleus unus. Praeterea trunci quaecunque oſſea ſunt; femora, tibiae, fibulae, humeri, ulnae, radii, ſcapulae, claviculae, oſſa ilium, coſtae, vertebrarum corpora & partes laterales, oſſa metatarſi, metacarpi, & quorundam digitorum.

CCXII. Sceletus puellae quindecim circiter annorum, ubi epiphyſes majores, & nonnullae minores nondum continuatae oſſibus ſuis. Deficiunt aliqua.

CCXIII. Hominis adulti ſceletus, factus putrefactione in aqua.

CCXIV. Hominis adulti ſceletus, decoctus aqua.

CCXV. Sceletus hominis adulti, qui inſerviit tabulis tribus Sceleti tabulisque oſſium ducendis.

CCXVI. Oſſa multa hominis, qui ad plenum incrementum ſtaturae pervenerat, ſed epiphyſes multae adhuc ſolutae, aut ſolvendae.

CCXVII. Oſſa hominis ſimilia CCXVI.

CCXVIII. Cranium cum maxilla *infantis adulti. Dentes primi fere ceciderunt; ſecundi aliquot adſunt.*

CCXIX. Simile integrum infantis, ac CCXVIII. Fons pulſatilis magnus eſt.

CCXX. Infantis adultioris caput oſſeum. Dentes priores ceciderunt; ſecundarii multi adſunt.

CCXXI. Infantis junioris cranium. Fontis pulſatilis parum ſupereſt. Dentes priores abſunt, & maxillares ſecundi; ſecundarii adſunt.

CCXXII. Oſſa ſoluta capitis oſſei embryonis nondum maturi. Oſſa petroſa deſunt, quae inſervierunt ad inſtrumentum auditus eruendum.

CCXXIII. Similia oſſa, ac CCXXII., quae inſervierunt ad icones oſſium capitis. Icon. oſſium Foetus. Tab. 1.—6. fig. 1.—45. Adſunt petroſa.

CCXXIV. Oſſa ſoluta capitis oſſei infantis junioris.

CCXXV. Embryonum maturorum, & infantum haud diu natorum, maxillae inferioris partes duae, unaque adultioris, oſſa maxillaria ſuperiora ſex, oſſa palati ſeptem, oſſa jugalia ſex, proceſſus laterales multiformis quinque, baſis multiformis cum proceſſibus tenuibus una, vomeres quatuor, petroſa duo.

CCXXVI. Nuper nati embryonis oſſa verticis, frontis, ſquamoſum, occipitis partes quatuor.

CCXXVII. Embryonis nuper nati oſſa maxillaria ſuperiora, palati, jugalia, naſi, ſpongioſa inferiora, unguis, cribriformis duae partes, vomer.

CCXXVIII. Embryonis nondum maturi oſſa maxillaria ſuperiora, palati, jugalia, naſi, ſpongioſa inferiora, unguis unum, vomer, cribriformis duae partes, proceſſus laterales multiformis, maxillae inferioris partes duae.

CCXXIX. Embryonis junioris, quam proxime praecedentis, ossa verticis, frontis, occipitis quatuor, maxillaria superiora, palati, jugalia, unguis, nasi unum, annulus unus, una pars cribriformis, tres partes multiformis praeter processus laterales, maxillae partes duae.

CCXXX. Embryonis junioris, quam proxime praecedentis, ossa verticis, frontis, occipitis quatuor, squamosa, petrosa, multiformis partes quinque, maxillaria superiora, palati, jugalia, spongiosa inferiora, maxillae partes duae.

CCXXXI. Embryonis junioris, quam proxime praecedentis, ossa verticis, frontis, occipitis quatuor, maxillaria superiora, palati, jugalia, nasi, vomer, petrosa, squamosa, annulus unus, multiformis partes quinque, maxillae partes duae.

CCXXXII. Aetatis fere ejusdem, ac CCXXXI., os verticis, os frontis unum, occipitis pars superior, ejusdem lateralis una, unum maxillare superius, unum palati, jugalia duo, squamosa duo, maxillae partes duae.

CCXXXIII. Embryonis junioris, quam proxime precedentis, frontis duo, squamosa, maxillae pars una, pars ossis verticis unius.

CCXXXIV. Junioris embryonis, quam proxime praecedentis, ossa verticis, frontis, occipitis pars superior, multiformis partes laterales duae, ossa maxillaria superiora, ex multis partibus constantia, jugalia, vomer, squamosa, annulus unus, ossa palati, nasi, unguis, maxillae partes duae.

CCXXXV. Os verticis embryonis nuper nati. Ossa verticis duo embryonis paulo junioris. Os verticis multo junioris. Aliud multo praecedente junioris.

CCXXXVI. Infantum juniorum ossa temporum sex.

CCXXXVII. Infantis nuper nati os squamosum cum annulo. Embryonis nuper nati & aliquantum adultiorum ossa squamosa cum annulo. In embryone annulus separatus. In adultiore altero separandus; in altero extremo suo priore, eoque crassiore, conferbuit cum squamoso. Dein confervet extremo utroque, ut CCXXXIX., confervet etiam corpore suo cum petroso, ut CCXXXIX.; simulque latescit extrorsum, ut fiat meatus auditorius osseus. Vide CCXXXIX. CLXXXIX. Humani annuli quinque variae aetatis.

CCXXXVIII. Embryonis junioris, quam CCXXXI. os verticis, frontis duo, occipitis pars superior.

CCXXXIX. Ossa temporis infantum juniorum.

CCXL. Os maxillare sinistrum pueri, cui dentes decidui omnes jam plane eruperunt. Ab interiore conspiciuntur dentes decidui; incisores duo, caninus, maxillaris seu molaris primus & secundus. Praesepiolis maxillarium effractis, conspiciuntur radices eorum, utriusque autem non nisi interior. Dentes novi, imperfecti, incisores duo, caninus, maxillaris primus, supra deciduos, suis in cavernulis inclusi sunt, hunc in finem effractis. Cavernulae incisorum plenius sunt effractae, una cum foramine, in quod ad maxillae marginem definunt. Excussus est molaris secundus, cujus cavernula vacua cernitur. Molaris tertius, qui non deciduus, cavernulae suae, quae effracta est, inclusus haeret. Cernitur pars etiam cavernulae molaris

quarti,

quarti, qui non deciduus. Annot. Acad. Lib. 2. cap. 1. tab. 1. fig. 3. Conſtat ergo, novos dentes non ex radice relicta lacteorum ſeu primorum produci, ſed, praeſentibus his, etiam jam adeſſe, ſuisque diſtinctis cavernulis includi.

CCXLI. Pars dextra maxillae infantis, ubi impleta arteria per fundum alveolorum pertinens.

CCXLII. Hominis adulti caput oſſeum. Cranium apertum eſt. Videtur feminae eſſe.

CCXLIII. Feminae cranium integrum. Adeſt membrana tympani.

CCXLIV. Simile cranium feminae, ac CCXLIII.

CCXLV. Simile feminae junioris, ac CCXLIII. Arteriae carotides impletae.

CCXLVI. Hominis adulti pars inferior cranii. Feminae eſt ſemiedentulae. Dentes ſuperſunt tantummodo duo.

CCXLVII. CCXLVIII. CCXLIX. CCL. CCLI. Hominum adultorum capita oſſea aperta.

CCLII. Hominis adulti caput oſſeum.

CCLIII. Simile ac CCLII.

CCLIV. Hominis adulti caput oſſeum, oſſibus ſolutis, ut componi poſſint.

CCLV. Pars cranii hominis adulti. Sutura ſagittalis deleta. In ſiniſtra parte abſciſſa ab oſſe occipitis per ſuturam portio. Conf. Lib. de ſceleto cap. 24. art. 4.

CCLVI. Maxilla inferior nuper nati embryonis, in qua dentes.

CCLVII. Maxilla infantis, aliquamdiu nati; ubi gingiva alveolis dentibusque ſuperinducta, ſed inciſores primi medii lactei jam eruperunt.

CCLVIII. Maxilla infantis provectioris cum dentibus.

CCLIX. Maxilla infantis provectioris, ubi dentes lactei & ſecundarii. Apparent dentes decidui, inciſores, canini, molares, primi, ſecundi. Praeſepiola caninorum & molarium inciſa, aperta, ut radices eorum appareant; caninis ſimplex, molaribus gemina. Cernuntur dentes novi, imperfecti, inciſores, canini, maxillares primi, ſecundi. Adſunt dentes molares immutabiles, tertii, quarti, incluſi in cavernulis ſuis, quae effractae. Conſpiciuntur foramina, in qua deſinunt cavernulae inciſorum. Annot. Acad. Lib. 2. cap. 1. tab. 1. fig. 1.

CCLX. Maxilla hominis adulti, robuſti, alveolis perfectis.

CCLXI. Maxilla edentulae, deletis alveolis.

CCLXII. Maxilla adulti hominis fracta per transverſum in partes tres, ut canalis cernatur ſubter dentes decurrens, & ad foramen a latere menti deſinens.

CCLXIII. Dentes infantum, impleta materie molli interiore, & exſiccata, in qua vaſa.

CCLXIV. Infantis maxillae ſuperioris inciſores medii, lactei, perfectiores.

CCLXV. Infantis maxillae ſuperioris inciſores lactei, puta, ſecundi, parvi & minor.

CCLXVI. Hominis maxillae ſuperioris lactei primi molares.

CCLXVII. Hominis maxillae ſuperioris, molares lactei, primi, perfectiores, perfecti.

CCLXVIII.

CCLXVIII. Hominis maxillae ſuperioris molares lactei ſecundi, parvi, deficiente angulo.

CCLXIX. Hominis maxillae ſuperioris molares lactei ſecundi, parvi, & major.

CCLXX. Hominis maxillae inferioris, cujus etiam ſubſequentes ſunt, inciſores lactei, medii, parvuli.

CCLXXI. Inciſores lactei, medii, provectiores.

CCLXXII. Inciſores lactei laterales, parvuli.

CCLXXIII. Similes, provectiores.

CCLXXIV. Similes perfecti.

CCLXXV. Molares lactei primi, parvuli, & major.

CCLXXVI. Molares lactei ſecundi, parvi, deficientes.

CCLXXVII. Similes parvi.

CCLXXVIII. Similes perfectiores.

CCLXXIX. Lactei canini, fere perfecti.

CCLXXX. Canini lactei, minus perfecti.

CCLXXXI. Molarium lacteorum anguli.

CCLXXXII. Lactei inciſores medii maxillae ſuperioris, & laterales inferioris, & canini fiſſi.

CCLXXXIII. Inciſores, canini, molares novi, nondum perfecti, alii autem magis, alii minus.

CCLXXXIV. Dentes, qui inſervierunt parandis iconibus, quibus ortus & incrementum dentium demonſtratur. Annot. Acad. Lib. 2. tab. 2. Conf. ejusdem libri cap. 1. 2. 3.

CCLXXXV. Inciſor deciduus in infera parte ſiniſter ſecundus, qui, quum novus jam ſuccreviſſet, non multum vacillabat. Radix a poſteriore parte fere usque ad locum, cui gingiva adhaeret, veluti deroſa; a priore pene integra, ſolo mucrone arroſo. Annot. Acad. Lib. 2. tab. 1. fig. 11. —— Similis dens dexter ſecundus, qui, novo jam plane nato, non vacillabat. Radix integra, niſi quod ab illo latere, quo inciſorem primum ſpectaverat, aliquantum arroſa ſit, neque ad cavum ſuum usque. Annot. Acad. Lib. 2. tab. 1. fig. 12.

CCLXXXVI. Dentes lactei, qui ceciderunt. Annot. Acad. Lib. 2. tab. 1. fig. 13.–25.

CCLXXXVII. Hominis junioris dentes varii.

CCLXXXVIII. Adulti hominis dentes varii.

CCLXXXIX. Dentes lactei infantis, qui ceciderunt.

CCXC. Adulti hominis dentes inciſores, ſuperiores, & inferiores.

CCXCI. Adulti hominis dentes molares ex omni parte poſtremi.

CCXCII. Adulti hominis dentes molares notabiliores.

CCXCIII. CCXCIV. Inciſores dextri, eique novi, alveolis una comprehenſi.

CCXCV. Inciſor novus parvulus ſiniſter, in alveolo cum lacteo contentus.

CCXCVI.

CCXCVI. Adulti dentes molares primi duo ex omni parte.

CCXCVII. Dentes adulti canini, ſuperiores & inferiores.

CCXVIII. Dentes adultorum fiſſi.

CCXCIX. Cartilago thyreoidea & cricoidea hominis adulti.

CCC. Oſſa hyoidis quatuordecim, & variorum hominum adultorum. Uni cornua minora longiora ſunt; & adſunt oſſicula in ligamentis, quibus extrema cornua majora ad proceſſus ſuperiores cartilaginis thyreoideae alligantur. Uni cornua minora breviora, ut ſolent. Aliis cornu majus utrumque cum baſi conferbuit; aliis alterutrum, aliis utrumque ſeparatum. Adſunt corpora & cornua majora variorum, quae non conveniunt inter ſe. Adeſt unius cornu minus graniforme.

CCCI. Atlantes juniorum. Icon. oſſium foetus tab. 8. fig. 55. pag. 67.

CCCII. Atlantes quatuor hominis adulti.

CCCIII. Epiſtrophaei juniorum. Icon. oſſium foetus tab. 7. pag. 56.

CCCIV. Vertebrae juniorum. Icon. oſſium foetus tab. 7. pag. 53.

CCCV. Vertebrae colli ſummae duae, hominis adulti. Sexies.

CCCVI. Colli vertebrae ſeptem hominis adulti.

CCCVII. Adulti hominis vertebrae lumborum quinque.

CCCVIII. Os ſacrum hominis adulti, ubi corpora vertebrarum adhuc plane ſeparata, & plerique proceſſus obliqui.

CCCIX. Os ſacrum hominis adulti, ubi coccyx cum eo conjunctus, & praeterea oſſicula coccygis inter ſe, ut ex ſacro coccygeque os ſit unum. Annot. Acad. Lib. 4. cap. 11. tab. 7. fig. 4. 5.

CCCX. Coccyx hominis adulti. Tria oſſicula inferiora conferbuerunt.

CCCXI. Thorax oſſeus, praeter ſternum, hominis adulti. Oſſa ligamentis ſuis ſiccatis cohaerent. Poſitus naturali ſimilis.

CCCXII. Oſſicula ſterni embryonum & infantum. Icon. oſſium foetus tab. 9. fig. 64. pag. 75. Uni cohaerent coſtae aliquot.

CCCXIII. Sternum adultioris. Icon. oſſium foetus pag. 93. §. 11.

CCCXIV. Sternum hominis adultioris, conſtans ex oſſibus duobus; primo inter coſtas primas & ſecundas, altero inter ſecundas & ſeptimas. Icon. oſſium foetus pag. 94. §. 1.

CCCXV. Simile, ac CCCXIV. Sed os ſecundum, ubi cartilagines coſtarum quartarum pertinent, a priore parte ſeparatum a proximo ſuperiore.

CCCXVI. Sternum ſenis, ubi oſſicula omnia continuata inter ſe.

CCCXVII. Aliud ſimile, ac CCCXIII. Sed adultioris.

CCCXVIII. Oſſa coxarum infantum. Icon. oſſium foetus tab. 9. fig. 67. pag. 97.

CCCXIX. Feminae adultae coxarum oſſa duo, ſcapulae duae, ſacrum, vertebrae colli ſuperiores ſex, claviculae duae, ſternum, coſtae quatuor & viginti.

CCCXX. Oſſa pubis viri, quae ſoluta; feminae, quae cohaerent.

CCCXXI. Hominis adulti tarſus, metatarſus, digiti.

CCCXXII. Hominis adulti oſſa tarſi utriusque pedis.

CCCXXIII. Adulti tarſi oſſa.
CCCXXIV. Digiti pedis hominis adulti.
CCCXXV. Seſamoidea pedis, manusque hominis adulti.
CCCXXVI. Adulti oſſa duo pollicis pedis cum ſeſamoideis adnexis.
CCCXXVII. Scapula junioris. Icon. oſſium foetus pag. 127.
CCCXXVIII. Embryonis nuper nati manus & pes, conſtantes ex oſſibus metacarpi, metatarſi, & digitorum.
CCCXXIX. Hominis adulti digiti, metacarpus, carpus, extremaque ulna & radius.
CCCXXX. CCCXXXI. CCCXXXII. Hominis adulti carpus, metacarpus, digiti.
CCCXXXIII. CCCXXXIV. CCCXXXV. Hominis adulti carpus & metacarpus.
CCCXXXVI. Adulti metacarpus & digiti, epiphyſibus ſolutis.
CCCXXXVII. Adulti metacarpi manus quatuor cum epiphyſibus inferioribus.
CCCXXXVIII. Adulti hominis carpus.
CCCXXXIX. Metacarpus & digiti hominis adulti.
CCCXL. Hominis adulti digiti manus, pollicisque.
CCCXLI. Hominis adulti digiti & pollex manus.
CCCXLII. Seſamoidea manus hominis adulti. Hiſtor. muſculorum fig. 1. 2. 3.
CCCXLIII. Tibia, fibula, radius hominis adulti cum epiphyſibus ſolutis. Cruſta externa ex parte detracta, apparet interior. Epiphyſis ulnae inferior.
CCCXLIV. Embryonum imperfectiorum, perfectiorum, infantum, & adultiorum, aetatis variae, oſſa per longitudinem fiſſa & diſſecta, ut conſtructio interior appareat.
CCCXLV. Embryonum humanorum diverſorum officula varia.

Praeternaturalia.

CCCXLVI. Inteſtini ilium portio cum meſenterio, in quo calculi.
CCCXLVII. Pars cranii adulti, in qua dentes inter naſum & orbes oculorum, in radicibus proceſſuum, quibus oſſa maxillaria ad naſum eminentem pertinent. Longi ſunt, craſſitudinis inſignis, ſimiles maxime caninis, aderant tamen praeterea canini, praeter conſuetudinem parvi & breves, ſuis infixi alveolis, ſic ut videantur eſſe canini novi, qui non eruperint, ut pote ibi loci collocati, ubi ſunt novi illi in infantibus, ſed ſurſum directi, a poſteriore gibbi, ab anteriore ſinuati. Incluſi in dictis proceſſibus, ſic ut nulla quidem parte prodierint, ex parte tamen ſint conſpicui in gena, ubi nonnihil patent cava, quibus continentur, eo quod os extenuatum deficit, & veluti ab erupturo dente abſumtum eſt. Proceſſus, qua parte dentes continent, ob craſſitudinem eorum tument, tum extrinſecus ſub orbibus oculorum, tum intus in naſo. Annot. Acad. Lib. 1. cap. 13. tab. 4. fig. 1.

CCCXLVIII.

CCCXLVIII. Dens in palato, retrorſum vergens. Annot. Acad. Lib. 1. tab. 4. fig. 3.

CCCXLIX. Cartilaginis thyreoideae partes oſſeae.

CCCL. Hominis adulti vertebrae inferiores duae, quae inter ſe & cum coſta ex parte coaluerunt.

CCCLI. Hominis adulti vertebra dorſi ima cum duabus ſuperioribus lumborum, coſtaque ima concreta. Corpus imae dorſi ſua ſuperiore parte antrorſum inclinatum, ſic ima reddita parte priore, ea cum anteriore parte corporis lumborum quartae connatum, ex quo corpus lumborum ſummae cunei ſpecie compreſſum, interſertum corporibus illis, ſpinaque plane curvata, corpore imo dorſi, reliquaque parte ejus antrorſum procedente.

CCCLII. Os ſacrum hominis adulti conſtans ex vertebris ſex, ubi ſuperior ſupernumeraria. Annot. Acad. Lib. 4. tab. 7. fig. 4.

CCCLIII. Coſta embryonis, externa parte bifida. Annot. Acad. Lib. 2. tab. 7. fig. 8.

CCCLIV. Hominis adulti coſtae dextrae mediae quatuor, circa longitudinem ſuam mediam concretae inter ſe, effuſa materie oſſea; in qua inter ſuperiores duas foramina duo.

CCCLV. Hominis adulti ſternum carie exeſum.

CCCLVI. Coxae duae hominis adulti cum femore ſiniſtro. Coxa ſiniſtra ſana eſt; dextra morboſa. Femur luxatum fuerat diu, capite ſurſum retrorſumque promoto. Os coxae exilius totum, quam ſiniſtrum. Iſchion praeſertim depravatum. Acetabulum inter partem priorem & poſteriorem imprimis contractum, quaſi ovatum, depravatum. Supra illud iſchion, proximumque ilium, admodum inaequabilia, in quam partem caput femoris innitebatur. Femur brevius, multoque exilius, quam ſiniſtrum. Epiphyſis capitis ſuperioris continuata ut adulto. Caput parvum, & qua parte innitebatur, depreſſum & inaequabile. Annot. Acad. Lib. 5. tab. 2.

CCCLVII. Os femoris hominis adulti fractum, rurſusque ferruminatum, fiſſum per longitudinem usque ad locum ferruminatum. Fiſſa quoque pars inferior; ubi intus veſtigium epiphyſis, cujus extus nihil conſpicitur, quia annoſi eſt.

CCCLVIII. Femora, tibiae, fibulae, humeri, radii, ulnae, claviculae hominis adulti, ſpina ventoſa affecta.

CCCLIX. Scapula hominis adultioris, cujus proceſſus coracoidei radix cum proxima cervice exeſa per paedarthrocacem.

CCCLX. Hominis adulti ulna, radius, imaque pars oſſis humeri, oſſiculaque inventa juxta articulum humeri cum radio.

CCCLXI. Os ultimum pollicis pedis hominis adulti, in quo exoſtoſis notabilis.

CCCLXII. Calculi veſicae felleae hominis.

CCCLXIII. Calculi reperti in canalibus choledochis vetulae. Annot. Acad. Lib. 3. tab. 7. fig. 1. 2.

CCCLXIV. Calculus in pelvi renis natus.

CCCLXV. Similis, oſtendens pelvem, ramosque ejus, ac pelvem in uretérem exeuntem.

CCCLXVI. Calculus renis, inter mingendum excretus.

CCCLXVII. Forma calculi ex gypſo confecti, reperti in rene altero; pelvem ramosque ejus refert, cum principio ureteris, ſed dilatato. In altero rene reperti calculi minores duo, quorum formae quoque adſunt. Non obſervaverant ſymptomata calculo rerum laborantium.

CCCLXVIII. Calculi humani ſectione ex veſica hominis vivi exemti, aliique varii. Annot. Acad. Lib. 3. tab. 7. fig. 3.–10.

CCCLXIX. Calculus exemtus ex carne cruris hominis podagrici.

Praecipua ex his praeternaturalibus in Sectione IV. & VI. hujus Muſei etiam deſcribuntur.

Ex brutis deprompta.

CCCLXX. Vas chyliferum animalis majoris. Jugularis internae & ſubclaviae portio infra valvulas diſterminantes reſecta.

CCCLXXI. Vituli nuper nati portio inteſtini tenuis a meſenterio reſciſſa, impletis arteriis. Ex arteriis paſſim exſudavit liquoris rubri pars albicans tenuior, circum vaſa rubra concreta.

CCCLXXII. Similis ac CCCLXXI. portio inteſtini ilium vituli nuper nati. Venae impletae ſunt. In parte, quae oppoſita eſt illi, ad quam meſenterium adhaeret, lata ſeries corpuſculorum rotundorum, quas glandulas vocant.

CCCLXXIII. Lien ovis elotus. Ab altera parte detracta tunica externa, apparent cellulae. Poſt elotionem leniter impleta arteria, cujus extremi rami, non impleti, manifeſte fibras efficiunt, inter quas cellulae contineantur.

CCCLXXIV. Lien ſimilis, ac CCCLXXIII. Sed ab utraque parte membrana exterior detracta. Arteriae truncus leviter impletus. Intra venae truncum, per longitudinem inciſum, arteriae impletae truncus eminet, quod per exſiccationem factum eſt. In trunco venae inflato oſtia magna, parva, in cellulas veluti patentia, quae ſunt ramorum, eluendo abruptorum. Cellularum fila ſunt vaſa non impleta. Ipſae cellulae fiunt ex eo, quod pulpa, quae eſt inter vaſa majora, eluendo ſoluta & excuſſa eſt.

CCCLXXV. Latus interius naſi vituli nuper nati cum veſtiente cute narium impletis arteriis.

CCCLXXVI. Simile, ac CCCLXXV. ſed ovis.

CCCLXXVII. Septum naſi ovis, conſtans ex vomere & parte cartilaginea, quae ab utraque parte veſtita ſunt cute interiore narium. Per eamque cutem vaſa impleta ſingulari modo decurrunt. Impletae arteriae.

CCCLXXVIII. Vituli membrana tympani cum malleo a parte tympani.

CCCLXXIX. Balaenae, quae vocantur, oſſa auditus duo.

CCCLXXX.

CCCLXXX. Sceletus canis.
CCCLXXXI. Sceletus cercopitheci.
CCCLXXXII. Sceletus pſittaci.
CCCLXXXIII. CCCLXXXIV. Duo capita oſſea felis.
CCCLXXXV. CCCLXXXVI. CCCLXXXVII. CCCLXXXVIII. CCCLXXXIX.
CCCXC. Sex capita oſſea canum.
CCCXCI. Caput oſſeum cuniculi.
CCCXCII. Caput oſſeum ſimiae.
CCCXCIII. Caput oſſeum arietis. Cornu dextri pars exterior, quae cornea, detrahi poteſt. Qua detracta, pars oſſea interior, de cranio naſcens, implens fere dimidiam partem longitudinis cornu, quod inde concretum. Pars interior cornu tota poroſa extrinſecus.
CCCXCIV. Caput oſſeum caſtoris.
CCCXCV. Cornu rhinocerotis.
CCCXCVI. Dens vituli junioris, impleta materie molli interiore & exſiccata, in qua vaſa.
CCCXCVII. Pili ex barba phocae. Annot. Acad. Lib. 3. tab. 6. fig. 6.
CCCXCVIII. Felis modo nata, cum capitibus duobus, in ſceletum redacta.
CCCXCIX. Sceletus felis, ut videtur, ſed foetus junioris. Proprie duo feles conjunctis corporibus, capite uno. Spinae duae. Thorax communis unus. Coſtae priores, ab utriusque ſpina procedentes, in ſternum unum conveniunt, ſic & coſtae poſteriores, ab utriusque ſpina procedentes, conveniunt in ſternum alterum; ex quo thorax amplus, communis. Extrema octo, ut in aliis duobus.
CCCC. Ovum gallinae, quod extremo acutiore exit in canalem ſenſim anguſtiorem, extremo clauſum.

Ab aliis praeparata.

CCCCI. Portio cuticulae, cujus vaſa impleta ſunt.
CCCCII. Portio cutis, ut videtur, elephantis. Cuticula retracta, eminentiarum plena. In cuticulae parte interiore vaginulae aliae juxta alias, quibus inhaeſerant eminentiae cutis. Ea pars reſpondet reticulo. Extrinſecus detracta quoque portio cuticulae, in qua vaginulae ſimiles, ſed breviores & ampliores. Eſt a Rauio.
CCCCIII. Mumiae pes dexter ex Aegypto.
CCCCIV. Portio cordis hominis adulti, impletis arteriis. a Ruiſchio.
CCCCV. Similis Ruiſchii, ac LXXIX.
CCCCVI. Portio inteſtini a Ruiſchio impleta, & vernice obducta.
CCCCVII. Portio inteſtini cum portione meſenterii, vaſis nonnullis mercurio impletis. Nuckii ut videtur.
CCCCVIII. Portio inteſtini, cujus vaſa lactea impleta mercurio. A Nuckio, aut Swammerdammio, ut videtur.

CCCCIX. Lingua, cujus arteriae, quae ſubtus decurrunt, impletae mercurio. Videtur a Nuckio.

CCCCX. Portio membranae internae uteri impletae.

CCCCXI. Sceletus hominis adulti. a Rauio.

CCCCXII. Hominis adulti ſceletus. a Rauio.

CCCCXIII. Caput oſſeum Tartari ex Caſan.

CCCCXIV. Caput Ruſſi.

CCCCXV. Caput Kalmukki.

CCCCXVI. Caput Sueci. Tria capita CCCCXIII. CCCCXIV. CCCCXVI. a profligatis abſciſſa poſt praelium juxta Wilmanſtad inter Ruſſos & Suecos, poſt Petropoli purgata, & cum capite Kalmukki CCCCXV. miſſa.

Vegetabilia.

CCCCXVII. Sceletus folii arboris.

CCCCXVIII. Sceletus fructus Daturae vulgaris. Annot. Acad. Lib. 3. tab. 3. fig. 2. 3.

III

SUPELLEX

ANATOMICA

DOEVERENIANA.

LIBRARY

SUPELLEX ANATOMICA DOEVERENIANA.

MEMORIA

VIRI CLARISSIMI

GUALTHERI VAN DOEVEREN.

Eorum, qui noſtris in Athenis Anatomen tradiderunt, & Theatro Anatomico praefuerunt, vitas atque merita, in Introductione hujus Operis, breviter deſcripſi. Hos inter memorandus non fuit Clariſſimus Doeverenus, quippe qui, olim in Academia Groningana Medicinae, Anatomes, Chirurgiae, & Artis obſtetriciae, dein Medicinae Practicae Profeſſor, in hanc vocatus eſt, ut praxin clinicam traderet. Quum vero ejus Supellectilem Anatomicam, non uno nomine notabilem, coëmerint Illuſtriſſimi Academiae Curatores, ejus deſcriptioni, huic loco inſerendae, vitam viri, de re medica optime meriti, praemittere, non inutile judicavi.

GUALTHERUS VAN DOEVEREN natus eſt die 16. Menſis Novembris anni 1730. Philippinae, qui locus eſt Flandriae Belgicae, natura & opere munitus. Patrem habuit Antonium, qui publica autoritate aggeribus, aliisque operibus, quae a vi aquae marinae, Schaldisque fluvii Flandriam Belgicam defendunt, inſpiciendis, curandisque, Directoris titulo, erat praefectus, ſuamque induſtriam in obeundo difficili hoc munere luculenter probavit; Matrem honeſtiſſimam feminam Petronellam de Haas. In

In puero facile ſe prodebant vividum ingenium, promta intelligendi vis, acre pro aetate judicium, & ad doctrinas combibendas ardor. Quum itaque ſtudiorum prima tyrocinia Goeſae in Zelandia poſuiſſet, medio anno 1747. ſe ad Academiam Lugduno-Batavam contulit, ſeſe doctrinis & artibus medicis totum dicaturus. Muſarum hoc ſacrarium tum ornabant & illuſtrabant inſignes Medici Bernardus Siegfriedus Albinus, Adrianus van Royen, Hieronymus David Gaubius, Fredericus Winter, & Fredericus Bernardus Albinus, item Philoſophus celeberrimus Petrus van Muſſchenbroek. Hos omnes non tantum praeceptores, ſed & fautores eximios habuit, eorumque inſtitutionibus ſumma diligentia & nunquam remiſſa cura uſus fuit. Ab his igitur viris eximiis, Matheſin, Phyſicam, Anatomiam, Chirurgiam, reliquasque omnes artis ſalutaris partes edoctus, quinquennio Leidae peracto, in candidatorum medicinae numerum adſcriptus fuit. Nec tamen Doctoris gradum ante ambiit, quam etiam exterorum eruditorum luminibus ſuam auxiſſet, ornaſſetque cognitionem. Quo conſilio anno 1752. Lutetiam Pariſiorum ſe contulit. In hac urbe non tantum cum viris celeberrimis, Reaumurio, Juſſiaeo, ac Nolleto, notitiam contraxit, ſed etiam clariores medicos, Aſtrucium, Ferreinium, Petitum, aliosque aſſidue frequentavit. Ad chirurgicam artem tamen maxime ſe illic applicuit, & expertiſſimorum virorum Morand, de la Faye, Guarengeot, Louis & Andouille praecepta, frequentiſſima in Noſocomiis praxi confirmata, cognoſcenda aeſtimavit. Praecipuam vero curam in id intendit, ut artem obſtetriciam penitus addiſceret; quo in genere Viros Clar. Puzos & Levret praeceptores elegit, quorum non ſolum quotidiana inſtitutione, ſed & ipſius Levreti manuductione ac praxi continua, intelligentiam acquiſitam firmavit.

In Patriam redux, doctrinae copia locupletatus, Lugduni-Batavorum die 19. Octobris anni 1753., conſcripta a ſe, & publice defenſa Diſſertatione *de vermibus inteſtinalibus hominum*, additis theſibus obſtetriciis & chirurgicis, gradum Doctoris medicinae cum omnium applauſu conſecutus eſt; quae diſſertatio ſe peritis tantopere probavit, ut ab exteris ſtudioſe ſit conquiſita, & in linguas, Gallicam & Germanicam, converſa. Creſcebat jam ita Doevereni fama, ut proceribus egregius juvenis, a viris callentiſſimis, commendaretur. Quum itaque Cathedra medica, demortuo Jacobo Henrico Croeſer, Viro Clariſſimo, in Academia Groningana vacaret, ſub auſpiciis Sereniſſimae Principis Regiae ANNAE, quae tum tutorio Filii minorennis nomine ad Reipublicae Belgicae gubernacula ſedebat, ab ampliſſimis illius Academiae Curatoribus die 18. Martii 1754. ad Profeſſionem Medicinae, Anatomiae, Chirurgiae & Artis obſtetriciae ordinariam eſt vocatus, una cum Tiberio Lambergen, V. Cl., cui Medicinae, Botanices, Chemiae & Praxeos docendae partes ſunt demandatae. Hoc munus graviſſimum, praeſertim ſi juvenilem, nondum viginti quatuor annorum, aetatem ſpectes, alacris tamen ſuſcepit, habita die 11. Junii ejusdem anni Oratione aditiali *de imprudenti ratiocinio ex obſervationibus & experimentis medicis*; idque munus cum uberrimo diſcipulorum fructu, probantibus bonis omnibus, pari diligentia & ingenio, per ſeptendecim annos ornavit; & ab anno

anno 1754. usque ad 1763. theoreticas medicinae partes, Anatomen, Chirurgiam, artem obstetriciam docuit; deinceps vero ab anno 1763. usque ad 1771. mutatis, post mortem Clar. Lambergen, partibus, relicta Anatomia atque Chirurgia, praxin tradidit Clinicam, Chemiam, Physiologiam, Pathologiam, atque artem obstetriciam, simul praxin medicam felicissime exercens. Bis hujus Academiae Rector fuit; annuumque hunc honorem prima vice posuit die 3. Sept. 1762. publico Sermone, *de erroribus medicorum, sua utilitate non carentibus.* Altero magistratu se abdicavit die 3. Sept. 1770., quum pro concione dixisset, *de sanitatis Groninganorum praesidiis, ex urbis naturali historia derivandis.* Omnes hae orationes lucem adspiciunt; posterior ex decreto Senatus urbani, qui singularis plane honor est, fuit edita. Hic etenim Nostrum magni aestimabat, ejusque autoritas tantum valuerat apud illos, quibus publica cura fuit demandata, ut suasore ac monitore Doevereno, jam anno 1765. legem sanciverint, ne gravida, septimo graviditatis mense, exacto, emortua, sine previa foetus exsectione, sepeliretur; quum & sana theoria & ipsa etiam experientia comprobaret, vitalem foetum in materno utero tumulum saepe invenire, omisso hoc tentamine artificiali.

Interea majoris moliminis opus, fructum assiduorum laborum, cum doctis communicavit; *Specimen observationum Academicarum, ad monstrorum historiam, anatomen, pathologiam, & artem obstetriciam praecipue spectantium;* qui liber typis expressus est Groningae & Lugduni-Batavorum anno 1765. in 4°. maj. In hoc opere, praeter multa alia, experimenta de irritabilitate ac sentiendi facultate, quae olim, Palladis Leidensis adhuc alumnus, in partibus animalibus, ceperat, novis, iisque repetitis tentaminibus aucta proposuit, iisque non solum aliorum confirmavit inventa, sed & nonnullorum errores correxit, physiologiae, pathologiae, ac praxi applicuit; praesertim in lectionibus, quas postea in nostra Academia habuit de principio vitali, sano, & morboso, de inflammatione, febriumque theoria principio vitali morboso superstructa. Per idem fere tempus ipsi ab Illustrissimis Ordinibus delatum est Physici totius Ditionis munus, quod ad Medicinam spectat forensem.

Etsi prophylaxis insitiva variolarum, etiam in his regionibus, a viris prudentissimis saepius esset commendata, rarus tamen ejus usus erat, donec anno 1768. Groningae multi, ex omni ordine, homines ad eam in liberis suis adhibendam, certatim consentirent; qua in re plurimi Doevereni consilio & opera utebantur. Hinc nata est Ipsius Epistola, ad me data, *de felici successu insitionis variolarum Groningae institutae*, vernaculo sermone anno 1770. edita, & Bibliothecae meae Vol. VII. pag. 170. seq. inserta. Eam methodum strenue defendit, & mox Lugduni-Batavorum, quo sedem fortunarum transtulerat, feliciſſime in multis primae conditionis infantibus adhibuit; etiam in Sereniſſimis Celſiſſimi Principis Arauſionensis, Belgii Gubernatoris Hereditarii, Filia, Filiisque.

Mortuo enim Bernardo Siegfriedo Albino, graviſſimum, quod Academiae inflictum erat, vulnus ſanare omni ſtudio conati ſunt Illuſtriſſimi Academiae Curatores & Nobiliſſimi Urbis Conſules, ac, cathedram vacantem defuncti Fratri, qui adhuc Ana-

Anatomen & Chirurgiam omnium applauſu docuerat, demonſtraverat, Frederico Bernardo Albino, conferentes, me vero Hagâ Comitum, ubi Poliatri munere functus eram, in locum Albini Junioris, evocantes, exiſtimarunt, tum demum ſalutaris artis doctrinae egregie ſeſe conſulturos, ſi, ſeneſcente Celeberrimo Adriano van Royen, & vacante adhucdum cathedra, quam occupaverat Vir Clariſſimus Fridericus Winter, Virum Celeberrimum eligerent, qui Praxin clinicam traderet, cumque neminem huic provinciae aptiorem judicarent, quam Doeverenum noſtrum, eum Viris doctiſſimis, qui antea Praeceptores ipſius fuerant, collegam adjunxerunt. Sic Medicinae Profeſſionem ordinariam auſpicatus eſt die 6. Maji 1771. ſolemni Oratione *de recentiorum inventis medicinam hodiernam veteri praeſtantiorem reddentibus*, quae typis expreſſa intelligentibus multum placuit. Non tamen conſultum duxit publice edere, elegantem caeteroquin ſermonem Academicum *de remedio morbo*, ſive *de malis, quae hominibus a remediis, ſanandi cauſa adhibitis, ſaepe numero accidere ſolent*, quo ſe die 8. Februarii 1779. munere Rectoris Academiae Lugduno-Batavae abdicavit. Quum autem in hac Academia praeter praxin, etiam magis peculiariter illos morbos, qui muliebrem ſexum afficiunt, ſtudioſis explicaret, brevem libellum, quo viam ad has exercitationes aperiret, conſcripſit: quae *primae lineae de cognoſcendis & curandis mulierum morbis*, editae ſunt Lugduni-Batavorum 1775. in 8°.

Jam 21. Febr. 1772. a Magiſtratu Urbano Praeſes Collegii Chirurgici, nec non collegii ad res obſtetricias conſtitutus eſt, quod praeſidium tunc temporis ſponte depoſuerat Clar. Albinus. Doctrinae autem & felicis praxeos fama Celſiſſimum Principem Arauſionenſem, Foederati Belgii Gubernatorem Hereditarium, impulit, ut ſuam, Regiae uxoris, Sereniſſimorumque liberorum, ſanitatem curandam Doevereno, mortuo Gaubio, committeret, & Virum Clariſſimum primum Medicum eligeret, quod honorificum munus ipſi, qui titudo Medici Conſiliarii jam gaudebat, a Praepotentibus Foederati Belgii Ordinibus demandatum eſt die 19. Aprilis 1781.

Eruditae Societates, quae ſalutarem ſcientiam, & hiſtoriae naturalis peritiam, per Europam promovent, celeberrimum virum, cujus fama in dies latius diffundebatur, Socium ſibi adſciverunt. Societas Batava ſcientiarum Harlemenſis die 16. Aprilis 1766., cujus Actorum Tomum XII. ornavit diatriba vernacula *de veris variolis plus ſemel aliquando eundem hominem corripientibus*. Academia Caeſarea Naturae Curioſorum die 15. Sept. 1766. Societas Batava Philoſophiae experimentalis Roterodamenſis, die 11. Junii 1771., cujus Actorum primo volumini inſeruit vernaculam exercitationem *de nova methodo paracentheſin veſicae inſtituendi*. Societas Zelanda ſcientiarum Vliſſingenſis die 7. Sept. 1773. Societas, ad excolendam agriculturam inſtituta, Amſtelodamenſis die 26. Martii 1777. Societas medica Regia Pariſienſis die 14. Aug. 1777. Societas artium & ſcientiarum Provincialis Ultrajectina die 13. Nov. 1779. ac denique Societas medica Edinburgena die 13. Aprilis 1780.

Quum autem impiger & ſtrenuus eſſet in labore, etiam cum plurimis eruditis commer-

mercium coluit literarium, quo ſaepius ipſius conſilia in difficilioribus praxeos medicae caſibus ſunt expetita, & promte exhibita. Reliquit autem plurima ſcripta, per aſſiduas occupationes affecta magis, quam perfecta: quare quidquam ex illis poſt mortem edi vetuit, niſi forte excipiantur repetitae ἐκδόσεις diſſertationis de vermibus inteſtinorum, & obſervationum Academicarum; ſi quando Filius medicus, Poliater Leidenſis (nam illi ſoli id permiſſum eſt) eos libros ex ſcriniis paternis emendare, augere, ornare voluerit. Collegerat etiam non ad oſtentationem, ſed ad uſum, magna cum cura, inſignem Bibliothecam, nec minus, ut erat Hiſtoriae Naturalis amantiſſimus, egregiam ſyllogen rerum naturalium, maxime quae ad Regnum Foſſile pertinent, quae poſterior accurate a Viro Clariſſimo, Doevereni collega & amico, Dionyſio van de Wynperſſen, Philoſophiae Doctore & Profeſſore, deſcripta eſt, adjutore viro Clar. Sebaldo Juſtino Brugmans, qui tum hac in Academia Studio Medico & Naturali operam navabat, dein Philoſophiam Franequerae docuit, jam vero huic noſtrae Academiae ab aliquot annis adſcriptus eſt. Uterque hic theſaurus ad emolumentum filiorum Defuncti orphanorum publica auctione eſt diſtractus. Felicius vero actum eſt de alio gazophylacio, quod Doeverenus reliquit; praeclaram intellige ſupellectilem Anatomicam, quam ad ſuos ſtudioſorumque juvenum uſus maximam partem ipſe praeparaverat: hunc enim theſaurum, memoriam Clariſſimi defuncti honorantes, bono publico integrum comparaverunt, Illuſtres & Ampliſſimi Academiae Lugduno-Batavae Curatores, Urbisque Leidenſis Conſules, & Theatro Anatomico dicarunt.

Vidimus vitam Viri Clariſſimi publicam, ſupereſt, ut de privata aliquid addamus. Uxorem duxit medio anno labentis ſeculi quinquageſimo octavo virginem, omnibus ſexus ſui dotibus conſpicuam, Alettam Everhardinam, Viri Celeberrimi Jacobi Eck, Jurisprudentiae Profeſſoris Groningani meritiſſimi, filiam, natu minorem; quacum pia & dulciſſima uxore, ſumma animorum concordia, vixit, usque ad medium annum ſeptuageſimum ſeptimum, quo anno flebile Viduo ſui deſiderium reliquit. Ex hac uxore plures utriusque ſexus ſuſcepit liberos, quorum aliqui in tenella aetate diem obierunt. Tres filii ſuperſunt, quorum natu major, Antonius Jacobus, Medicinae Doctor & Poliater Leidenſis, praxin feliciſſime exercet; minorum alter Cornelius Emilius Juris utriusque Doctor eſt, alter Johannes Arnoldus in medico ſtudio ſtrenue verſatur.

Indolem animique dotes, qui familiaritate Viri Clariſſimi uſi ſunt, laudarunt omnes. Docendi methodum Diſcipuli, quorum aliqui jam cathedras Academicas ornant, multi Praeceptoris inſtitutionem felici cum ſucceſſu in praxi medica ſequuntur, laudibus ferunt. Praxeos rationem & illi ipſi, & multi alii, ipſius cura ſanitati reſtituti, uno ore celebrant. Corporis habitum & idioſyncraſiam deſcribere inutile. Anno fere 1758. dolores podagricos ſentire coepit; quod malum, ſubinde recurrens, Virum optimum deinceps per omnem vitam miſere cruciavit, aliisque morbis obnoxium reddidit. Ultimis anni 1783. menſibus cum valetudine vehementius eſt luctatus, interim docendi munus & aegrotorum curam pro viribus diligenter obiens,

obiens. Die autem 30. Decembris, poſtquam & domi & foris apud laborantium morbis lectos ſua conſilia dediſſet, veſpera hilarior, quam per aliquot hebdomades fuerat, cum filiis ſuis coenaſſet, & prima nocte aliquid ſomni cepiſſet, hora fere ſecunda denuo pectoris anxietate aliisque ſymptomatibus correptus eſt, adeo vehementibus, ut malo ſuccubuerit, & immortalem animam Deo reddiderit, hora circiter octava matutina, die ultimo anni 1783., poſtquam vixiſſet annos quinquaginta tres, menſem unum, dies ſexdecim.

PARS PRIMA.

Praeparata Anatomica, phialis in liquore limpido contenta.

Partes generaliores.

N°. I. Oſſa varia, ſcapulae, coxae, claviculae, femur, humeri, ex infante recens nato.

II. Vertebrae decem ejusdem ſuperiores, egregie depuratae, cohaerentes.

III. Os ſacrum & coccygis recens nati. Alterius recens nati os ſacrum cum coccyge, dempta omni parte oſſea, in ſceleton cartilagineum mutatum.

IV. Utrumque os Femoris ex infante duorum circiter annorum.

V. Spina dorſi cum ſacro & coccyge, integra, optime depurata, ex foetu ſex menſium.

VI. Spina dorſi tota, integerrima, rite depurata cum oſſe ſacro & coccyge, ex infante recens nato.

VII. Pelvis oſſea cum vertebris lumborum quinque ex infante recens nato.

VIII. Coſta ſiniſtra octava vetulae, quae in medio habet articulationem mobilem. Coſta haec cum ſocia ſua ſeptima & ſexta, nec non cum ſexta dextra, in media fere oſſea parte oſtendit ſingularem articulationem, quae ſingulis earum recentibus inſignem ſuppeditabat mobilitatem. Utraque pars oſſea earum coſtarum, denticulis, & ſinuoſitatibus gaudebat, quibus reſpondebant margines cartilaginis interjectae, eundem ferme in modum, quem in oſſium pubis conjunctione videmus, niſi quod denticuli parum longiores & acutiores eſſent. Cartilago iis interpoſita, unam circiter lineam craſſa, in cava hujus coſtae parte aliquantum prominet; hanc, ſimul & coſtae margines, cartilaginem tangentes, inveſtit capſula membranoſa, totum articulum circumdans, ſed huic coſtae non laxe adhaerens, verum perioſteo continuata. Conf. Cl. van Doeveren Obſervat. Acad. Cap. 13. pag. 204. tab. 7. fig. 4.

IX.

IX. Duo oſſa ſterni ex infantibus recens natis, quorum alterum annexas habet coſtarum cartilagines.

X. Coſta quarta vera dextra cum extremo oſſeo duplici & cartilagine bifida in principio.

XI. Coxendicis os atque omnia totius artus inferioris ſiniſtri oſſa, ejusdem foetus; ac N. V., nitide depurata, niſi quatenus ligamentis cohaerent naturalibus.

XII. Muſculus deltoides impletus, inque faſciculos muſculoſos & fibras ſuas diſcerptus.

XIII. Brachium infantis integrum, cujus oſſa impleta, & muſculi praeparati.

XIV. Crus cum pede extremo ſimiliter praeparatum.

XV. Tendo muſculi in plurimas fibrillas ſolutus.

XVI. Portio arteriae aörtae humanae, cujus ſingulae membranae ſunt diſtincte ſeparatae. Adjectum eſt ejusdem arteriae ſegmentum, a quo detracta dependet tunica interna.

XVII. Patellae infantis recenter nati cum glandulis Haverſianis articuli genu impletis.

Cerebrum, Partes Capitis externae, Senſuum organa.

XVIII. Inſignis cerebri portio cum pia matre. Vaſa impleta. Rubet inde corticalis ſubſtantiae pars.

XIX. Portio cerebri humani cum pia matre, cujus vaſa intime impleta, ut totus etiam cortex rubeat. Proceſſus piae matris egregie apparent, ut & tomentoſa interna ſuperficies.

XX. Portio cerebelli mulieris provectae aetatis, cujus arteriae optime impletae.

XXI. Portiones piae matris, vaſis impletis ſcatentes.

XXII. Ramus arterioſus inſignis piae matris, diſſolutus in ſubtiliſſima vaſcula.

XXIII. Haemisphaerium dextrum cerebri infantis anni circiter & dimidii, cujus vaſa egregie impleta.

XXIV. Ejusdem infantis totum cerebellum cum medulla oblongata, nervorum originibus, arachnoidea. Vaſa impleta ſunt.

XXV. Portio piae matris ex eodem infante, dependens ab inſigni ramo arterioſo.

XXVI. Portio cerebri. Impleta vaſa. Adjecta eſt vipera parva.

XXVII. Dimidia pars haemisphaerii alterius, ejusdem infantis ac XXIII., cujus vaſa pulchre impleta.

XXVIII. Ejusdem haemisphaerii altera portio. In parte inferiore lagenae conſpicitur portio cerebri feminae ſuſpenſae fatuae, a quo ſponte ſecedebat pia mater.

XXIX. Medulla ſpinalis, cum involucris ſuis tribus. Vaſa impleta. Conſpiciuntur origines nervorum. Ex eodem infante, ac XXIV.

XXX. Pars inferior medullae ſpinalis ex homine adulto, in qua reſidua pars durae matris, arachnoidea tunica, & habitus caudae equinae optime conſpiciuntur.

XXXI. Cauda equina adulti in innumera filamenta nervoſa diſſoluta.

XXXII. Tota medulla ſpinalis, expanſa dura meninge, egregie conſpicua, in qua vaſa impleta, nervorum origines, arachnoidea, cauda equina, triginta nervorum paria, aliaque pulcherrime apparent. Ex infante. Portio baſis cranii eſt relicta cum medulla oblongata, & nervis inde prodeuntibus, vaſis. &c.

XXXIII. Faciei pars inferior, labiis pulchre impletis, genis optime rubentibus, vitae ſpeciem exhibens.

XXXIV. Naſus cum labio ſuperiore, nec non auricula dextra ex alio infante, itidem impleta.

XXXV. Naſus & labium ſuperius ex alio recens nato, in quo folliculorum oſcula ſmegma album eructant.

XXXVI. Auricula dextra cum portione vicinae cutis, impletione rubens, ex infante circiter trimeſtri.

XXXVII. Dextra pars maxillae ſuperioris ex infante unius circiter anni, in qua optime rubet impleta membrana Schneideriana.

XXXVIII. Lingua viri permagna, penitus impleta, & rubra. Conſpiciuntur papillae diverſae, orificia folliculorum. Adhaeret os hyoides, larynx; principium oeſophagi.

XXXIX. Lingua hominis adulti, vaſis impletis, papillae turgent. Epiglottis, Tonſillae apparent, & transverſim ſectus larynx.

XL. Lingua infantis ſesquiannum nati cum larynge, oeſophagi principio, glandulis ſalivalibus, papillis, orificiis folliculorum, ante epiglottidem conſpiciendis.

XLI. Lingua junioris infantis, cujus vaſa impleta, cum velo palatino, larynge, glottidis apertura.

XLII. Lingua infantis circiter trimeſtris, cum larynge, penitus impleta, dependens ex aſpera arteria, aperto & expanſo pharynge.

XLIII. Lingua, impletione rubens, cum larynge, pharynge, velo palatino, ex foetu juniore.

XLIV. Oculus Balaenae, horizontali ſectione ita diviſus, ut unum haemiſphaerium utrimque dependeat. Apparent membranae. Vaſa ſunt cera impletae.

XLV. Oculus balaenae, verticali ſectione bifariam diviſus. Uvea membrana, Corpus ciliare, Retinae terminus anterior, pulchre apparent.

XLVI. Duo balaenae oculi integri; in quibus nervi optici acceſſus ad globum notabilis, ut & nigredo tunicae adnatae cernuntur.

XLVII. Oculus balaenae verticaliter diſſectus. Haemisphaerium poſterius exhibet ingreſſum nervi optici: anterius ſegmentum, praeter inſignem ſcleroticae craſſitiem, etiam corpus ciliare, imprimis conſpicuum propter egregie apparentes fibras orbiculares, pupillam cingentes, poſt deraſum pigmentum atrum.

XLVIII. Segmentum anterius oculi Balaenae verticaliter ſecti, in quo, praeter

ſcle-

ſcleroticae craſſitiem, pulchre apparet corpus ciliare, plicas circiter centum non fibroſas exhibens. Uvea anterius patet, reſecta cornea. Poſterius in uno latere uveae reſiduum eſt pigmentum atrum; in altero latere id deraſum, ut conſpicuae ſint fibrae orbiculares. Ruptura hujus membranulae, per infortunium facta, feliciter exhibet lacinias, quae ſunt extrema disrupta illarum fibrarum.

XLIX. Pars poſterior choroideae, cum tunica retina, eique adnexo rubello corpore vitreo, cui inſidet lens cryſtallina. Ex oculo balaenae. Inferius objectum eſt lens cryſtallina cum corona ciliari & dimidio corpore vitreo ex balaena.

L. Oculi ovilli bulbus cum nervo optico ita praeparatus, ut ſclerotica, ejus diverſa craſſities, choroidea & retina, unico intuitu pulchre appareant. Retinae inflictum vulnuſculum exhibet humorem vitreum pellucidum.

LI. Humor vitreus de ſua membrana dependens (quam nonnullae laciniae videntur probare eſſe duplicem) cum inſidente lente cryſtallina, & corona ciliari. Ex vitulo.

In fundo lagenae eſt ſegmentum oculi ejusdem anterius, exhibens partem uveae poſteriorem, & corpus ciliare, conſtans ſuis proceſſibus plumoſis potius, quam fibroſis, circiter nonaginta.

LII. Segmentum poſterius oculi vitulini; exhibens tres membranas. Retinae vaſa mercurio ſunt repleta.

In fundo lagenae fluctuat corpus vitreum cum lente cryſtallina & corona ciliari ex eodem.

LIII. Bulbus oculi ovilli cum nervo optico ita praeparatus, ut unico oculi intuitu tres membranae in ſuo ſitu, ſimul cum lente cryſtallina, & corpore vitreo, appareant.

LIV. Oculus vitulinus, in quo detracta parte anteriore ſcleroticae atque corneа, conſpicua eſt iris, pupilla, lens cryſtallina pone eam, membrana choroidea, ſed imprimis orbiculus ciliaris integerrimus.

LV. Oculus vitulinus, ſimili modo praeparatus, niſi quod, dimidia parte uveae reſecta, conſpicuum ſit, proceſſuum ciliarium extrema plumoſa non inſeri margini lentis cryſtallinae.

LVI. Oculi ovilli pars anterior, in qua corpus ciliare, plumoſis conſtans proceſſibus, uvea. Segmentum poſterius exhibet modum, quo medulla nervi optici ingreditur oculum per foramina ſcleroticae.

LVII. Duo haemiſphaeria oculorum vitulinorum, exhibentia tres oculi membranas; &, in uno, terminum retinae anteriorem.

LVIII. Palpebrae duae ex infante, materie rubra egregie impletae, in quibus vaſa membranae internae, glandulae Meibomianae, caruncula lacrymalis, puncta lacrymalia conſpiciuntur.

LIX. Palpebrae ſiniſtrae, ex alio infante, impletae.

LX. Oculus hominis adulti inverſus, non impletus, in quo choroidea, exterior facta, exhibet orbiculum ciliarem in parte interna, corpus ciliare, ſeptuaginta quin-

quinque circiter proceſſibus compoſitum, uveam cum fibris rectis, & circulo pupillae diſtincto.

LXI. Oculus humanus, cujus vaſa materia rubra ſunt impleta. Nervi optici vaſa & pia mater, ut & vagina a dura matre; ſcleroticae pars reflexa, choroidea cum vaſis vorticoſis, aliisque; orbiculus ciliaris, nec non uveae arteriae, conſpicua ſunt.

LXII. Oculus humanus, ita praeparatus, ut dimidia pars concava remanſerit, altera pars, inverſa, convexa ſit. Choroideae facies interna pulchre conſpicua eſt, hinc & orbiculi ciliaris, corporis ciliaris, & uveae. Nervus opticus, per longitudinem ſectus, commonſtrat arteriam centralem, ejusque in oculi bulbum ingreſſum.

LXIII. Oculus humanus infantis circiter unius anni, cujus vaſa cera rubra turgent. Totius ſcleroticae parte media per ambitum ſublata, apparet choroides cum ſuis vaſis & nervis ciliaribus, vaſis vorticoſis, orbiculo ciliari.

LXIV. Infantis ejusdem alter oculus, ſimiliter praeparatus, niſi quod etiam ſublata ſit cornea, & uvea appareat nuda, vaſis ſcatens.

Alterum objectum eſt corpus vitreum, dependens a ſua membrana vitrea, cum inſidente lente cryſtallina.

LXV. Oculus infantis unius anni, & circiter dimidii, cujus vaſa exactiſſime ſunt impleta. Verticali ſectione diviſus eſt in ſegmentum anterius & poſterius. Anterius (ex concavo convexum redditum) pulcherrime exhibet partem anteriorem choroideae, vaſis refertam; ſed imprimis corpus ciliare, cujus proceſſuum vaſa penitus ſunt impleta, ſatisque evincunt, nihil muſculoſi in iis adeſſe. Uvea cum ſuis nervis, vaſculis, & pupilla cernitur. Poſterius ſegmentum praeter nervum opticum, & ſcleroticam, imprimis perpulchre exhibet choroideae ſuperficiem externam, atro pigmento obſitam, & internam, totam ferme vaſculoſam. Retinae membranae pars vaſculoſa etiam ſupereſt.

LXVI. Ejusdem infantis alterius oculi ſegmentum poſterius, cum nervo optico; in qua praeter membranas optime conſpicua ſunt retinae vaſa, cera rubra impleta, & ſubtiliſſimum rete vaſculoſum efficientia. Superius adjectum eſt corpus vitreum cum lente cryſtallina & corona ciliari ejusdem oculi.

LXVII. Oculus foetus, cujus cornea reſecta. Uvea cum ſuis vaſis conſpiciuntur.

LXVIII. Globus oculi foetus ſex circiter menſium. Magna parte ſcleroticae reſecta apparet choroidea, cujus etiam portione ſublata, retinae pars & corpus vitreum conſpicua ſunt. Anterius reſectâ corneâ, uvea cum impletis ſuis vaſculis ſeſe offert, quae etiam ultra marginem pupillae excurrunt in membranam pupillarem, ante lentem dependentem cryſtallinam.

Alterum objectum eſt ſegmentum poſterius alterius oculi ejusdem, exhibens tres membranas.

LXIX. Segmentum anterius ejusdem oculi, in quo membrana pupillaris cum vaſis ſuis impletis.

LXX. Duo oculi foetus humani, veſticaliter diſſecti, quorum vaſa impleta.

LXXI. Objectum inferius eſt portio integumenti piſcis Balaenae. Superius ob-

objectum eſt fruſtum epidermidis, corporisque reticularis, ex eodem animali.

LXXII. Inferius objectum eſt fruſtum cutis Balaenae. Superius eſt portio albicantis cutis ejusdem animalis cum papillis nervoſis.

LXXIII. Portio cutis Balaenae, in qua papillae.

LXXIV. Cubitus & manus extrema infantis recens nati, a quibus, detracta epidermide, cutis rubet, maculis adinſtar exanthematum apparentibus. Parte cutis ablata conſpiciuntur muſculi. Manus tenet portionem placentae, cujus vaſa optime ſunt impleta.

LXXV. Portio cutis impletiſſimae plantae pedis mulieris, in qua, detracta epidermide, papillae egregie conſpiciuntur.

LXXVI. Digitus mulieris adultae, cujus papillae propter impletionem optime comparent. Adeſt etiam apicis ejusdem digiti epidermis cum inhaerente ungue.

LXXVII. Portio cutis pulpae manus ex ſene, cujus arteriae optime impletae, & papillae conſpicuae, ſunt.

LXXVIII. Papilla mammae muliebris exhibens minores papillas ſuas.

LXXIX. Cutis mammae mulieris Europaeae, de qua detracta epidermis, & apparet reticulum fuſcum. In areola mammae multa folliculorum orificia; reticulo adhaerent globuli ſebacei, ex illis protracti.

LXXX. Ejusdem feminae portio cutis. Detracta Epidermis. Reticulum fuſcum, partim huic, partim cuti, adhaeret.

LXXXI. Portio epidermidis mammae ejusdem feminae.

LXXXII. Portio cutis ejusdem. Cutis, reticuli, & epidermidis diſtinctio & color dilucidiſſime apparent.

LXXXIII. Superius objectum exhibet portionem epidermidis cum reticulo fuſco. Inferius portionem cutis, cui pars epidermidis cum ſuo reticulo adnexa eſt.

LXXXIV. Objectum ſuperius eſt portio cutis ex Aethiope, in qua, detracta partim epidermide, optime conſpicitur reticulum nigricans.

Similiter praeparatam cutis Europaeae portionem exhibet inferius objectum, in qua reticulum habet fuſcum colorem.

LXXXV. Epidermis de manu & de pede detracta, exhibens chirothecam & ſoccum, ex foetu quatuor circiter menſium, in quibus patet, hac etiam aetate majorem eſſe in vola & in planta cuticulae craſſitiem.

LXXXVI. Socculus foetus ſex circiter menſium.

LXXXVII. Chirotheca infantis recens nati.

LXXXVIII. Socculus integer ejusdem.

LXXXIX. Chirotheca infantis recens nati.

XC. Socculus pedis ejusdem.

XCI. Epidermis in formam ocreae detracta de pede & crure dextro infantis recens nati.

XCII. Chirotheca ejusdem, exhibens epidermidem integerrimam de manu, totoque cubito detractam.

XCIII. Epidermis detracta de toto brachio dextro ejusdem infantis ab humero usque ad digitorum apices.

XCIV. Epidermis, ab utroque cubito atque manu foetus quadrimestris perfectissime detracta & illaesa.

XCV. Epidermis in formam ocreae: a pede sinistro & parte cruris detracta, ejusdem infantis ac XCI.

XCVI. Portio cutis de pectore aethiopis, alba. Reticulum nigrum partim illi, partim detractae epidermidi adhaeret.

XCVII. Similis portio alia.

XCVIII. Epidermis pollicis humani cum adhaerente ungue. Radix unguis pulchre apparet.

Viscera, partesque ad illa pertinentes.

XCIX. Laryngis omnes cartilagines cum osse hyoide & portione asperae arteriae, naturalibus ligamentis nexae, ex infante juniore.

C. Laryngis cartilago Thyreoidea, Cricoidea, & Arythenoideae, solutae & depuratae ex homine adulto. Fundum phialae occupat thyreoidea adulti, maximam partem ossificata.

CI. Laryngis adulti cartilagines omnes solutae prius & depuratae, ast artificialiter iterum in pristinam formam connexae, cum portione asperae arteriae.

CII. Aspera arteria cum parte bronchiorum foetus circiter quatuor mensium, aperta, cujus interna membrana impletis vasculis ruberrima est.

CIII. Corda duo adulta. Unum est hominis adulti viginti quatuor circiter annorum, cujus ventriculus & sinus sinister apertus est. Foramen ovale non solum apertum est, sed cum aetate etiam increvit.

Alterum cor exhibet apertum ventriculum & sinum dextrum, ut columnae carneae, valvulae tricuspidales, conspicuae sint.

CIV. Cor feminae adultae cum arteriae aortae arcu. Ventriculus sinister, usque in illam arteriam apertus, exhibet valvulas mitrales & sigmoideas. Aperto etiam ventriculo dextro cernuntur valvulae semilunares arteriae pulmonalis.

CV. Portio cordis hominis, ex vulnusculo ei inflicto, extincti. Spina immissa vulnus indicat.

CVI. Cor infantis recens nati, cujus vasa majora & coronaria egregie impleta, & praeparata. Canalis arteriosus, inter pulmonalem arteriam & aortam, adest.

CVII. Pulmones cum corde ex infante recens nato. Materia rubra injecta turgent. In dextra conspicua est duplicatura membranae externae.

CVIII. Pulmo uterque simul cum corde, suo pericardio cincto; ut & thymus. Omnia ergo thoracis viscera impleta in nexu naturali, ex infante.

CIX. Pulmo uterque cum corde ex foetu majore. Vasa majora omnia praeparata sunt. Calamus immissus oesophagum monstrat. Ab aspera arteria totum objectum dependet.

CX.

CX. Syntaxis pulmonum & cordis ex foetu quatuor circiter menſium, nec non ejusdem ren. Superiorem vaſis locum occupant pulmones cum corde ex foetu aliquantum majori. Canalis arterioſus conſpicuus eſt.

CXI. Pulmones ex infante recens nato penitiſſime impleti materia rubra.

CXII. Magna pars pulmonis humani, materie rubra repletiſſima.

CXIII. Ventriculus infantis junioris inverſus. Vaſis impletis ſuperficiei internae habitus apparet.

CXIV. Ventriculus inverſus infantis recens nati. Materie rubra turgent villi menbranae internae. Cernuntur folliculorum glanduloſorum orificia.

CXV. Ventriculus Anſeris cum notabilibus muſculis, eorumque tendinibus.

CXVI. Portio ventriculi humani, pulcherrime impleta. Membranae ſeparatae ſunt; externa cum muſculari; nerveo vaſculoſa, interna villoſa. Arteriae & venae, impletae, per nerveam diſtributae, & ſeſe comitantes, reliquisque ramos praebentes, omnes tunicas rubedine perfuderunt.

CXVII. Portio inteſtini jejuni optime impleta, ut villi, vaſa ramoſa, & valvulae appareant; detracta dependet tunica externa cum muſculari.

CXVIII. Inteſtina tenuia infantis, ruberrima, propter impletionem arteriarum & venarum, ſimul facta, quae ſe invicem ubique concomitantur.

CXIX. Inteſtini ilei hominis adulti portio, ruberrima, vaſis in totum repletis. Valvulae nullae. Villi turgent admodum & longiſſimi ſunt. Objectum verſus phialam comprimit Aſparagus Africanus, tenuifolius, viminalibus virgis, foliis laricis inſtar ex uno puncto numeroſis, ſtellatim dispoſitis. Pluknet.

CXX. Portio inteſtini jejuni infantis, partim integra, partim expanſa, ut valvulae conniventes appareant, & villi, optime impleti.

CXXI. Pars inteſtini jejuni puerperae, per venas impleta, inverſa ruberrima, Villi egregie turgent. Valvulae admodum conſpicuae ſunt.

CXXII. Ejusdem inteſtini portio magna impleta per arterias, rubra, diſſecta, expanſa. Valvulae adſunt multae, magnae; earumque compoſitio ex nervoſae & villoſae duplicationibus cernitur.

Adjectus eſt vermis humanus teres, e cujus corpore eruperunt partes internae.

CXXIII. Adulti hominis inteſtini jejuni portio inverſa, ad naturalem fere habitum impleta. Villi & valvulae egregie apparent.

CXXIV. Inteſtinum coecum ex adulto impletum, & inverſum, ut habitus illius, & rimae extremi ilei, appareat.

CXXV. Inteſtinum rectum ex infante juniore, inverſum, rubens ex impletione. Orificia multa folliculorum mucoſorum cernuntur.

CXXVI. Portio inteſtini jejuni virginis, ſubitanea morte poſt paſtum extinctae, cum adnexo meſenterio. Adſunt vaſa lactea multa, chylo turgida, eo magis diſtincta, quod vaſa ſanguifera cerâ impleta ſunt.

CXXVII. Portio inteſtini ilei infantis, vaſis & villis impletis plena, inverſa.

CXXVIII. Lien pueri ſex circiter annorum. Vaſa arterioſa & venoſa impleta ſunt.

CXXIX. Lien pueri junioris, cujus vaſa ita impleta ſunt, ut tota ſubſtantia rubicunda admodum ſit. Majori adhaeret lien parvus.

CXXX. Pancreas adulti hominis. Sic viſum Clar. van Doeveren, licet in Catalogo Ruiſchii, ex cujus collectione in hanc illud devenit, dicatur fruſtum pinguedinis.

CXXXI. Portio meſenterii ex infante juniore. Vaſa ſunt impleta. Glandulae, itidem impletae, tument.

CXXXII. Ren infantis junioris, repletus per arteriam, conſtans portiunculis ſeu lobulis diſtinctis. Ren ſuccenturiatus ipſi inſidens, maxime rubet.

CXXXIII. Ren infantis paulo provectioris, cujus arteriae ſunt impletae. Bifariam ſectus eſt, ut ſubſtantia corticalis & papillaris paterent.

CXXXIV. Ren pueri provectioris, eodem modo praeparatus. Vaſa corticis melius impleta.

CXXXV. Renis infantis, ſesquiannum circiter nati, dimidia pars. Papillae renales pulcherrime apparent. Subſtantia corticalis penitius impleta.

CXXXVI. Dimidia pars renis humani. Impletio adeo felix fuit, ut non tantum arteriae, per ſubſtantiam corticalem diſtributae, ſed & fiſtulae Bellinianae ſint conſpicuae. Una papilla, non impleta, diverſitatem exhibet.

CXXXVII. Renes duo ex puero circiter trimeſtri, pulcherrime rubra materia impleti. Unus, per medium ſectus, exhibet duplicem ſubſtantiam. Alter integer eſt cum rene ſuccenturiato & uretere; ſola externa membrana ab una facie ablata eſt.

CXXXVIII. Ren foetus, penitus impletus, ſic diviſus, ut interior ſubſtantia appareat.

In fundo phialae dantur minoris foetus duo renculi, penitiſſime impleti, vix nucem avellanam aequantes, quorum externa membrana detracta eſt.

Genitalia ſexus virilis.

CXXXIX. Scrotum & penis ex infante juniore. Impletione rubent.

Adeſt caeterum ramus Elichryſi Africani arborei, ſalviae folio odorato, cujus folia obſeſſa ſunt polypo, quam, ſola conquaſſatione, ex ſanguine bovino confecit Ruiſchius.

CXL. Segmentum penis virilis, exhibens tria corpora cavernoſa, vaſaque pudenda, rubra materie impleta.

Continet phiala etiam florem Aloës Americanae, quae anno 1749. floruit in Horto Academiae Lugduno-Batavae.

CXLI. Teſtis humanus cum epididymide & ductu deferente atque corpore pampiniformi, pulchre impleto materia cerea. Aperta tunica Albuginea conſpicitur teſticuli ſubſtantia.

CXLII. Teſtis humanus, a ductu deferente dependens. Epididymis mercurio impleta.

CXLIII. Teſtis humanus, cujus ſubſtantia in ſubtiliſſima filamenta eſt reſoluta. Epididymis mercurio impleta. Ab hac dependet ductus deferens.

CXLIV. Teſtis, ex inverſa albuginea dependens, in filamenta reſolutus.

CXLV. Teſtis ſimilis.

CXLVI. Teſtis, reſecta fere tota membrana albuginea, in filamenta tenuiſſima, albiſſima reſolutus, arte Ruiſchiana.

CXLVII. Erinacei vulgaris veſiculae ſeminales ſingulares admodum, cum veſica urinaria.

Genitalia mulieris.

CXLVIII. Uterus cum portione vaginae, tubis, ovariis. A fundo usque ad orificium juxta longitudinem eſt apertus, ut pulchre pateat cervicis canalis, cavitas, & craſſities uteri, cet.

CXLIX. Uterus cum tubis, ovariis, & portione vaginae, ita poſitus, ut diſtincte appareat oris tincae prominentia; rima orificii transverſa; vaginae rugoſitas, alia.

CL. Uterus puerperae, per longitudinem ſectus, cum portione vaginae, tubis, ovariis. Cernitur ſubſtantiae craſſities; continua ex utero in vaginam via ob deletum orificium in partu; locus, cui adhaeſit placenta in parte poſteriore uteri.

CLI. Uterus feminae ſuſpenſae, ſolito major, cum tubis, ovariis, & portione vaginae, quae varios olim foetus emiſit, & aperturae externae orificii uterini differentiam commonſtrat.

CLII. Uterus gravidus trium circiter menſium, cruciatim apertus, cum ovo, foetu. &c. feminae, ex veſicae urinariae immani diſtenſione, & ruptura, defunctae. Hiſtoriam hujus caſus, & anatomen cadaveris, exacte enarravit ipſe Clar. van Doeveren in Specim. Obſervat. Anatom. cap. 6. pag. 83.

CLIII. Partes generationis externae, internaeque, ex puella duorum circiter annorum. Adeſt portio inteſtini ilei, rubra materie impleti, ſiccati ex adulto.

CLIV. Uterus gravidus ad quartum circiter menſem, impletus materie rubra. Idem eſt cujus deſcriptionem & iconem dedit Doct. Noortwyk. Uteri humani gravidi Anatom. & Hiſt. pag. 205. tab. 1. Idem itaque eſt, qui ipſi inſerviit, ad demonſtrandam anaſtomoſin inter uteri & placentae vaſa. Sed materiam injectam potius in telam placentae celluloſam, quam in vaſa ejus, fuiſſe effuſam, ſuſpicatus eſt Clar. van Doeveren, &, qui apud eundem hoc praeparatum examinavit, Clar. Forſten. In Diſſert. quaeſtiones ſelectas phyſiologicas exhibente pag. 72. Quid ipſe de hoc nexu cenſeam, ex meis aliorumque experimentis quid concludendum putem, alibi jam communicavi. Obſervat. Anatom. Patholog. Lib. 2. pag. 37.

Secundae.

CLV. Portio placentae uterinae, in tenuiſſima vaſcula reſolutae.

CLVI. Placenta, ſubtiliſſime reſoluta in ſua vaſcula, ut, ſublata omni cellulosa & parenchymatoſa ſubſtantia, nihil, praeter tomentum vaſculoſum ſuperſit. Integer eſt funiculus umbilicalis.

CLVII. Placentae humanae, cujus vaſa penitiſſime impleta ſunt materie rubra, dein maceratae, fragmenta varia, quae, ut luculentius conſpiciantur, ramulis herbae camillae Africanae inhaerent.

CLVIII. Portio placentae humanae, cujus vaſa optime impleta ſunt materie rubra. Pars ejus non reſoluta eſt per macerationem; pars aliquantum; reliqua pars plenarie.

CLIX. Portio inſignis placentae humanae, cum parte velamentorum, cujus vaſa penitiſſime materia ceracea ſunt impleta, partim diſſoluta.

CLX. Placenta ab utero gravido ſeparata, impleta materie rubra. Pertinuit haec ad uterum gravidum CLIV., & iconem dedit etiam Doct. Noortwyk. Uteri humani gravidi anatome & hiſtoria tab. 2.

CLXI. Portio placentae partim impleta & ſoluta, bina diſtincta exhibens tubera, vaſaque ramoſa & lanuginoſa.

Foetus variae magnitudinis.

CLXII. Foetus circiter ſeptimeſtris, cujus omnia vaſa per funem umbilicalem impleta ſunt. Caput, propter exemtas partes, obvelatum eſt. Thorace & abdomine apertis, conſpiciuntur in ſitu naturali thymus, cor, pulmones, diaphragma, hepar, ventriculus, inteſtina.

CLXIII. Gemelli maſculi, fere ſeptimeſtres, cum duplici conjuncta placenta, funiculis, & ſecundis.

CLXIV. Foetus aethiopis ſemeſtris. Color non niger, Europaeo tamen obſcurior.

CLXV. Foetus quinque menſium cum funiculo & placenta uterina.

CLXVI. Foetus quinquemeſtris, cum funiculo & placenta, cui inſidet.

CLXVII. Foetus quatuor circiter menſium cum dimidio, albiſſimus, toroſus, pulcherrimus, cum portione funiculi.

CLXVIII. Similis aetatis foetus, macilentior.

CLXIX. Foetus quadrimeſtris, gemellus, cum funiculo & placentae portione. Alter ſuppeditavit ſceleton naturale, de quo ſuo loco.

CLXX. Foetus quadrimeſtris a funiculo ſuo dependens.

CLXXI. Embryo circiter trimeſtris, dependens a funiculo, circa brachium contorto.

CLXXII. Embryo, ab umbilico dependens, duos circiter cum dimidio pollices longus. Caput inſignis eſt magnitudinis. Artus inferiores admodum parvi.

CLXXIII. Similis embryo, albidus, nitidiſſimus, praecedenti parum minor: Epidermis hic illic elevata. Hernia in umbilico adeſt.

CLXXIV. Embryo paululum major. Et in hoc hernia umbilicalis conſpicitur.

CLXXV. Embryo, vix dimidium pollicem longus, in quo artuum vix ulla rudimenta.

Foetus, ovis apertis, conſpicui.

CLXXVI. Foetus bimeſtris femellus, a funiculo nodoſo & contorto dependens extra ovum apertum, cujus velamenta obducit pſeudo-membrana ſanguinea.

CLXXVII. Foetus, quadrimeſtris, in fundo lagenae conſpicitur. Ovum apertum eſt. Placentae vaſa egregie ſoluta.

CLXXVIII. Foetus toroſus, pulcherrimus, pendens a ſuo funiculo umbilicali, intra ovum apertum, nitidum, utramque membranam exhibens.

CLXXIX. Foetus paulo minor, eodem modo dependens intra ovum apertum, cujus velamenta pſeudo-membrana ſanguinea obſidet, a qua libera ſunt placentae rudimenta.

CLXXX. Embryo, vix pollicem longus, extra ovum apertum a funiculo dependens. Undique emergunt placentae rudimenta. Relicta eſt portio pſeudo-membranae craſſae, quae ovum hoc inveſtiebat.

CLXXXI. Embryo fere ſimilis intra apertum ovum a ſuo pendens funiculo. Pſeudo-membrana occupat totum ovi ambitum, excepta placentae ſede.

CLXXXII. Embryo minor, funiculus craſſus, morboſus. Ex ovo aperto propendet. Craſſa pſeudo-membrana undique totum ovum inveſtit.

CLXXXIII. Embryo perparvus, a fune ſuo dependens intra ovum apertum. Rudimenta placentae ubique cernuntur. Juxta funiculum dependet ſingularis veſicula membranacea.

CLXXXIV. Embryo minimus, nitidus, in ovo aperto, quodammodo lacerato.

CLXXXV. Ovum apertum unius circiter menſis. Foetus in fundo phialae conſpicitur.

Ova humana integra.

CLXXXVI. Ovum integrum cum foetu ferme ſemeſtri. Placentae vaſa pulchre ſoluta ſunt & liberata a parenchymate. Chorion, partim detractum, nudam exhibet, celluloſa obſeſſam, membranam amnion, & tranſparentem foetum. Per totum fere ambitum chorii vaſcula ſunt, quae eam cum utero nectebant.

CLXXXVII. Ovum fere quadrimeſtre integrum cum foetu. Ambit hoc pſeudo-membrana tenuis, quodammodo tertiam veram referens; qua inferius detracta nuda conſpicitur chorii membrana.

CLXXXVIII. Ovum quatuor menſium cum integerrima placenta, absque pſeudo-membrana. Duplex membrana facile diſtinguitur. Foetus pulcher, toroſus, intus cernitur.

CLXXXIX. Ovum trimeſtre, plane ſimile, niſi quod chorion ab una regione ſit

ſit ſublatum, & funiculus longiſſimus, valde contortus, per aperturam propendeat.

CXC. Ovum pulcherrimum. Soluta placentae vaſa. Pſeudo-membrana pro parte relicta, pro parte ſeparata, ſic ut vaſa nectentia conſpiciantur.

CXCI. Ovum humanum integerrimum, nitidiſſimum, ovi majoris gallinacei magnitudinem habens, pulchre & aequabiliter diſtentum, in quo rudimenta placentae, & vaſcula, chorion cum utero nectentia, egregie conſpiciuntur. Aqua inter amnion & chorion collecta videtur. Tranſparet embryo, admodum parvus.

CXCII. Ovum humanum, integerrimum, diſtentum, priore minus, majorem tamen perfectioremque foetum, intus conſpicuum, continens.

CXCIII. Ovum, integrum, ſimile.

CXCIV. Ovum minimum, vix nucem avellanam aequans, a parte placentae maxime tomentoſum.

CXCV. Ovum, flaccidum, elongatum. Embryo minimus tranſparet.

CXCVI. Ovum, absque embryone. Dependet velamentum inſtar membranae a coagulato, compreſſo, ſanguine, formatae.

CXCVII. Duo ova aperta, quorum alterum nudum, alterum pſeudo-membrana obſeſſum. Utrumque caret embryone, ejusque loco continet veſicam, tenui membrana factam, funiculo umbilicali continuatam.

CXCVIII. Ovum integrum, ſanguine coagulato undique obſeſſum.

CXCIX. Aliud ſimile ovum, apertum, embryonem intus recondens.

Monſtra humana

&

Partes morboſae, ex homine deſumtae.

CC. Foetus maturus acephalos; cum labio leporino duplici, naſo & palato fiſſo. Conf. Clar. van Doeveren Obſervat. Acad. cap. 2. §. 3. tab. 5.

CCI. Maturus foetus acephalos.

CCII. Foetus maturus acephalos, cum duobus tuberibus fungoſis, capiti inſidentibus, & mirabili foediſſimaque faciëi defiguratione.

CCIII. Monſtrum humanum non maturum, exhibens foetum acephalon cum ſpina bifida, & ſacco dorſi impoſito.

CCIV. Thorax & caput foetus maturi acephali nullo collo conſpicuo praediti, cum ingenti hydrocephali ſacco, cui alius magnus ſaccus, ob ſpinam bifidam ſuperiorum vertebrarum, continuus eſt.

CCV. Infans monſtroſus, cujus abdomini adhaerent partes poſteriores alterius infantis.

CCVI. Foetus octimeſtris, cujus capiti in latere dextro excreſcentia adhaeret, capite multo major.

CCVII. Truncus integer infantis quatuor circiter menſium, in quo ſpina bifida, cum adnexis partibus mollibus, ad hujus vitii ſedem & habitum cognoſcendum, pertinentibus.

CCVIII. Uterus, in partu disruptus; placenta parieti posticae adhaeret. Conf. Clar. van Doeveren Observat. Acad. cap. 8.

CCIX. Uterus Feminae, in qua, viva, sectionem Caesaream instituit Clar. van Doeveren. Cernitur vulnus, per quod foetus est protractus.

CCX. Uterus scirrhosus ex femina hydropica, scirrhis multis in hepate olim laborante.

CCXI. Excrescentia clitoridis capitis infantis magnitudinem aequans, quam feliciter in nobili Virgine extirpavit Clar. van Doeveren.

CCXII. Fungus intestini recti, ex virgine nobili exsectus ab eodem Viro.

CCXIII. Scirrhus insignis cerebelli ex infante.

CCXIV. Segmentum testiculi humani ingentis molis, cujus vasa seminifera confusa, & in substantiam cartilagineam mutata sunt.

CCXV. Digitus humanus, spinâ ventosâ insigniter corruptus & tumefactus.

CCXVI. Mola uterina.

CCXVII. Ovum, cujus placenta in hydatides est mutata.

CCXVIII. CCXIX. CCXX. CCXXI. Portiones placentae humanae in hydatides mutatae.

CCXXII. Magna pars hepatis scirrhosi, ex femina, cujus uterus CCX. est.

Monstra animalium.

CCXXIII. Canis recens natus cum labio leporino.

CCXXIV. Canis, pedibus quinque instructus, pede superfluo monstroso.

CCXXV. Canis tripes.

CCXXVI. Canis bipes, deficiente utroque pede anteriore.

CCXXVII. Felis recens nata, duplici capite, singulari ratione coalito, instructa.

CCXXVIII. Porcus monoculus, cum deficiente rostro & maxilla superiore.

CCXXIX. Porcinus foetus cum maxilla superiori deformi.

CCXXX. Porcinus foetus, capite unico, pedibus octo instructus, parte posteriore corporis duplici.

CCXXXI. Similis foetus porcinus, capite pariter unico, pedibus octo instructus, pulcherrimus, praecedenti paulo minor.

CCXXXII. Pullus gallinaceus, quatuor pedibus instructus.

CCXXXIII. Pullus gallopavonis, monoculus, deficiente rostri parte superiore.

CCXXXIV. Pullus gallinaceus, cui capita distincta duo, pedes autem tres.

CCXXXV. Fringilla adulta, duobus capitibus instructa.

CCXXXVI. Columba, cui sternum magno hiatu fissum est.

CCXXXVII. Caput monstrosum Salmonis.

De partibus morbosis Sectione hujus operis quinta; septima vero de monstris, dicendi occasio erit.

PARS ALTERA.

Praeparata Anatomica, quae ſicca adſervantur.

Sceleta ſoluta, naturalia ſuis ligamentis cohaerentia, variaque oſſa, vel ſeparata, vel vinculis ſuis nexa.

N°. I. Oſſa omnia ſceleti viri adulti, robuſti, perfecta.

II. Oſſa omnia ſceleti feminae adultae, cum oſſe hyoide; tenera. Coſtae a thoracis conſtrictione ſunt defiguratae. Os ſacrum conſtat ſex vertebris ſpuriis.

III. Oſſa omnia ſceleti virilis, adulti, proceri, ac robuſti, nitida, alba, perfecta; inter quae vertebrae viginti quinque; ſeptem cervicales, tredecim dorſales, quinque lumbares; coſtae utrimque tredecim, quarum octo extremis cartilagineis ſuis adhaerent oſſi pectoris; octava ita ejus margini nexa eſt, ut (dum ſeptima, uti ſolet, ingreditur ſinum communem, a parte oſſea media, & ima oſſis pectoris factum) inveniat utrimque ſinum ſingularem, totum inſculptum margini iſtius partis inferioris ſterni. Coſta decima, eodem modo ac ſuperiores, connectebatur lateribus ſpinae, ut haberet ſinum communem, formatum a corporibus vertebrae nonae & decimae, praeterque hunc nacta eſſet alium ſinum in proceſſu transverſo decimae, quae in aliis ſaepiſſime non datur. Undecima articularem ſinum nacta erat unum, in ſolo vertebrae undecimae corpore ſculptum, nec non alterum, quem in aliis non habet, in proceſſu transverſo ejusdem vertebrae. Duodecima unici tantum ſinus ope nectebatur corpori vertebrae duodecimae. Decima tertia utraque in ſuo extremo, ſpinam reſpiciente, accipiebat ſinum glenoïdeum, loco convexi capituli, ejusque ope articulum formabat, a ſolitis valde diverſum, cum eminente ſuperficie connexa, cartilagine inveſtita, quae occurrebat in utroque latere corporis vertebrae decimae tertiae dorſi. Proceritas totius ſceleti inſignis erat, coſtarum longitudo maxima. Undecima, ſua parte oſſea, aequabat fere decem pollices, quae in aliis raro ultra ſeptem extendi ſolet, duodecima aequabat ſex pollices cum octo lineis, quae in aliis ſceletis vix quatuor pollices attingit, decima tertia ſiniſtra aequabat pollices duos, dextra vero unum & novem lineas. Cl. van Doeveren Obſervat. Academ. cap. 13. §. 7. N°. 2.

IV. Oſſa omnia ſceleti procerae valde ſtaturae, perfecta. Vertebrae adſunt viginti quatuor, ſed tredecim dorſi, quatuor tantum lumborum; coſtae reperiuntur tredecim in quoque latere. Decima earum non habet ſinum in proceſſu transverſo vertebrae

tebrae ſuae, caeterum reliquae in nexu ſuo ſatis ſimiles ſunt praecedenti ſceleto, non vero magnitudine, qua multum cedunt. Decima tertia altera pollicem & quatuor lineas longa eſt, altera vix decem lineas aequat. Os ſacrum ſex partibus conſtat: in parte ejus poſteriore, loco canalis oſſei, caudae equinae parti continendae deſtinati, datur ſinus, totam oſſis convexi longitudinem occupans, natus a deficientibus vertebrarum ſpuriarum proceſſibus ſpinoſis, excepta ſuperiore, omnibus. Obſervat. Academ. cap. 13. §. 7. N°. 3. §. 12. N°. 1.

V. Sceleton ſolutum feminae junioris, in quo epiphyſium notae & veſtigia adhuc conſpiciuntur.

VI. Sceleton egregium naturale hominis adulti, cujus omnia ligamenta conſervata, exſiccata.

VII. Sceleton naturale feminae junioris, adultae, perfectum. Thorax & pectus pulcherrime ſtatum naturalem ſervarunt. Diviſibile eſt in caput, truncum, & artus.

VIII. Sceleton naturale perfectum & nitidum pueri phthiſici, tredecim vel quatuordecim annorum; in cujus occipite ſingulare datur os Wormianum majus, quod totum oſſis occipitis apicem conſtituit, unum pollicem cum dimidio fere longum; & quindecim lineas latum. Adſunt praeterea duodecim parva oſſicula Wormiana; datur aliud in conjunctione marginis proceſſus lateralis oſſis multiformis cum oſſe frontis. Obſervat. Academ. cap. 13. §. 3. N°. 6.

IX. Sceleton naturale puellae ſubmerſae trium annorum, nitidiſſimum. Fontanella adhuc multum aperta eſt.

X. Naturale ſceleton nitidum pueri, unius circiter anni. Manu tenet portionem inteſtini coli, cujus vaſa optime impleta ſunt. Adſunt tredecim coſtae, vertebrae viginti quatuor, ſeptem colli, tredecim dorſi, quatuor lumborum. Coſtae dividuntur in ſeptem veras, ſex ſpurias. Supernumerariae duae parvae ſunt; dextra pollicem circiter longa, brevior ſiniſtra. Perforata a vermibus teretibus inteſtina obſervabantur. Obſervat. Academ. cap. 13. §. 7. N°. 1.

XI. Recens nati infantis ſceleton naturale. Fontanella permagna.

XII. Puellae recens natae ſceleton perfectum, elegans. Adſunt cor & vaſa praecipua, ceracea materie impleta, quorum, tum arterioſorum, tum venoſorum, praecipuae ramificationes cernuntur.

XIII. Foetus fere ſemeſtris naturale ſceleton, pulcherrimum.

XIV. Simile foetus circiter quinque menſium.

XV. Simile foetus quadrimeſtris.

XVI. Simile, elegantiſſimum, foetus trimeſtris. In capite oſſificationis modus & progreſſus egregie cernitur.

XVII. Sceleton naturale foetus duorum circiter menſium.

XVIII. XIX. Duo ſceleta naturalia pulchra, foetuum gemellorum ſex vel ſeptem hebdomadum, abortu rejectorum.

Crania integra, & ſoluta, variaeque eorundem partes.

XX. Cranium humanum, magnum, integerrimum. Longiſſimi ſunt proceſſus ſtyliformes.

XXI. Cranium nitidiſſimum cum maxilla inferiore. Sutura lambdoïdea continet ſeptendecim oſſa Wormiana, praeter alia rariora, ſuturas ſquamoſas occupantia tanto numero, ut utramque reddant duplicem.

XXII. Cranium feminae adultae cum maxilla inferiore, cujus os frontis, ſuturâ diviſum, ita ſectum eſt, ut ſinus frontales cum ſepto pulchre conſpiciantur. Praeter duo officula Wormiana in ſutura lambdoïdea, occurrunt tria in poſteriore ſuturae ſagittalis parte, qua cum oſſe occipitis haec concurrit; haec autem in exteriore tantum oſſium verticis lamina efformata ſunt, ideoque ſutura ſagittalis, quae extus interrupta cernitur, intus recta progreditur. Aliud officulum occurrit in latere ſiniſtro, ubi conjungitur os verticis cum ſquamoſo & multiformi; aliud ponitur in latere dextro, in angulo, formato a concurſu partis mammillaris & ſquamoſae oſſis temporis. Conſtat ex hoc capite, quomodo ſeptum, dividens ſinus frontales in dextrum & ſiniſtrum, a ſutura ſagitali, quae os frontis dividit, ita ſecetur, ut uterque ſinus integer ſit, & denticulato margine conjunctus formet interſtitium.

XXIII. Cranium ſenis cum maxilla inferiore. Galea ſerra diviſa exhibet calvariae cavum. Pars frontis reſecta conſpicuos reddit ſinus frontales. Proceſſus maſtoïdei ſiniſtri cavernae cernuntur. Suturae & harmoniae ferme omnes ſunt deletae.

XXIV. Cranium integrum hominis junioris, cum maxilla inferiore. Sutura ſagittalis plane deficit, neque ullum ejus veſtigium adeſt. Reliqua omnia oſſa tum calvariae, tum maxillae ſuperioris, laxiſſimis ſuturis & harmoniis cohaerent.

XXV. Cranium maximum viri robuſtiſſimi & maxime proceri cum maxilla inferiore. Cernuntur ſinus frontales. Ad apicem ſuturae lambdiformis datur officulum Wormianum.

XXVI. Cranium ſenile quadrangularis figurae, in quo os Wormiannm triangulum loco fontanellae.

XXVII. Cranium viri adulti cum maxilla inferiore, integrum. Sutura ſagittalis ad naſum usque procurrit.

XXVIII. Cranium feminae adultae, ſectione horizontali apertum. Adeſt maxilla inferior.

XXIX. Cranium integrum infantis ſex circiter annorum, in quo oſſa Wormiana maxima in tres partes dividunt os occipitis. Unum, quinque latera habens, conſtituit partem ſuperiorem, ſeu apicem, oſſis occipitis, ultra viginti pollicis lineas longum & latum; alterum, duos pollices cum dimidio longum, & fere ubique unum pollicem latum eſt, ac ſiniſtram ejusdem oſſis partem lateralem efformat.

XXX. Cranium integrum cum maxilla inferiore infantis fere biennis. Fontanella magna eſt. Variis in locis adſunt offificationis defectus. Duo Wormiana ad concurſum futurae lambdiformis & ſagittalis dantur.

XXXI.

XXXI. Cranium & maxilla inferior infantis, cujus vaſa impleta, ſinus & proceſſus durae matris, &c. conſpiciuntur. Utrimque enim horizontaliter & verticaliter ſecta calvaria eſt.

XXXII. Omnia oſſa capitis cum maxilla inferiore ex homine juniore, adulto, pulcherrime & perfectiſſime a ſe invicem ſoluta. Oſſis occipitis apex formatur ex duobus oſſiculis Wormianis.

XXXIII. Omnia oſſa capitis cum maxilla inferiore infantis ſex circiter annorum, exacte diſſoluta.

XXXIV. Omnia oſſa capitis infantis duorum annorum, perfecte ſoluta.

XXXV. Oſſa omnia capitis infantis recens nati.

XXXVI. XXXVII. XXXVIII. Similia infantum recens natorum crania ſoluta.

XXXIX Oſſa omnia capitis foetus ſeptimeſtris.

XL. Foetus paulo minus provecti oſſa omnia capitis.

XLI. Omnia oſſa capitis foetus maturi.

XLII. Oſſa pleraque capitis & ſceleti, abortus quinque vel ſex menſium.

XLIII. Pars dimidia cranii vetulae. Superior portio reſecta eſt. Sinus Sphaenoïdalis, frontalis, ſeptum narium conſpiciuntur.

XLIV. Calvariae pars ſuperior, ex cujus oſſe verticis ſiniſtro exoſtoſis parva procrevit.

XLV. Galeae ſex infantum recens natorum. Oſſificatio, fontanella, ejus diverſitates, alia inde intelliguntur.

XLVI. Duo oſſa maxillaria ſuperiora infantis, quorum ſinus ſepto ſemilunari ſunt diſtincti.

XLVII. Os multiforme, perfectum.

Oſſa ad auditus organum ſpectantia.

XLVIII. Os temporis ſiniſtrum feminae adultae, cum meatu auditorio integro.

XLIX. Os temporis dextrum ejusdem feminae, in quo effractus eſt paries meatus auditorii, & diſſectus proceſſus maſtoïdeus.

L. Os temporis dextrum adulti, in quo, effracto meatu auditorio & oſſe petroſo, in ſitu conſpiciuntur tympani membrana, malleus, incus.

LI. Os temporis ſiniſtrum adulti, in quo apparent membranae tympani ſitus obliquus, omnium oſſiculorum ſedes naturalis, labyrinthi tres canales ſemicirculares aperti, veſtibuli feneſtra ovalis. cet.

LII. Os temporis dextrum adulti. Membrana tympani, oſſicula auditus, tres canales ſemicirculares integri, oſtia eorum quinque, cernuntur.

LIII. Os temporis ſiniſtrum infantis circiter triennis. Labyrinthus pro parte praeparatus. Canalis communis nervorum auditus diſſectus eſt.

LIV. Labyrinthus integer, pulcherrimus, ex oſſe petroſo ſiniſtro foetus. Ejusdem foetus os petroſum dextrum, cujus cochlea denudata, aperta, ſic ut lamina ſpiralis cernatur.

LV. Os petroſum ſiniſtrum foetus ſeptem circiter menſium, in quo cochlea pulcherrime a reliquis partibus omnibus, in ſitu relictis, ſeparata eſt.

LVI. Os petroſum dextrum ejusdem foetus, in quo a parte interiore totus labyrinthus eſt praeparatus.

LVII. Duo oſſa petroſa foetus quinquemeſtris, quorum canales ſemicirculares praeparati ſunt.

LVIII. Os temporis dextrum recens nati, in quo pulchre conſpicitur membrana tympani cum arteriis impletis. Officula in ſitu ſunt. Labyrinthi pars conſpicitur.

LIX. Os petroſum recens nati, in quo praeparata & aperta eſt cochlea. Utraque feneſtra cernitur.

LX. Os temporis ſiniſtrum ejusdem. Tympanum continet officula auditus. Perioſteum vaſis rubris ſcatet.

LXI. Pars oſſis petroſi adulti. Cochlea diſſecta eſt, ſic ut ſcalae cernantur & ſeptum.

LXII. Oſſium petroſorum partes quinque, varias labyrynthi ſectiones exhibentes.

LXIII. Officula anditus. Malleo proceſſus gracilis adhaeret. Adjacent eadem officula ex foetu ſex menſium.

LXIV. Officula auditus dextri lateris.

LXV. Officula auditus utriusque lateris cum variis adhaerentibus ſiccatis muſculis.

LXVI. Duo labyrinthi, pro parte praeparati, cum adjectis oſſium temporum portionibus. In una, aperto veſtibulo, ſetae introductae oſtia canalium ſemicircularium monſtrant.

Oſſa trunci artuumque ſoluta & cohaerentia.

LXVII. Truncus integer cum portionibus oſſium femoris, hominis adulti. Ligamenta naturalia ſiccata ſunt.

LXVIII. Truncus integer infantis trium vel quatuor annorum absque oſſibus innominatis. Ligamenta ſiccata nexum perficiunt. Coſta quinta dextra bifidam habet extremitatem cartilagineam.

LXIX. Syntaxis oſſium pelvis, vertebrarum inferiorum dorſi, omnium lumborum cum integris femorum oſſibus.

LXX. Oſſium pelvis ſyntaxis, duarum inferiorum vertebrarum lumborum, & partis oſſis utriusque femoris. Ex femina, quadraginta novem annorum. Omnia ligamenta ſiccata ſunt. Origo nervi iſchiadici dextri apparet.

LXXI. Pelvis vetulae, ſimili modo per ligamenta naturalia cohaerens, cum tribus vertebris lumborum inferioribus, oſſium femorum parte. Iſchiadici utriusque nervi origo & hac in pelvi cernitur.

LXXII. Syntaxis oſſium pelvis ex infante duorum circiter annorum, in qua oſſium innominatorum diviſio; ſacri quinque vertebrae ſpuriae, & epiphyſes conſpiciuntur.

LXXIII. Truncus foetus ſemeſtris cum extremitatibus inferioribus integris. Ligamentis cohaerent oſſa.

LXXIV. Articulatio genu. Pars ossis femoris, tibiae, fibulae, cum patella; ligamentorum naturalium ope cohaerens.

LXXXV. Superior pars tibiae & fibulae cum cartilaginibus adnexis, patella, & vasis impletis.

LXXVI. Integer pes sinister, cum crure, patella, & femoris portione ex infante decem circiter annorum, cum musculis, ligamentis, tendinibus, & vasis, artificiose praeparatis & siccatis.

LXXVII. Ossa omnia cubiti & manus extremae hominis adulti suis ligamentis siccatis connexa, manum extensam exhibentia.

Musculorum, Vasorum, Cutis praeparata sicca.

LXXVIII. Portio diaphragmatis, cujus vasa egregie impleta sunt, ex infante.

LXXIX. Tractus vasorum majorum ex foetu, cera rubra impletorum, in quo canalis arteriosus, vasa umbilicalia, conspiciuntur. Adsunt lingua, aspera arteria, cor, vesica, partes generationis.

LXXX. Vena azygos cerâ viridi impleta, cum suis ramificationibus ex adulto.

LXXXI. Cutis totius trunci, femorum, colli, & brachiorum, quae in Rusia per carnificem de vivo homine fuit detracta, dein praeparata. *Ex Museo Ruischiano.*

LXXXII. Portio cutis humanae. Vasa multa impleta per eam dispersa cernuntur.

LXXXIII. Cutis summi capitis infantis, cujus arteriae materie rubra elegantissime sunt impleta.

LXXXIV. Simile praeparatum. Adnexae auriculae sunt. Arteriae, rubra cera impletae, innumerae sunt.

LXXXV. Cutis capitis infantis recens nati. Plurimae arteriae impletae sunt.

LXXXVI. Alia similis, calvariae osseae superinducta. Arteriae durae matris (in specie fontanellae) sunt impletae. Penetravit etiam materies in venas.

Capitis & colli partes variae.

LXXXVII. Cranium dimidium sinistrum juvenis, cum adhaerente auricula & tota sinistra faciëi parte. Vasa impleta sunt.

LXXXVIII. Cranium dimidium pueri. Membrana Schneideriana, palatum, faciëi pars sinistra, auricula, &c. rubra materie sunt impleta.

LXXXIX. Cranii infantis pars dimidia sinistra. Membrana Schneideriana, membrana tympani, pericranium, vasis impletis scatent.

XC. Pars posterior cranii infantis. Meatus auditorius, pars cartilaginea & ossea Tubae Eustachianae, aliaque ad auditum spectantia, comparent. Vasa impleta sunt.

XCI. Os hyoïdes, larynx, pars asperae arteriae, cum praecipuis musculis.

XCII. Laryngis cartilagines cum osse hyoïde, epiglottide, aspera arteria. Tho-

Thorax, ejus partes continentes, ac contentae.

XCIII. Thorax infantis, cujus viſcera materie rubra ſunt impleta: ſectio ejus transverſalis optime exhibet pulmonum & cordis ſitum relativum, figuram pulmonum, & quomodo hi & cordi & diaphragmati ſeſe accommodent.

XCIV. Thorax infantis integer, demto ſterno. Pulmo ſiniſter & cor fere in ſitu naturali ſunt. Arteriae multae, pulmonalis, aörta, carotides, ſubclaviae, intercoſtales; venae cavae, ſubclaviae, jugulares, azygos, diverſo colore impletae ſunt. Ductus thoracicus, inter aörtam atque azygon adſcendens, cernitur, ejusque inſertio in venam ſubclaviam ſiniſtram, conſpicitur.

XCV. Pulmones & cor materie rubra penitus impleta. Ex foetu majore.

XCVI. Cutis anterioris partis thoracis, vaſis rubris ſcatens, cum ſterno, costis, & vaſis mammariis.

XCVII. Sternum infantis junioris cum ſeptem utrimque adnexis cartilaginibus coſtarum. Oſſificationis principia apparent.

XCVIII. Cor inſignis magnitudinis ex homine valde robuſto & procero, cujus cavum ſiniſtrum cum ſuis vaſis, cerâ rubrâ; cavum dextrum cum vaſis, ad illud pertinentibus, viridi materie impletum eſt.

XCIX. Cor hominis adulti cum omnibus vaſis majoribus, eo pertinentibus, egregie impletum; ſiniſtrum materie rubra; dextrum viridi. Coronaria vaſa optime etiam apparent.

C. Cor adulti hominis cum omnibus vaſis majoribus; pars ſiniſtra viridi, dextra rubrâ materie impleta eſt. Utriusque lateris, imprimis ſiniſtri, venae pulmonales in unum coëunt truncum. Vaſa coronaria etiam ſatis conſpicua ſunt.

CI. Cor pueri circiter ſexennis, ſimul cum praecipuis ramis arteriarum & venarum pulmonalium. Cor dextrum & arteria pulmonalis viridi; cor ſiniſtrum, vena pulmonalis, aörta, rubra materie turgent.

CII. Cor infantis junioris, materie viridi & rubra impletum, cum canali arterioſo, nondum plane obliterato.

CIII. Cor adulti hominis, materie rubra impletum. Vaſa coronaria pulcherrime comparent.

CIV. Cor adulti, cujus ventriculi, materie rubra impleti, transverſim ſecti ſunt, ut ſeptum medium cernatur.

CV. Cor infantis. Vaſa & capacitates materie viridi & rubra ſunt impleta.

CVI. Cor infantis junioris ſimili modo impletum.

CVII. Cor infantis, materie rubra impletum. Ad inſertionem venae cavae pulchre conſpicitur valvula Euſtachii.

CVIII. Cor adulti hominis. Vaſorum coronariorum innumeri rami impleti cernuntur.

CIX. Cor infantis junioris, materie rubra impletum, ſitu naturali, pedamento impoſitum, cum arteria aörta, intercoſtalibus, carotidibus, ſubclaviis, venis cavis, ſubclaviis, jugularibus, & integra fere vena azygo.

Partes abdominis variae.

CX. Ventriculus inflatus hominis adulti.

CXI. Similis juvenis tredecim circiter annorum.

CXII. Similis pueri. Omenti magna pars a fundo ejus dependet. Arteriae rubra, venae viridi materie, impletae sunt.

CXIII. Infantis junioris ventriculus, cujus arteriae copiosissimae & pulcherrimae rubrâ cerâ sunt impletae, ut luculenter appareant earum anastomoses.

CXIV. Infantis minoris ventriculus, in quo arteriae longe copiosiores sunt conspicuae.

CXV. Ventriculus infantis. Arteriae praecipuae rubra materie sunt repletae. Apertum duodenum valvulam, quam pylorum dicunt, commonstrat.

CXVI. Ventriculus infantis recens nati. Fibrae longitudinales & orbiculares distincte cernuntur.

CXVII. Pars dextra ventriculi cum parte duodeni, ut pylorus appareat, prout sese monstrat, quando partes siccatae sunt.

CXVIII. Alterius ventriculi pylorus eodem modo praeparatus.

CXIX. Magna portio intestinorum tenuium, convolutorum, ex infante. Arteriae subtilissime impletae sunt.

CXX. Pars intestini jejuni ex procera femina, tota rubens, ob arteriarum impletionem. Intus, praeter valvulas conniventes, apparere etiam *Valvulas sigmoïdeas*, a nullo auctore descriptas, huic praeparato adscripsit Clar. van Doeveren.

CXXI. Ejusdem intestini portio, impletis vasis rubens, explicata, & valvulas conniventes exhibens.

CXXII. Alius intestini portio, simili modo praeparata.

CXXIII. Portio intestini ilei, ex infante, vasa subtilissima exhibens.

CXXIV. Portio intestini ilei ex eodem, cum parte mesenterii explicata.

CXXV. Hominis adulti portio intestini, per arterias impleta, simili modo explicata.

CXXVI. Plurimae portiones intestinorum tenuium. In aliis arteriae, in aliis venae sunt impletae.

CXXVII. Portio intestini. Valvulae cernuntur. Arteriae ita impletae sunt, ut tenuior materiëi pars per venas redierit.

CXXVIII. Magna portio intestini jejuni, ex adulto, inversa, sic praeparata, ut tunica nervea in cellulosam sit conversa.

CXXIX. Alius intestini portio simili modo praeparata.

CXXX. Alius intestini pars, simili modo praeparata.

CXXXI. Alius similis portio minor.

CXXXII. Mesenterium, cujus vasa impleta sunt, & pleraeque glandulae petrefactae.

CXXXIII. Mesenterium ex homine calculoso, in quo variae glandulae sunt petrefactae. Adnexa pars intestini est.

CXXXIV. Meſenterii humani portio. Arteriae impletae ſic, ut materies per venas redierit, & vaſorum ramificationes egregie conſpiciantur.

CXXXV. Portio meſenterii ejusdem hominis. Adnexa eſt inteſtini pars.

CXXXVI. Meſenterii portio, in qua vaſa injecta. Jejuni inteſtini pars adhaeret, paſiter impleta.

CXXXVII. Hepar infantis recens nati, penitus materie rubra repletus.

CXXXVIII. Lien humanus, cujus vaſa materie ceracea impleta.

CXXXIX. Lienis humani fruſtum, ſimili modo praeparatum.

CXL. Cyſtis fellea ex adulto cum ductu cyſtico & parte choledochi. In ejus collo conſpiciuntur, ita dictae a nonnullis, valvulae.

CXLI. Cyſtis adulti integra cum ductu cyſtico & portione choledochi.

CXLII. Cyſtis adulti integra cum ductu cyſtico, parte choledochi, & ductu hepatico duplici.

CXLIII. Veſicula fellea integra cum ductu cyſtico, ut & portione ductus hepatici & choledochi. Vaſa arterioſa optime impleta ſunt.

CXLIV. Ductus thoracicus cum inſigni glandula lymphatica dorſali, mercurio impletus. Adhaeret vena ſubclavia, in qua ad aperturam ductus valvula conſpicitur.

CXLV. Ductus thoracicus, pulcherrimus, cera rubra impletus, cum ciſterna lumbari, in quam quatuor vaſa lactea confluunt. Adhaeret vena ſubclavia cum jugulari ſiniſtra, ut pateat inſertio.

CXLVI. Ciſterna lumbaris, cera rubra impleta, multis, diverſisſimisque ramificationibus compoſita, cum parte ductus thoracici.

CXLVII. Ciſterna lumbaris diverſae figurae cum portione vaſis chyliferi, cera alba impleta.

CXLVIII. Mercurio impleta ciſterna lumbaris, conſtans variis ramulis, ſingulari modo inflexis. Adhaeret portio ductus thoracici.

CXLIX. Vas chyliferum integrum, mercurio impletum. Cernitur inſertio in venam ſubclaviam.

CL. Tota via chylifera, eleganter praeparata. Ciſterna lumbaris, vas chyliferum, ad inſertionem usque cera alba turgent; vena ſubclavia, jugularis, axillaris ſiniſtra, cum ramis vicinis, materie viridi, impletae ſunt.

CLI. Principium inteſtini craſſi, ſeu caecum, cum portione ilei extrema, & appendice vermiformi. Ligamenta tria, valvulae immutatae cernuntur.

CLII. Inteſtinum caecum ex adulto. Eadem pulcherrime apparent.

CLIII. Simile praeparatum ex infante. Vaſa nonnulla impleta ſunt.

CLIV. Simile ex infante. Arteriae optime ſunt impletae. Diverſae earum ramificationes in tenui & in craſſo inteſtino apparent.

CLV. Inteſtinum caecum cum fine ilei ex infante recens nato.

CLVI. Inteſtinum caecum & ileum adulti, ita praeparatum, ut prudenti ſectione deleta ſit valvula coli, & ileum continuetur in ſaccum caeci.

CLVII. Inteſtinum caecum ex homine adulto cum portione ilei & coli, praeterna-

ternaturaliter conſtituti. Inteſtini ilei pars extrema, ad caecum accedens, eique per multam & firmam ſubſtantiam celluloſam alligata, priusquam in hujus ſaccum aperitur, valde dilatatum eſt, ut infundibuli figuram non male referat. Appendix vermiformis, ex poſteriore, parumque ſiniſtra, fundi caeci parte dependens, eum inter & ilei finem ſiniſtrorſum producta & inflexa eſt. Inteſtinum caecum magnum, & valde diſtentum, ad ſolitam fere altitudinem adſcendit, ſenſimque anguſtatum abit in colon, quod ſiniſtrorſum tendens flexuram efficit primam anguloſam, adeo plicatam & anguſtam, ut in cadavere non absque difficultate transmitti poſſet flatus in caecum impulſus. Ab hoc loco maxime inflexum colon pergit ſiniſtrorſum & deorſum, juxta latus ſiniſtrum caeci, cui per multam & tenacem celluloſam, pinguedine refertam, adnexum eſt, donec pertingat ad coalitum ilei cum caeco, cum quo itidem connectitur. Inprimis autem verſus illum coalitum ſingulae hae partes inter ſe firmiter nectuntur lamina membranacea, ex denſiſſima celluloſa facta, quae tantam prae ſe fert firmitatis ſpeciem, ut, jam a nativitate haſce partes ita diſpoſitas fuiſſe, credibile ſit. Iſto decurſu abſoluto, colon format flexuram anguloſam ſecundam, omnino praeternaturalem, & adeo acutam, plicatamque, ut quoque cum difficultate flatui impulſo viam concederet; ab eo loco ſurſum & parum dextrorſum tendens, per multam celluloſam tractui ſecundo eſt adnexum, pergitque ultra flexurae primae altitudinem, & tum demum efformat flexuram tertiam, ſatis ſimilem illi, quae naturaliter in latere dextro adeſſe ſolet, adeoque minus acutam & reſiſtentem. Ab hoc denique angulo colon ſub ventriculo ex transverſo per abdomen pergebat. Obſervat. Academ. cap. 3. §. 4. pag. 66. tab. 6. fig. 2.

CLVIII. Inteſtini coli transverſi & ſiniſtri pars, cum inſigni flexura. Ubi colon ad lienem accedebat, non formabat flexuram ſolitam, ſed efficiebat anſam ingentem, quae oblique verſus ſuperiora & ſiniſtrorſum extenſa, ultra ſex pollices, in inteſtino, quod flatu eſt diſtentum, longa, & lieni, vicinisque partibus alligata erat vinculis cellulosis & membranoſis. Introitus illius anſae, nec non exitus ejus, plicis & rugis adeo erant obſeſſi, & anguſtati, ut a parte coli ſuperiore aut inferiore, aegre aliquid ingredi poſſet, ſique ſemel illa obſtacula vicerat id, quod intus in illa incluſum eſſet, vix ac ne vix quidem egredi valeret. Margines inteſtini, ſe invicem reſpicientes, validiſſime coaliti ſunt per membranaceam ſubſtantiam, tenacem, inſigni vaſorum copia ſtipatam, adipe refertam, meſocoli partem prae ſe ferentem, qua totum intervallum erat adimpletum. Obſervat. Academ. cap. 3. §. 6. pag. 67. tab. 6. fig. 3.

CLIX. Flexura coli tertia ex infante. Adhaeret portio meſocoli. Arteriae materie rubra impletae.

CLX. Portio inteſtini coli cum adhaerente meſocolo. Impleta ſunt vaſa arterioſa & venoſa.

CLXI. Similis portio minor.

CLXII. Inteſtinorum craſſorum & tenuium pars magna, cum appendice praeternaturali, ex ileo proveniente. Ad diſtantiam circiter ulnae ab inſertione inteſtini ilium

ilium in coecum; menſura facta poſtquam tubus inteſtinalis in rectum extenſus erat, ex ea parte ilei, quae meſenterio oppoſita eſt, appendix facciformis prodit, quatuor fere pollices longa, cândem ferme, qua ipſum inteſtinum, capacitate praedita, in principio tamen quodammodo contracta, dein ex colli ſpecie in ſaccum ampliorem, indeque in finem, ſeu extremum tenuius & coecum, terminata, amplo orificio cum cavo tubi inteſtinalis communicantem. Ex hujus diverticuli caeco extremo prodit ſpecies funiculi valde tenacis, talem ferme ſubſtantiam habentis, qualis in ligamento rotundo hepatis, aliave ſimili parte occurrit, qui, lineam circiter craſſus, dextrorſum adſcendens, juxta plicam, quam inſertio ilei in coecum format, procedens, firmiter adnectitur parti laterali ſiniſtrae caeci, aliquantum verſus poſteriora, ut aeque ab hoc, ac ab ilei appendice oriri videretur. Quum vero haecce chorda brevis eſſet, & tenſa, in cadavere ſaccum trahebat ſurſum, non tantum, ſed & omnem hujus inteſtini partem, quae ab illa appendice usque ad craſſorum principium occurrebat, magisque deorſum in latere dextro abdominis locata, & in gyros formata erat, tam arcte comprimebat, ut, primo adſpectu inſtar laquei conſtringentis apparens, ſummam excitaret admirationem, faceretque mirabilis incarcerationis internae cauſam, quae in vivente femina, de tempore in tempus, dolores colicos produxerat, deinde vero tormina adeo violenta, terribilibus adeo ſymptomatibus ſtipata, ut quadrageſima octava, poſt morbi acceſſum, hora ipſi fuerit moriendum. Cadaver exrrinſecus nil notandum exhibebat, niſi quod abdomen totum, maxime ea partc dextra laterali, quae jam a morbi principio doloroſa fuerat, ultra modum eſſet tumidum. Abdomine aperto, mox inteſtina tenuia, flatibus ſummopere extenſa, erumpebant magna vi foras. Omentum ita ab inteſtinis ſurſum devolutum erat, ut haec contingerent peritonaeum, in ſuperiore parte laterali cum iis firmiter coalitum. In inteſtino ileo in regione iliaca dextra cavi abdominis violentiſſima erat incarceratio, indeque nata inflammatio & gangraena, quae occupabat omnes illius flexus gyroſos, a loco conſtrictionis usque ad finem ilei ſitos, ſed ultra illos non erat extenſa. In omni parte incarcerata color erat ruberrimus, aut potius lividus & nigricans, in reliqua naturali ſimilis. Tota illa inteſtini moles in globum quaſi coacta, tumida valde, ſpeciem herniae incarceratae internae exhibebat, aëre inſigniter diſtentae; continebat praeterea fragmentum oſſis bovini, octo circiter lineas pollicis longum, & quatuor latum, cum carne bovina, quam haud ita diu ante comederata, veriſimiliter ingeſtum, ſcabrum, aſperum, quod, feliciter quidem ad locum hunc usque propulſum, exitum tamen ipſius coarctatum tranſire non valuit. Obſerv. Academ. Cap. 5. §. 14. pag. 79.

Renes & viae urinae.

CLXIII. Renis humani dimidia pars, impleta, balſamo indurata.

CLXIV. Similis renis portio, ſimili modo praeparata.

CLXV. Totum ſyſtema uropoïeticum cum partibus genitalibus ex puella. Impletio pulchre ſucceſſit. Arteria aörta cum ſuis ramis, vena cava, uterque ren cum cap-

capſulis, ureter dexter, ſiniſter duplex, veſica urinaria, uterus cum reliquis genitalibus, inteſtinum rectum, adſunt.

CLXVI. Syſtema uropoïetium ex puero. Renes, ureteres, & veſica, cum arteria aörta, emulgentibus, iliacis, aliisque impletis cera rubra.

CLXVII. Syſtema aörtae & venae cavae, cum iliacis, meſentericis, emulgentibus, aliisque ramis rubra cera impletis. Renes & Ureteres adſunt. Ex infante.

CLXVIII. Pelvis renis adulti cum ſuis ramis, papillas renales amplectentibus, & ureteris initio. Cera injecta partes diſtentas tenet.

CLXIX. Veſica urinaria ſiccata, aperta, cum utroque uretere, ut inſertio pulchre pateat.

CLXX. Veſica cum utroque uretere inflata. Veſicae ſeminales & ductus deferentes, egregio ſpectaculo, cerâ rubra impletae ſunt.

CLXXI. Veſica feminae cum duplici uretere dextro.

CLXXII. Veſica foetus. Vaſa impleta ſunt.

Genitalia viri.

CLXXIII. Tunica teſtis vaginalis, cum vaſis corporis pampiniformis, impletis.

CLXXIV. Teſtis ſubſtantia, detracta albuginea, ſiccata, cum corpore pampiniformi, impleto cera. Epididymis & ductus deferens mercurio diſtenti ſunt.

CLXXV. Segmentum penis, cujus corpora cavernoſa, ut & celluloſa, inflata ſunt.

CLXXVI. Segmentum penis, cujus corpora cavernoſa materie rubra ſunt impleta.

CLXXVII. Penis, cujus arteria pudenda, & corpus cavernoſum urethrae, ut & glans, mercurio ſunt impleta.

CLXXVIII. Pars penis anterior, cujus duo corpora cavernoſa materie rubra, corpus vero ſpongioſum urethrae & glans materie viridi ſunt impleta. Diviſio facta pulchre docet, quomodo anterius terminentur corpora cavernoſa penis, & corpori cavernoſo urethrae continuetur glans.

CLXXIX. Ejusdem penis impleti pars poſterior.

CLXXX. Penis, in duas partes diviſus, cujus corpora cavernoſa materie viridi, corpus ſpongioſum urethrae, glans, & arteriae, rubra impleta ſunt.

CLXXXI. Penis integer, ſimili modo praeparatus.

CLXXXII. CLXXXIII. Duo ſegmenta penis balaenae.

Secundinae. &c.

CLXXXIV. Placenta infantum gemellorum, cum parte membranarum & ſepti medii. Vaſa pulcherrime ſunt impleta, in una venae rubent, arteriae viridi materie turgent; in altera vena viridi, arteriae rubra materie ſunt repletae. Adſunt portiones funiculorum.

CLXXXV. Placenta cum parte membranarum & funiculi portione inſigni. Hujus atque placentae vaſa impleta ſunt; arteriae rubra, venae viridi materie.

CLXXXVI. Placenta alia, ſimili modo impleta, cum portione membranae amnios ſeparata.

CLXXXVII. Placenta integra cum portione funiculi umbilicalis, cujus vaſa, arterioſa & venoſa, penitiſſime materie rubra ſunt impleta.

CLXXXVIII. Ejusdem reliqua pars funiculi umbilicalis, longiſſima, cujus vena materie viridi, arteriae rubra, impletae ſunt.

CLXXXIX. CXC. Duae portiones funiculi umbilicalis, quarum arteriae & vena inflatae ſunt, reliqua ſubſtantia exſiccata.

CXCI. Alius funiculi portio ſimili modo praeparata.

Calculi.

CXCII. Calculus major in veſica inventus. Urethrae inpactus haerebat alter minor, qui adjacet.

CXCIII. Fragmenta calculi, in veſica virginis annoſae inventi.

CXCIV. Calculus veſicae, ovalis, applanatus, ſcaber.

CXCV. Calculus veſicae, rotundus, maxime ſcaber, nucem juglandem magnitudine referens.

CXCVI. Calculus veſicae applanatus, circularis, extrinſecus quaſi cryſtalliſatus.

CXCVII. Ectypus calculi veſicalis, per urethram virginis, ſeptemdecim annos natae, extracti, a Clar. Wagler, Archiatro Brunsvicenſi cum Cl. van Doeveren communicatus.

CXCVIII. Calculus bilioſus, alvo redditus, a matrona, ſeptuaginta & octo annos nata, poſt perpeſſas per triduum horrendas anxietates, cum continuis ad vomitum conatibus, imo & vomituritione non interrupta, praecordiorum ſumma compreſſione, & alvo ad plurima & diverſa enemata pertinaciter reſiſtente. Pondus, elapſo poſt excretionem bihorio, fuit circiter trium drachmarum.

CXCIX. Calculi fellei, alvo excreti, Ectypus; a Clar. Wagler cum Clar. van Doeveren communicatus.

CC. Calculi biliarii parvi.

CCI. Calculi ramoſi, tubuloſi, ex veſica fellis bovina. Mentionem de iis fecit Doct. ten Haaf in Diſſ. de bile cyſtica cap. 8. pag. 65. ſeq.

CCII. Lapis Bezoar ex Cervo. Conf. Buffon Hiſt. Nat. du Cerf. tom. 6. De praecipuis calculis in Sectione hujus operis ſextâ dicam.

Alia.

CCIII. Cornu ex integumentis enatum.

CCIV. Pili, qui prodierunt ex abſceſſu in abdomine.

IV

OSSA

MORBOSA.

OSSA

MORBOSA.

Ampliſſima rariſſimisque exemplis ditiſſima eſt Collectio noſtra oſſium, morbo aut naturae luſu, a ſtatu ſano vel naturali aberrantium. Hujus vero deſcriptionem ſuſcepturo, is mihi optimus viſus ordo eſt, qui, primo, uno eodemque morbo adfectum totum ſceletum traderet, dein caput, truncum, artus, eorumque oſſa, variis & ſaepe multiplicibus vitiis laborantia, ſiſteret, dum toti operi adjectus index illos, qui forte alium, a morbis deſumtum, ordinem ſibi exoptaſſent, manu ducet, ut hunc vel illum adfectum, in diverſis oſſibus deſcriptum & depictum, una ſerie examinare poſſint. Praeparata, quorum icones huic operi additae, qua tabula, quaque figura delineata ſint, *in data expoſitione monui*, non autem neceſſe duxi, omnes, multis figuris adſcriptas, litteras, *deſcriptioni inſerere*; additae ipſis tabulis vel generales, vel magis ſpeciales, immo ſubinde ſubtiliores explicationes, intellectui eorum inſervient, quae forte ex ſola deſcriptione non rite comprehendi potuerunt.

No. I.

Truncus integer feminae, cum ſcapulis, partibus ſuperioribus oſſium humeri & femoris, per emollitionem totius compagis oſſeae inſigniter vitiatus. Columna quidem vertebrarum, in parte inferiore thoracis parum inflexa, caeterum naturalis exiſtit; ſed magnam mutationem ſubierunt oſſa, thoracem, pelvimque conſtituentia. Ab anteriore conſpiciendum ſternum ex uno oſſe conſtat, leve tantum cernitur veſtigium nexus oſſis primi & ſecundi; ſecundum rotundulo margine videtur deſinere, ſed ex media & inferiore ejus parte exit tertium oſſiculum, tenue, cum ipſo perfecte concretum, & in latam ſatis cartilaginem terminatum. Ad ſuperiorem partem ſterni accedunt claviculae; ſiniſtra integra, ſed rectior, dextra fracturam paſſa eſt non longe a loco, qui proceſſui coracoïdeo ſcapulae adcumbit; haec ſanata eſt, ſed tali ratione, ut pars poſterior, quae cum ſummo humero nectitur, depreſſa ſit, & angulum ferme rectum cum priore parte faciat. Coſtae nullae ſanae ſunt, omnes plures paucioresque fracturas ſunt paſſae, quae ſanatae quidem ſunt, ſed tali modo, ut non tantum omnium ſuperficies, inaequales, nodoſae quaſi, redditae ſint, ſed etiam

etiam naturalis figura adeo mutata appareat, ut aliae, introrſum preſſae, thoracis cavum anguſtent, aliae, extrorſum prominentes, latera inaequalia reddant; tot verbo adſunt fracturae, ut omnes deſcribere vix poſſibile ſit, & ex figuris in Tabula I. II. III. illae, ut & mutationes, quas produxerunt, melius cognoſci queant.

Omnia, quae pelvim componunt, oſſa ſingularem merentur attentionem. Fundamentum totius ſpinae, Os ſacrum, ea parte, cui a lateribus adhaerent ligamenta Sacro-iſchiadica, tantopere antrorſum vergit, ut apex ipſius verſus interiora ſit inflexus, cum eo nexa coccyx multum intra pelvim adſcendat, & inter coccygem, & anteriorem ſuperficiem oſſis Sacri, ubi prima ipſius foramina ſunt, ſesquipollicis tantum diſtantia detur. Oſſa Ilia, ab interiore parte multum excavata, ab exteriore rotundula, fracturas exhibent, ab inciſuris Sacro-iſchiadicis rurſum retrorſumque incedentes; hac de cauſſa oſſium innominatorum partes, quae ultra os ſacrum prominent, huic quaſi appreſſae ſunt, & in eadem linea cum proceſſibus ſpinoſis vertebrarum lumborum inveniuntur. Tubera oſſium Iſchiorum, quae ſedentis truncum ſuſtinent, magis verſus exteriora ſunt incurvata. Rami, ab his ad oſſa Pubis adſcendentes, non longe a tuberibus fractura, in cadavere adhuc mobili, laborabant, ſimilisque aderat, non longe a loco, ubi ad corpora oſſium pubis appropinquant, hinc primo accedunt ad ſe invicem, & ſpatium intermedium vix pollicare ſupereſt, dein, verſus exteriora prominentes, rotundulum cum oſſibus pubus marginem formant. Rami ſuperiores oſſium pubis, qui in os iſchium tendunt, non longe ab acetabulis, fracturam paſſi ſunt, & hae etiam partes multum introrſum ſunt preſſae, adeo ut figura orae ſuperioris pelvis admodum irregularis, interrupta ſit, praeſertim quia pars ſuperior oſſis ſacri cum ultima lumborum vertebra multum verſus anteriora prominet; hinc diſtantia inter os ilium dextrum & os ſacrum eſt circiter ſesquipollicis, in latere ſiniſtro autem paulo major. Diſtantia inter nexum ultimae lumborum vertebrae cum ſacro & illam orae pelvis partem, quae correſpondet cum margine anteriore acetabuli, eſt pollicis unius in dextro, ſesquipollicis ferme in ſiniſtro latere. Nexus oſſium pubis a nexu ſacri cum ultima lumborum vertebra duos pollices & dimidium diſtat. Inter dicti nexus oſſium pubis marginem inferiorem & apicem coccygis diſtantia eſt trium pollicum & dimidii; inter tubera oſſium iſchii, ubi ligamenta Sacro-iſchiadica inſeruntur, duorum cum dimidio; ab anteriore vero, ubi rami, ad oſſa pubis adſcendentes, oriuntur, diſtantia vix pollicem ſuperat. Conf. Tab. IV. Fig. 2. 3.

Quam ſcapulae, tenuiſſimae, ſubierint, mutationem verbis vix deſcribere licet; obediverunt muſculorum motui, inaequaliter prominentibus coſtis ſeſe accommodarunt, atque inter ſpatia, ab iis relicta, ſeſe quaſi inſinuarunt. Spinae ipſarum, quae in ſummum humerum terminantur, fracturas etiam paſſae ſunt. Tab. IV. Fig. 1.

Artuum oſſa omnia, tenuiſſima talem prae ſe ferunt habitum, qualem in rachiticis obſervare ſolemus. Ex emollitione indeque nata fragilitate totius compagis oſſeae, omnes, deſcriptae, aberrationes, omnia mala, videntur ſuborta, praeſertim cum talia obſervare ſolemus in infantibus rachiticis, in quibus & ſpina & pel-

pelvis, & artuum ossa miro modo subinde degenerant, quemadmodum sequenti articulo describendum praeparatum confirmat.

II. Spina cum pelvi, scapulis, & superioribus partibus ossium humeri ac femoris, a rachitide multum vitiata, ex infante. Spina primum versus sinistrum, tum versus dextrum, denique rursus versus sinistrum latus flexa est: superiores duae lumborum & tres subsequentes dorsi vertebrae hac de causa in latere dextro multum compressae, in sinistro crassiores. In octava, sexta, septima dorsi contrarium plane locum habet. Ossa pelvis praecipue insolitam acquisiverunt formam; in genere admodum crassa sunt, sed simul admodum spongiosa. Margines ossium innominatorum versus interiora curvati; ossa ipsa, eapropter ab interiore prope nexum cum sacro multum excavata, ab exteriore admodum gibba. Ubi ossa ilium cum ossibus pubis cartilaginum interventu (ut hac aetate semper locum habet) nectuntur, ad interiorem partem maximopere sunt propulsa, arctant itaque pelvim his in locis multum, oramque superiorem admodum inaequabilem reddunt, sic ut haec pelvis, quoad formam, multum conveniat cum ea, quae praecedenti articulo descripta est, & vix nisi magnitudine differat. Inferior sacri pars, praecipue vero coccyx, multum versus interiora curvatae sunt. Partes superiores ossium femoris maximopere intumuerunt, sic etiam artuum superiorum ossa. Scapulae crassitiem insolitam nactae sunt.

III. Sceleton rhachitici. Artus praecipue a naturali statu & forma recedunt, &, ut hujus degenerationis etiam exemplum exstet, Tab. V. delineantur. Femur dextrum, non adeo incurvum, inter partem & externam & internam multum compressum; tibia vero circa mediam partem sic versus exteriora incurvata, sequente hanc curvaturam fibula, ut, cum his ossibus, nexus pes extremus plantâ versus exteriora dirigatur. Magis a forma naturali recedit artus inferior sinister. Femur media sua parte inter partes externas internasque sic compressum est, ut pars ipsius posterior in aciem quasi acutam desinat, simulque tantam curvaturam versus anteriora facit, ut inter caput femoris ac condylos distantia parva supersit. Tibia & fibula primum retrorsum, dein versus latus externum sic incurvantur, & flectuntur, ut & hujus lateris pes plantâ suâ versus exteriora dirigatur, totus sic incurvatus, ut metatarsi ossa ad calcem dirigantur. Dextri ossis humeri pars inferior introrsum conversa, tota quanta mutata, cum radio atque ulna, quorum ossium capita insolitam habent figuram, conjungitur singulari modo; habent autem ossa haec insignem curvaturam. In sinistro latere simili modo & articulatio cubiti, & ossa, quae cubitum constituunt, sese habent; sed omnes hae mutationes, verbis vix describendae, ex figuris Tab. V. optime cognoscuntur.

IV. Cranium infantis, neonati, hydrocephalo & spina bifida laborantis, publice a me dissecti. Contentae aquae fluctuatio manifesta erat, cedebant etenim facile digitis ossa, multum a se invicem remota, & solis integumentis videbantur contineri. His vero separatis, membrana inter ossa, eorumque partes, lata quidem & maxime extenuata, sed firma admodum apparebat, & per eandem transparens con-

spi-

ſpiciebatur aqua, quae, in cavitatibus cerebri, ut videtur, collecta, diſtenderat, conſumſerat omne cerebrum.

Quae ſupra oculorum cava ſunt partes, quae inde verſus latera incedunt, praecipuam mutationem ſubierunt, non tamen ſic, quin facies in diverſis, quae ipſam componunt, partibus, vario etiam modo ſit mutata. A radice naſi per frontem, verticem, occiput, ad foramen oſſis occipitis magnum, diſtantia erat undecim & quod excurrit pollicum. Ab apice partis ſquamoſae oſſis temporis ad eandem partem dicti oſſis oppoſiti lateris diſtantia erat octo pollicum cum dimidio. Circumferentia totius capitis, ſumta parum ſupra oculorum orbitas, fuit quatuordecim pollicum cum dimidio.

Partes membranaceae, quae inter oſſa omnia conſpiciebantur, erant multo latiores, quam eſſe ſolent; oſſa majorem acquiſiverant extenſionem, absque ut tamen eſſent tenuiora. Partes duae, quibus os frontis ſemper in neonato conſtat, ad ſesquipollicem ſupra naſum, penitus cohaerebant, inde ad fontanellam parum a ſe invicem receſſerant; dimotae eaedem partes, aſt non multum, erant ab illis oris oſſium verticis, quae in adultis ad formandam ſuturam coronalem concurrunt. Fontanella ergo non admodum magna erat. Plus diſtabant verticis oſſa, praecipue verſus poſteriora, adeo ut, prope fontanellam diſtantia vix quartae pollicis parti aequalis eſſet, inter eadem oſſa, ubi orae verticales deſinunt, & oſſa haec ad nexum cum oſſe occipitis perficiendum verſus latera recedunt, pollicem ſuperaret, ſimilisque diſtantia in quoque latere inter illa oſſa & apicem oſſis occipitis, daretur. Amplisſima ergo pars membranacea erat inter oſſa verticis & occipitis, & per eandem partes oſſeae radiorum adinſtar ſeſe diſtribuebant. Remotae pariter inſigniter partes mammillares & ſquamoſae a vicinis oſſibus erant, quae illa caeterum ferme adtingere ſolent, ſic quidem, ut inter mammillares partes, & oſſa verticis pollicaris diſtantia daretur, inter ſquamoſas & eadem oſſa invenienda membrana dimidium pollicem ſuperaret. Laterales proceſſus oſſis multiformis, ad aequalem ferme diſtantiam a verticis oſſibus, paulo minus a frontis, remoti erant.

Quum autem dicta oſſa omnia tantopere a ſe invicem recederent, & multo amplior exiſteret calvariae capacitas, aliter eſſe non potuit, quin major diſtantia etiam eſſe debuerit inter partes, quae ad baſin cranii, quae ad faciem formandam, concurrunt. Inter radices proceſſuum zygomaticorum diſtantia erat pollicum trium cum dimidio; ſinus ergo, ad illas radices poſiti, pro articulo maxillae inferioris, ſolito plus a ſe invicem erant remoti, & tota haec pars baſeos cranii erat latior. Maxillae inferioris condyli, eadem de cauſa, plus diſtabant. Propter receſſum proceſſuum zygomaticorum, verſus latera quaſi tracta erant oſſa jugalia, & cum his nexa maxillaria ſuperiora; latitudo hinc faciei adaucta, longitudo imminuta; palatum amplius.

Oſſa ipſa cranii, ſi non omnia, ſaltem plurima, mutationem magis minusve notabilem ſubierant, & in depurato cranio ſequentes detegere licet deviationes. Partium, quae os frontis componunt, a radice naſi ad fontanellam, longitudo eſt pollicum

licum trium cum dimidio, latitudo in parte inferiore duos ſuperat; illae harum lamellae, quae partem ſuperiorem orbitarum formant, oculorumque cava a conceptaculo cerebri diſtinguunt, admodum deſcendunt, ſic ut intra orbitas promineant, & capacitates, quas oculi occupant, multum imminuant; tenuisſimae praeterea ſunt & variis in locis foraminibus pertuſae. Receſſerunt multum ab hiſce lamellis proceſſuum lateralium oſſis multiformis partes, quae concurrunt ad formanda oculorum cava. Haec alio etiam ſenſu mutata ſunt, oſſibus jugalibus ſolito plus verſus latera dimotis. Aperturae narium anteriores ampliores ſunt. Verticis oſſa admodum extenſa ſunt. Ora anterior frontalis quatuor pollices longa eſt, ſuperior verticalis cum ea ferme convenit; poſterior ſeu occipitalis tres pollices aequat, inferior non multum a praecedenti, quoad longitudinem, recedit. Oſſa haec, admodum convexa, praecipue & maxime protuberant iis in locis, ubi naturali in ſtatu magis etiam prominere ſolent, quemadmodum frontis oſſa, multum prominula, illas partes, quibus lobi priores cerebri accumbunt, maxime extantes offerunt. Oſſis occipitis, in foetu ex quatuor oſſiculis compoſiti, pars ſuperior, quae ſe inter oſſa verticis interſerit, longitudinem habet trium pollicum cum dimidio, eandemque latitudinem, ubi fiſſurae laterales adſunt. Reliquae ejusdem oſſis portiones non adeo multum magnitudine increverunt, & ea oſſa, quae reliquam baſeos cranii partem conſtituunt, ſolito modo ſeſe habent. In Tab. VI. Fig. 1. 2. 3. hoc cranium ab anteriore, a latere, a poſteriore exhibetur.

V. Cranium infantis, recens nati, hydrocephalo inſigni laborantis. Die 8. Julii 1791. vocabatur expertisſimus & dexterrimus hujus urbis chirurgus atque obſtetricans Sock, qui meam collectionem oſſium morboſorum hoc cranio adauxit, ad parturientem, quae, diriſſimos ac fruſtraneos partus labores per aliquot temporis ſpatium perpeſſa, mentis impos, violentis vexabatur convulſionibus. Adfirmabat obſtetrix, foetus caput bene eſſe collocatum, ſed liquorem amnii nondum effluxiſſe. Exploratione autem inſtituta ad introitum pelvis ſaccum detegebat, magnum, cum tumore, a velamentis, liquore amnii diſtentis, formari ſolito, quodammodo contenientem, ſed revera ab hydrocephalo productum, qui tantae erat amplitudinis, ut circumferentia capitis inſigniter ſuperaret capacitatem pelvis. Aperiebat itaque caput ope forficis Smellianae a parte poſteriore; & ſtatim inſignis aquae quantitas effluebat; indicem dextrae manus factae aperturae immittebat, & partus abſolvebatur facile. Totum corpus infantis erat hydropicum, nec ab hoc morbo plane libera erat mater.

Figura cranii admodum notabilis eſt, & magnitudo ipſius atque extenſio, praeſertim in dextro latere, inſignis. Longe majorem etenim quantitatem aquae in dextro, quam in ſiniſtro latere fuiſſe collectam docet decurſus proceſſus falciformis, ſeſe inter duo oſſa frontis retrorſum juxta os verticis ſiniſtrum extendens, ſed ab oſſe verticis dextro circiter ſesquipollicem diſtans. Linea, a nexu oſſis frontis dextri in glabella circum caput ad eundem locum in oppoſito latere eſt ſexdecim pollicum & dimidii. Diſtantia a radice naſi per ſuperiora capitis ad foramen magnum oſſis

ossis occipitis undecim & dimidii. Distantia ab annulo, membranam tympani continente, ad eundem annulum oppositi lateris duodecim pollicum. Ossa frontis a margine supercilii ad fontanellam, tres pollices longa, duos & dimidium latitudine superant. Distant multum haec ossa ab ossibus verticis atque temporum. Adest autem in membrana, quae dicta ossa nectit, inter verticis nempe & frontis ossa, separatum osticulum, sesquipollicem latum, & ferme ejusdem longitudinis. Os verticis dextrum irregularem admodum figuram habet. Latus inferius a priore apice ad posteriorem longitudinem habet quatuor pollicum & dimidii; posterius inaequale, medio loco quasi deficiens; anterius & superius minus a solita forma recedunt, totum vero os admodum incurvum est. Sinistrum verticis os, non adeo mutatum, sed tamen minime regulare. Ossis occipitis pars superior, duos pollices cum dimidio longa, & ejusdem latitudinis, tres illas, quas habere solet, incisuras, vix monstrans, magis versus dextrum quam versus sinistrum latus sese extendit. Inter hujus ossis partem sinistram & vicinum os verticis separatum etiam osticulum conspicitur. Innumera autem, ad minimum quadraginta, majora, minora, minima, separata ossificationis principia dantur, praecipue a latere sinistri ossis verticis, ubi subest durae matris processus falciformis. Partes faciëi, ut & illae, quae basin cranii formant, & a latere foraminis magni atque ante illud dantur, vix mutationem subierunt. Oculorum tamen cava justam amplitudinem non habent, lamellae etenim ossium frontis, quae inter illa atque conceptaculum cerebri dantur, pondere aquae multum sunt depressae, quale quid semper locum habere ex aliis craniis, simili morbo adfectis, jam descriptis, aut describendis, patet. Tab. VII. Fig. 1. 2. 3. hoc cranium a superiore, posteriore, & inferiore delineatum sistit.

VI. Cranium infantis neonati, spina bifida laborantis, incipiente hydrocephalo, solito magis distentum. Fontanella anterior praecipue deorsum sese extendit ad medium os frontis, adeo ut de utraque parte hujus ossis solito major portio deficiat. Supra supercilii dextri marginem versus angulum oculi internum defectus ossificationis cernitur, qualis etiam in eodem latere adest in lamella ejusdem ossis, quae conceptaculum cerebri a cavo oculi distinguit.

VII. Cranium puellae, primo aetatis anno vix elapso, ex hydrope cerebri defunctae. Justas capitis dimensiones dare non licet, quia apertum cranium male siccatum est. Fontanella admodum ampla. Ossa prae aetate non admodum tenuia; excipiendae tamen sunt illae partes ossis frontis, quae superiora cavi oculi formant, hae enim non solum tenuissimae, sed multis admodum foraminibus pertusae, & intra foramina oculorum multum depressae.

VIII. Pars superior cranii infantis, hydrocephalo adfecti. Insignem magnitudinem acquisiverunt ossa verticis; partes duae ossis frontis jam confluxerunt, attamen fontanella ampliissima est, & irregularis formae; ab uno latere ad alterum ad longitudinem quinque pollicum sese extendit; a futura sagittali versus anteriora & latus sinistrum latitudinem habet trium pollicum & dimidii, contra in latere dextro vix duorum.

IX. Cranium infantis, qui hydrocephalo laboravit. Faciëi ossa vix mutata sunt.

Den-

Dentes ſecundi in alveolis adhuc deliteſcunt, &, etiamſi tertius dens molaris in utroque latere prodierit, margo tamen alveolaris, ubi primi & ſecundi molares ſeſe manifeſtare deberent, accedentibus ad ſe invicem lamellis internis externisque, penitus clauſus eſt. Oſſa frontis, verticis, ſquamoſa, occipitis pars ſuperior maximam mutationem ſubierunt, & inſigniter expanſa ſunt, praecipue in lateribus. Circumferentia capitis eſt octodecim pollicum cum dimidio; diſtantia a meatu auditorio unius lateris ad eundem lateris oppoſiti tredecim pollicum; a radice naſi ad marginem poſteriorem foraminis magni pollicum quatuordecim. Coronalis ſutura non recto tramite a ſiniſtro ad dextrum latus progreditur, ſed, antequam ad ſagittalem pertingit, intra os verticis ſiniſtrum ſeſe quaſi extendit. Ubi os ſquamoſum, proceſſus lateralis multiformis, & os verticis ad ſe invicem accedunt, in utroque latere diſtinctum officulum cernitur. Verticis os quodque in inſigne tuber adſurgit, ubi autem ſagittalis ſutura datur, depreſſio notabilis adeſt, qualis etiam conſpicitur, ubi olim fontanella fuit. Prominent praeterea etiam, qua parte ad oſſa ſquamoſa accedunt, quae & ipſa lateralem illum tumorem adaugent, & conceptaculum cerebri hac in parte latius reddunt. Eadem illa oſſa, ut & frontis atque occipitis pars ſuperior, multo majora ſunt, quam hac aetate eſſe ſolent.

X. Cranium infantis, qui pariter hydrocephalo laboravit. Non adeo verſus latera prominet, & in tubera adſurgit cranium, ac IX. Longitudo tamen ipſius inſignis eſt, & expanſio verſus latus ſiniſtrum & partem poſteriorem ſatis notabilis. Circumferentia hinc ſuperat eam praecedentis capitis, diſtantia a radice naſi ad foramen magnum etiam major exiſtit. Unicum os verticis adeſt, ſeu potius ab ipſo ortu duo hujus nominis oſſa ſic confluxerunt invicem, ut nullum ſagittalis ſuturae veſtigium adſit, aut unquam adfuerit. Dextrâ hujus oſſis parte multo latior eſt ſiniſtra. In dextro latere linea ducta a ſutura coronali mox ſupra os ſquamoſum ad ſuturam lambdiformen pollices quatuor non ſuperat; in ſiniſtro autem latere ſimilis linea quinque pollices & ultra longa eſt, & loco altiori differentia notabilior eſt, adeo ut lambdiformis ſutura etiam ſingularem habeat decurſum.

XI. Oſſa ſoluta cranii infantis, qui hydrocephalo laboravit. Praecipuam attentionem merentur oſſa verticis, frontis, occipitis. Verticis oſſa juxta ſuturam ſagittalem circiter quatuor pollices longa ſunt, juxta coronalem tres cum dimidio. In verticis oſſe dextro rotundum foramen cernitur. Quaeque portio oſſis frontis ab apice ad marginem ſuperciſii tribus circiter pollicibus aequalis eſt. Lamella, quae ſuperiorem partem cavi oculi format, ferme in eadem linea cum ſuperiore parte hujus oſſis procurrit, & confirmat, quae praecedentibus articulis dicta ſunt. Delineatio ea propter hujus oſſis tum ab exteriore, tum ab interiore parte Tab. VI. Fig. 4. 5. data eſt. Os occipitis ab apice ad foramen magnum, tres ferme pollices longum, in parte latiore aequalem ferme longitudinem habet.

XII. Oſſa ſoluta infantis adultioris, qui etiam hydrocephalo laboravit, verticis, frontis & occipitis, quae omnia multo majora ſunt, quam eadem oſſa cranii praecedentis.

XIII. Partes duae offis frontis, infantis recens nati, multis foraminibus pertuſae. In parte ſiniſtra deëſt ferme tota lamella, quae cavum oculi a parte ſuperiore terminat. Foramina duo notabilia in ea parte, quae alteram portionem reſpicit, cernuntur. In portione dextra foramina etiam duo apparent, & in lamella, ad cavum oculi pertinente, duo majora, totidemque minora adſunt. Tab. VI. Fig. 6. 7.

XIV. Cranium infantis junioris, in quo varii offificationis defectus adſunt, quinque in oſſe occipitis, duo majores, tres minores; duo in oſſe verticis ſiniſtro.

XV. Cranium feminae, quae hydrocephalo laboravit, admodum tenue, omni ferme ſenſu difforme & morboſum. Circumferentia hujus calvariae eſt circiter pollicum viginti duorum; longitudo a fronte ad medium offis occipitis, poſt factam ſectionem horizontalem menſurata, ſeptem pollicum cum dimidio. Diſtantia a meatu auditorio unius lateris ad eundem meatum lateris oppoſiti pollicum duodecim; linea a radice naſi per frontem, verticem, occiput, ad foramen magnum ducta, eſt pollicum quindecim cum dimidio. Longitudinem ergo inſignem habet, non vero notabilem altitudinem, & ſuperiori in parte quaſi compreſſum hocce cranium exiſtit. Oſſa cuncta ſi ſeparatim examinantur, haec non quidem multum magnitudine adaucta ſunt, verum tenuiſſima, ſic ut transparentia ſint. Quando enim dimenſiones horum offium comparavi cum iis, quae in ſaniſſimo capite ſunt, vix differentiam inveni notabilem, ſolum os frontis parumper latius & longius fuit. Hujus enim latitudo convexa maxima a tempore uno ad alterum ſeptem pollicum eſt; ejusdem altitudo convexa ab offibus naſi ad coronalem futuram ſex pollicum. Verticis oſſa nulla futura ſagittali diſtinguuntur, nec niſi leviſſimum ipſius apparet veſtigium, ubi cum coronali connecti ſolet, unicum ergo os conſtituunt, quod verſus poſteriora inaequali admodum modo protuberat, praecipue in latere ſiniſtro, & in utroque, praeſertim vero in ſiniſtro, tenuiſſimum eſt, ſic ut radii lucis non tantum transpareant, ſed diverſis in locis vix tenuiſſimae chartae craſſitiem habeat. Offis occipitis figura longe alia eſt, quam eſſe ſolet; hoc non adeo in ſiniſtro, quam in dextro latere protuberat, & hinc figura capitis a parte poſteriore, & decurſus futurae lambdiformis plane inſolita ſunt. Latitudo ipſius maxima eſt quinque pollicum & unius quartae partis. Squamoſae offium temporum partes, intrinſecus multum excavatae, prominent extrinſecus inſigniter, & duo quaſi tubera formant.

Mutationes autem, quas totum conceptaculum cerebri ſubiit, ſecto horizontaliter capite, optime patuerunt. Extenuata quam maxime eſſe cuncta oſſa, ipſa haecce ſectio docuit, qua ſimul patuit, ſervaſſe ea illam proportionem, quae quoad craſſitiem inter diverſa cranii oſſa obſervari ſolet. Lamellae offis frontis, quae ſuperiores foraminum oculorum partes conſtituunt, non horizontaliter ſeſe extendunt, ſed verſus interiora multum deſcendunt, & adeo tenues exiſtunt, ut multis in locis vera dentur foramina, cum cavis oculorum communicantia; non autem ubique eandem tenuitatem habent, ſed verſus latera conſpiciuntur depreſſiones, & inter eas acutiusculae eminentiae, ſic ut os quaſi eroſum videatur. Os cribriforme cri-

criſtam erigit inſignis longitudinis, quae ab anteriore lunato ductu in criſtam oſſis frontis terminatur, ſic tamen ut foramen coecum intermedium conſpiciatur. Ipſum os Ethmoïdes latitudinem notandam habet, praecipue a parte poſteriore, ubi cum baſi oſſis multiformis cohaeret, & hoc in loco pollicem aequat. Tota haec pars una cum dicta baſi admodum eſt depreſſa. Sella Turcica ſinum profundum repraeſentat, & communicat cum ſinu ſphaenoïdali per foramen rotundum ſatis amplum. Clinoïdei proceſſus anteriores juſtae magnitudinis ſunt, ſed poſteriores vix conſpiciuntur. Solitam figuram non habent foramina, inter baſim oſſis multiformis & proceſſus priores invenienda pro nervis opticis. Multo amplius foramen lacerum, quod inter ejusdem oſſis proceſſus laterales & priores datur, in ſiniſtro, quam in dextro, latere, quia illo in latere magis excavati proceſſus laterales oſſis multiformis ſunt, & magis a baſi & proceſſibus prioribus remoti. Foramen contra pro tertio ramo quinti paris nervorum multo amplius in dextro, quam in ſiniſtro latere, ut & illud, quod arteriae carotidi internae deſtinatum eſt. Eminentiis aſpera, mediisque ſulcis intrinſecus quaſi exarata, tenuiſſima, & transparens pars ſquamoſa oſſis temporis in utroque, magis tamen in ſiniſtro, latere eſt. Partes petroſae tenui & acuto margine ſe ad baſim multiformis extendunt. Quae pone foramen magnum oſſis occipitis eſt capacitas ampla admodum exiſtit, & oſſis illius pars, quae musculis immerſa eſt, praeprimis tenuiſſima deprehenditur. Veſtigium ſinus lateralis ſiniſtri alteriorem locum occupat, quam dextri, & in hoc veſtigium ſinus longitudinalis definit. Spina, cui adhaerere ſolet proceſſus falciformis, ut & illa, cum qua nectitur durae matris productio, ſeſe inter lobos cerebelli interſerens, magis verſus ſiniſtrum latus vergunt.

Interna ſuperficies partis ſuperioris conceptaculi cerebri non minorem ſubiit mutationem. Coronalis ſutura diſtincte apparet, ſagittalis vero non niſi parvum leviſſimumque veſtigium adeſt. Tenue os frontis eſt, & in nonnullis locis inſigniter excavatum, ſed praeſertim verticis oſſa adeo conſumta ſunt, ut de interna lamella, de diploë etiam, nihil ſuperſit, & vix lamella externa detur, immo haec in multis locis parvis foraminibus ſit pertuſa. In Tab. VIII. notabile hocce cranium a latere ſiniſtro & ab anteriore, in Tab. IX. a poſteriore, ſuperiore & interiore, delineatur.

XVI. Caput oſſeum, cujus oſſa, imprimis verticis & ſquamoſa, partes autem frontis anterior, occipitis ſuperior, & cuneiformis laterales, in vaſtam magnitudinem excreverunt, craſſa tamen & ſeſe undique contingentia. Maxilla autem ſuperior, & quibus haec adnectitur partes calvariae oſſium, oſſa petroſa, & inter haec media oſſis occipitis pars anterior, proceſſusque coronoïdei, a magnitudine conſueta non receſſerunt. Hoc modo Clar. Albinus hocce cranium deſcripſit. Supel. Anat. Rauianae N°. XXX. Hujus Operis pag. 5. Merentur vero dimenſiones omnium, quae mutationem ſubierunt, oſſium latius annotari. Longitudo oſſium verticis a ſutura coronali ad apicem ſuturae lambdiformis, eſt ſex pollicum rhenolandicorum, & quinque octavarum partium pollicis. Altitudo ejusdem a nexu proceſſus lateralis oſſis multiformis ad ſuturam ſagittalem quinque pollicum, & ſex octavarum partium.

Oſſis frontis latitudo convexa maxima a tempore uno ad alterum eſt octo pollicum; ejusdem altitudo convexa ab oſſibus naſi ad ſagittalem ſuturam ſeptem pollicum & unius octavae partis. Oſſis occipitis convexa longitudo a margine poſteriore magni foraminis ad locum, ubi ſuturam ſagittalem contingit, ſex pollicum. Ejusdem latitudo maxima quinque pollicum cum dimidio. Latitudo oſſis temporis ab oſſe occipitis usque ad os cuneiforme in latere calvariae trium pollicum, & duarum octavarum partium pollicis. Ejus altitudo ab apice proceſſus mammillaris recta ſurſum trium pollicum, & unius octavae partis pollicis, altitudo a radice proceſſus zygomatici duorum pollicum, & unius quartae partis pollicis. Oſſis cuneiformis latitudo maxima in cavo temporis unius pollicis & unius octavae partis; altitudo duorum pollicum & trium octavarum partium.

Si vero ad baſin hujus calvariae adtendimus, & ad partes, quae faciem componunt, hae non eâdem in proportione adauctae inveniuntur. Diameter quippe longior foraminis magni in oſſe occipitis eſt unius pollicis, & ferme trium octavarum partium; diameter ejusdem foraminis brevior, in radices poſteriores proceſſuum coronoïdeorum incidens, unius pollicis & circiter unius quartae partis. Diſtantia inter proceſſus mammillares eſt quatuor pollicum. Longitudo partis oſſis occipitis inter foramen magnum & os cuneiforme unius pollicis & unius octavae partis. Latitudo ipſius, ubi ſe baſi oſſis multiformis adjungit, unius pollicis. Diſtantia inter proceſſuum pterygoïdeorum lamellas interiores unius pollicis. Inter ſinus oſſium ſquamoſorum, qui admittunt capita maxillae, duorum pollicum & ſeptem octavarum partium. Diameter longiſſima transverſalis illorum ſinuum unius pollicis. Diſtantia inter proceſſus mammillares & marginem lamellae externae proceſſus pterygoïdei unius pollicis & ſeptem octavarum partium. Oſſis petroſi longitudo unius pollicis & trium quartarum partium. Diſtantia inter orbitarum angulos externos, ubi cum oſſe jugali conjunguntur, quatuor pollicum & trium quartarum partium. Diſtantia inter orbitarum angulos externos, ubi cum oſſe jugali conjunguntur, quatuor pollicum & trium quartarum partium. Latitudo orbitae a minori ad majorem angulum eſt ſesquipollicis.

Ex dictis patet, ea imprimis oſſa, quae calvariam componunt, inſigniter eſſe expanſa, absque ut tamen tenuiora reddita ſint, juſtam non tantum craſſitiem habent, ſed multis in locis acquiſiverunt majorem.

Ferme integrum hocce cranium eſt, licet diutiſſime fuerit adſervatum. Proceſſus zygomatici oſſium temporum fracti ſunt, praeſertim in latere ſiniſtro; interiora narium & cava oculorum externam pariter injuriam paſſa ſunt, ac totum ferme os cribriforme cum unguis oſſiculis periit. Deëſt maxilla inferior. Caput fuiſſe ruſtici annorum quadraginta, qui ſtaturae erat puſillae, ingenii tenuis, ac hebetis, ſupra dictum eſt. Tab. X. ſiſtit hocce cranium a latere dextro & a poſteriore; Tab. XI. Fig. 1. ab anteriore.

XVII. Capitis oſſei humani prodigioſae magnitudinis & formae etiam depravatae oſſa calvariae omnia, ſolis verticis oſſibus exceptis, integra fere & craſſa admodum.

Mira

Mira eſt omnino capitis hujus magnitudo. Attamen, quod maxime notandum, oſſa ejus & diverſae quoque ejusdem cujusvis oſſis regiones, eam inter ſe proportionem in magnitudine neutiquam ſervant, quam in calvariis humanis conſuetae magnitudinis & figurae ſervare deprehenduntur. Nam in baſi, ad eum locum, quo cum vertebra prima committi debet, a naturali magnitudine ac figura vix tantillum recedit, inde vero in omne latus, & verſus ſuperiora imprimis ita increſcit, ut tandem omnium in vertice ſit amplisſimum. Conf. Tab. XI. Fig. 2. & Tab. XII.

Magnum in oſſe occipitis foramen conſuetam in aliis magnitudinem vix ſuperat; diameter longior ejus eſt pollicis rhenolandici unius, & trium octavarum pollicis partium; brevior, in radices poſteriores proceſſuum coronoïdeorum incidens, eſt pollicis unius & unius quartae pollicis partis. Ab eo autem baſis calvariae in anteriora, poſteriora, & latera, paulatim magis magisque praeter ſolitum lateſcit; ut partes, quo remotiores ab eo foramine, eo etiam habeat latiores. Etenim coronoïdei occipitis oſſis proceſſus jam ſunt paulo latiores. Proceſſus mammillares diſtant inter ſe pollices quatuor cum dimidio. Pars oſſis occipitis, quae eſt inter magnum foramen ejus & os cuneiforme, longa eſt pollicem unum & unam quartam pollicis partem; lata in medio ferme tres quartas pollicis partes. Ab oſſis occipitis nexu cum cuneiformi, usque ad oſſis frontis eam regionem, cui adnectuntur naſi oſſicula, pollicum trium & trium quartarum partium longitudo intercedit. Proceſſuum pterygoïdeorum laminae interiores diſtant inter ſe paulo plus pollice uno. Sinus oſſium ſquamoſorum, qui admittunt capita inferioris maxillae, inter ſe diſtant pollices tres, & unam quartam partem. Ipſorum ſinuum diameter longisſima transverſalis eſt pollicis unius; unde & maxillae inferioris magnitudo poteſt quodammodo aeſtimari. Diſtant proceſſus mammillares a pterygoïdeis pollices duos. Oſſis petroſi cujusque longitudo, a meatus auditorii margine extrinſecus menſurando, eſt pollicum duorum & unius quartae partis. Inter orbitarum angulos externos, ubi os cuneiforme cum oſſe frontis ſuturam utrimque facit, longitudo intercedit pollicum fere quatuor cum dimidio. Quaelibet orbita a minori ad majorem angulum lata eſt pollicem unum & ſeptem octavas partes; quare maxilla ſuperior latior quoque fuit. A baſi hac adſurgentia undique oſſa, ad perficiendam calvariam, paulatim etiam augentur & ampliantur, ſed longe, quam priora, magis. Nam oſſis occipitis convexa longitudo, a margine poſteriore magni foraminis ad locum, ubi ſuturam ſagittalem contingit, eſt pollicum ſex cum dimidio, latitudo maxima paulo minor longitudine.

Oſſis temporum latitudo, ab oſſe occipitis usque ad os cuneïforme, in latere calvariae eſt pollicum quinque & unius quartae partis; altitudo ab apice proceſſus mammillaris recta ſurſum pollicum duorum; a radice autem proceſſus zygomatici ſurſum pollicum duorum & unius quartae partis. Oſſis cuneïformis latitudo maxima in cavo temporis fere pollicis unius & trium quartarum partium; altitudo pollicum duorum & trium quartarum partium. Oſſis frontis latitudo convexa maxima, a tempore uno ad alterum, eſt pollicum undecim; altitudo convexa ab oſſibus naſi ad

ad ſagittalem ſuturam pollicum novem. Regio oſſis frontis, quae contingit ſuturam ſagittalem, a regione eadem oſſis occipitis diſtat linea recta pollicum octo. Cavi calvariae, his oſſibus confecti, diameter longior, nempe inter oſſis occipitis regionem mediam crasſisſimam, ubi ſinus longitudinalis durae matris in laterales quaſi abit, & oſſis frontis mediam ſimiliter regionem, eſt fere pollicum novem cum dimidio. Diameter minor inter ſummitates oſſium ſquamoſorum eſt pollicum octo cum dimidio. Altitudo perpendicularis a ſella equina ad os frontis pollices ſex cum dimidio excedit. Unde patet, oſſa verticis, quae deſunt, omnium amplisſima fuiſſe. Caeterum tota baſis intrinſecus planior quoque eſt & depreſſa penitus. Nam, ut a media regione incipiam, pars oſſis occipitis, quae eſt ante foramen magnum, & quae cum oſſe cuneïformi concreſcit, cum eo horizontaliter fere ponitur. Oſſa petroſa ſunt depresſiora; oſſis frontis tubera, ad utrumque criſtae galli latus, plana penitus. Dein oſſis cuneïformis partes laterales, ad tempora poſitae, oſſa ſquamoſa, oſſis occipitis pars poſterior & ſuperior, quae parietes laterales, & poſteriorem calvariae facere debent, in latera & retro, deorſum ita inclinantur, ut baſeos amplitudinem longe maximam efficiant. Hinc extrinſecus etiam omnia planiora; orbitarum lacunaria, & ſinus, qui excipiunt maxillam inferiorem, minus non modo, quam deberent, pro capitis hujus & ſua ipſius magnitudine, ſed & quam ſolent in aliis, excavata. Et quod mirum & notatu dignum, ipſe auditorius meatus ita quaſi compreſſus eſt, ut altitudo ejus latitudini multum cedat, quod plane ſe habet aliter in bene factis.

Si quid itaque ex praemiſſis ratiocinari licet, ipſa haec calvariae ſpecies ſatis indicare videtur, formatam eam eſſe a cauſa quadam, quae in cavo calvariae haeſerit, id mole ſua praeter ſolitum adeo diſtenderit, & ſimul baſin ejus pondere ſuo preſſerit; tunc enim hanc figuram produci debuiſſe res ipſa docet, & confirmat hydrocephalus. An vero tali forma natum eſt hoc caput; cerebro ac cerebello, veris atque ſanis, ſed nimiae tantum molis, repletum: & an haec ita dein, ut ſolent in aliis, ſimul excreverunt? An potius, infirma adhuc aetate, a cerebri & cerebelli mole nimium increſcente, forte ob diſtendentem intus aquam, ſic paulatim figuratum eſt & ampliatum? Tunc vero ſingulare eſſet, quod oſſa haec dein non modo firmiter ſibi invicem committi potuerint; ſed adeo non tenuiora facta fuerint, ut nunc craſitie & robore vulgares calvarias tantum ſuperent, quantum fere ſupra eas magnitudine increverint. Fuerunt autem haec oſſa diu aſſervata in repoſitorio Auditorii medici Academiae hujus Leidenſis, dein vero cum aliis anatomicis publice divendita, &, a Clar. Rau emta, redierunt ad dominum ſuum. Ex his os frontis idem illud eſt, quod deſcribit Doct. Thomas Molyneux in Philoſoph. Transact. N°. 168. & 261., quodque ſolum viderat. Is vero cum expiſcari ſe non potuiſſe ſcribat, unde venerit; & probare etiam multis conetur, eſſe Giganteum, non ingratum rei Anatomicae & Naturalis amatoribus, nec incongruum, erit, ſi paucis addatur, quae de his ſcripta habentur in litteris authenticis, quae in repoſitorio auditorii medici inveniuntur. Litterae ſunt a Michaele Paauw, Scabino

bino urbis Amſtelaedamenſis, ſcriptae ad Otthonem Heurnium, Anatomes & Chirurgiae in Academia Lugduno-Batava Profeſſorem, a. d. 12. Julii 1623, quibus nuntiat Heurnio, mittere ſe ad eum oſſa quaedam capitis, quae tribus annis ante inter ſe adhuc cohaeſerint, & pedibus conculcata diſſolutaque fuerint, ut caeterae partes, quae deſiderentur, haberi nequeant. Infra notavit Cl. Heurnius, rettuliſſe ſibi laudatum Michaëlem Paauw, 19. Junii 1623., Amſtelaedami in Eccleſia dicta nova, ante ingreſſum ad Bibliothecam, caput iſtud ſepultum fuiſſe, ut didicerit ab aedituo, cum Eccleſiae iſtius aedilis eſſet, eſſeque caput hominis Amſtelaedami nati, qui vulgari tantum fuerit ſtatura, & propter capitis monſtroſam magnitudinem incedere non potuerit, ſed vitam totam ſedentariam agere debuerit. Ipſae litterae, quae in Theatro Anatomico adſervantur, ſic ſeſe habent.

Amſterdam den 12. *July A°.* 1623.

ACHTBARE. WYSE. HOOCHGELEERDE.

Hier neuens ſende 't gedeelte van d'hooftbeenderen, waer van onlancx geleden belofte gedaen hadde, tis ſoo, dat ontrent drie jaren geleden deſelfde noch aen den anderen geweeſt ſyn, ende door onverſichticheyt met de voet van een getreden, ſulcx dat de reſterende ſtucken vermiſt en niet te bekomen waren, UEd. gelieue het defect met myne genegentheyt te ſuppleren, waar mede endende, blyft de beſcherminge des Alderhoochſten bevoolen, en ſyt hertelyck van ons gegroet.

UEd. Dienſtwillige,

MICHAEL PAAUW.

Den voorſ. heer Michael Paauw Schepen der Stadt Amſterdam, refereerde mi op den 29. Juny an 1623. als hi met ſyn huysvrouwe en andere vrunden de Anatomie beſag, dat dit uoorſz. hooft tot Amſterdam in de nieuwe Kerk, voor de Biblotheckx inganck lach begraven, ſo hem de Coſter hadde aenghedient, doen hi daer Kerkmeeſter was: ende dat het was het hooft van een perſoon binnen Amſterdam gheboren, de welke maer en was gheweest van ordinaire Stature, dan hadde dusdanigen grooten monſtreuſen hooft, waer om hi oock niet en konde gaen, dan moſte altyt, ſyn leuen lanck in een ſtoel ſitten.

[Ondert.]

OTTHO HEURNIUS,

Medicinae, Anatomiae en Chirurgiae Profeſſor.

Quae omnia ſi vera, liquet quam egregie Doct. Molyneux ſuis hic ratiociniis veritatem obſcuraverit, & pene etiam oppreſſerit. Poſtquam enim ex figura ſingulari oſſis frontis iſtius cum humana, ut putat, conveniente, etſi plane depravata ſit, id

id humanum esse concluserat; non ita multo post addit, evidens esse, quod caetera omnia ossa, quae cum eo proxime connexa fuerint, & fere totum caput conficiant, debuerint necessario eodem modo facta, & in eadem cum hoc osse proportione fuisse, quia aliter nequaquam potuerint cohaerere inter se, ita ut proxime inter se nexa aptaque fuerint, & fecerint integrum globosum cranium. Unde porro computat, capitis istius integri, tectique cute capillata, circumferentiam fuisse circiter quadraginta quatuor pollicum. Ita sane esse deberet, si capitis hujus figura non esset depravata. Nunc enim ex maxima amplitudine, quam superius obtinet, versus inferiora, & porro versus magnum occipitis ossis foramen ita paulatim decrescit, ut ipsum illud foramen tantillum majus quidem sit consuetis, non ita tamen, quin in plurimis calvariis ejusdem reperiatur magnitudinis; prorsus ut in capite, N°. XVI. descripto, factum observamus, quamquam magnitudo ejus infra hujus magnitudinem multum subsistat. Et docere hoc satis potuisset ipsa frontis ossis figura, quae etsi humanae similis sit, a recta tamen multum recedit; cum versus coronalem futuram totam, & versus tempora mire praeter modum latescat. Patet, quomodo errorem majorem creet error semel admissus, & longius semper a vero abducat. Porro enim ratiocinatur, sequi inde debere, quod homo, cujus hoc caput fuerit, plus quam duplo fuerit altior, quam quales homines vulgo esse solent; quoniam omnes corporis humani partes constanter sint in certa quadam inter se proportione, & idem hic omni jure supponi queat, os autem hoc frontis vulgaribus plus quam duplo majus sit. Quare excedere eum debuisse undecim vel duodecim pedum staturam. Fuisse ergo homines, qui altitudine aequaverint, si non superaverint maximos Gigantes, quorum in Sacra Scriptura fiat mentio; cum Goliath ex calculo ejus fuerit pedum novem totidemque pollicum; & Og, Rex Basan, attigerit quasi proceritatem hujus sui Gigantis. Nec practereundum est, quod addit, non improbabile esse, quod, ubi sol & clima concurrant, & ex natura sua possint producere plantas, fructus, & animalium varias species, multo quam apud nos majora, in iis etiam orbis terrarum regionibus homines inveniri aliquando possint multo majores, quam sint inter nos; ideoque in mentem sibi venire, non improbabile esse, magnum hocce frontis os ante septuaginta vel octuaginta annos (eo quod recens esse videatur, & sit adhuc solidum & grave, ideoque nequeat esse valde vetustum) forsan in Europam apportatum esse a Mercatoribus Batavis, ut idoneum exemplar proceri cujusdam gigantis, quem offenderint in peregrinationibus suis Americanis. Et haec omnia probabilibus argumentis eleganter adeo adstruit, & exemplis docte illustrat, ut animum ad credendum fere inclinet, suoque exemplo demonstret, posse sententiam, omnino falsam, ab erudito & intelligente homine speciosis ratiociniis reddi verae adeo similem, ut latens error aegerrime queat deprehendi.

Datam hujus cranii descriptionem Clar. Albino debemus, qui in Indice Supellectilis Anatomicae Clar. Rauii N°. XXXI. eandem communicavit; eam vero huic potius loco inserendam putavi, & ea propter de hoc capite, ut & de aliis, inter Rauiana praeparata pag. 5. paucis tantum mentionem feci. Figuras autem ossis fron-

frontis Tab. XI. Fig. 2. offis occipitis totiusque baſeos calvariae ab interiore Tab. XII. dedi. In Exercitationum Anatomicarum vero Lib. I. cap. 4. pag. 45. & ſeq. multis probare, variisque exemplis illuſtrare, conatus ſum, ſummi Albini ſententiam eſſe verisſimam; magnitudinem nempe hujus calvariae a cauſa quadam, quae in cavo ipſius haeſerit, id mole ſua praeter modum ita diſtenderit, & ſimul baſin ejus ponedere ſuo preſſerit, eſſe derivandam.

XVIII. Cranium, craſſitie ſua maxime notabile. Pertinet ad Supellectilem Anatomicam Rauianam, & ad N°. XXVII. breviter illud deſcripſit Clar. Albinus. Conf. hujus Muſei pag. 4. 5. Ut juxta naturae leges calvaria in omnibus locis non aeque craſſa exiſtit, ſic & hoc aliam in aliis partibus craſſitiem monſtrat. Patet hoc facta horizontali ſectione. Frontis enim os mox ſupra radicem naſi quinque octavas polllicis partes craſſum eſt; verſus latus, praecipue dextrum, procedens craſſitie adaugetur, ſic quidem, ut externa ab interna tabula tres quartas pollicis partes diſtet. Inde introrſum procedentes laminae, quae lacunar orbitarum conſtituunt, magnam craſſitiem habent, multumque deſcendunt, ſic ut cribriforme os profundo admodum loco conſpiciatur. Verticis oſſa, ubi partes ſquamoſas oſſium temporum admittunt, tres octavas pollicis partes craſſa, dein paulo tenuiora ſunt; ubi ſuperiorem cranii partem conſtituunt, craſſitiem dimidii pollicis habent, ubi vero invicem conjunguntur, iterum parum de ſua craſſitie amiſerunt. Partes ſquamoſae oſſium temporum quartam partem pollicis craſſae ſunt; proceſſus lateralis oſſis multiformis, praeſertim in latere dextro, craſſitiem habet trium quartarum partium pollicis. Occipitis os, in apice quartam partem pollicis craſſum, deſcendendo ſenſim ita augetur, ut medio in loco craſſities circiter dimidium pollicem aequet. Adaucta praecipue intermedia diploë eſt, & haec in oſſe frontis, inferioribus partibus oſſium verticis, proceſſu laterali dextro oſſis multiformis, admodum rara & quaſi fungoſa eſt; in media & ſuperiore parte oſſium verticis multo compactior, ſolidior, ut & in occipite, & his in locis externa internaque tabula eandem habet, ac in reliquis, tenuitatem. Baſis oſſis multiformis cum procurrente parte oſſis occipitis concrevit, reliqui autem nexus omnes ſolubiles ſunt. Sinuum frontalium veſtigium apparere nullum, ſua in deſcriptione dixit Cl. Albinus, concluſit hoc ſine dubio ex foramine, quo forte pertuſa illa oſſis frontis pars eſt, ubi ſinus dexter adeſſe ſolet, quodque inter externam internamque lamellam & hoc in loco, ut in omni alio, non niſi diploën intermediam eſſe, oſtendere videtur. Verum adſunt ſinus, dexter & ſiniſter, craſſo ſatis pariete diſtincti, & amplitudinem habent majorem, quam ſaepe in aliis craniis monſtrant, ſed non inveniuntur in locis ſolitis, aſt dimiſſioribus, & praecipue in illis lamellis, quae ſuperiores orbitarum partes formant, quae hac de cauſa inſignem habere videntur craſſitiem, cum tamen ex duabus, a ſe multum recedentibus, lamellis conſtant, inde parum ſurſum adſcendunt, ſic ut ab anteriore multa diploë ipſis accumbat, & interna tantum lamella oſſis frontis multum introrſum procurrat. Videantur Tab. XIII. Fig. 1. & 2.

XIX. Cranium mirabiliter craſſum, compactum, durum, forte, ponderoſum, & mire

mire etiam ubique a naturali ſpecie recedens. Supellectilis Anatomicae Rauianae N°. XIX. Muſei hujus pag. 4. Hoc cranium globoſum, ferme rotundum, inter os frontis, atque cruciatam eminentiam oſſis occipitis, cui falciformis & laterales proceſſus durae matris adhaerent, diſtantiam monſtrat quinque pollicum cum dimidio, inter medias oſſium vertic. partes circiter quinque pollicum. Craſſities, in aliis oſſibus alia, maxime notabilis eſt in parte laterali ſiniſtra oſſis frontis, quae aequalis eſt ſeptem octavis, in dextro latere ſex octavis, pollicis rhenolandici partibus. Media oſſis verticis pars, dimidium pollicem craſſa, verſus omnem ambitum parum extenuatur. Craſſa ſatis etiam ſuperior oſſis occipitis pars & tres octavas pollicis partes aequat. Proceſſus laterales oſſis multiformis etiam ſolito craſſiores ſunt, ut & partes ſquamoſae oſſium temporum, quin & oſſa jugalia hoc ſenſu a naturali ſtatu recedunt. Haec, ut & verticis ac temporum oſſa, a reliquis ſoluta ſunt, alii contra nexus perierunt; firmiter cum baſi oſſis multiformis concrevit os occipitis, & proceſſus priores oſſis multiformis indiſſolubili nexu cum frontis lamellis copulantur, cum quibus illae proceſſuum lateralium partes etiam confluxerunt, quae ad latera foraminum oculorum formanda concurrunt. Proceſſus naſales oſſium maxillarium intra orbitas ſeſe multum extendunt, & formant etiam partem priorem oſſiculorum unguis, quae ad ſinum pro ſacco lacrymali & ad principium canalis naſalis pertinet, reliqua autem oſſiculi unguis pars in utroque latere periit. Abſunt alveoli omnes & margo oſſium maxillarium, quo contineri dentes ſolent, craſſus, ſolidus, compactus exiſtit. Subſtantia, quae inter externam internamque cranii oſſium tabulam datur, differt ab illa, quae in cranio, N°. XVIII. aderat, non rara aut fungoſa exiſtit, ſed admodum compacta, & a dictis tabulis diſtingui nequit, verum ebur refert, hinc hoc caput praecedenti multo ponderoſius eſt, & duas libras ac ferme tres uncias aequat, praecedens nondum duas attingit, imo pondere ſuo non multum ſuperat cranium adulti & bene conformati ſceleti. Figurae dantur Tab. XIII. Fig. 3. 4. 5.

Adeſt praeterea, in Theatro noſtro Anatomico, cranium vetuſtiſſimum, quod inter alia rariora per longam annorum ſeriem monſtratum eſt, diciturque eſſe Aethiopis, famuli Domini a Batenburg, qui in obſidione Harlemenſi periit, quod notandam craſſitiem habet. Verticis quippe oſſa tres octavas pollicis partes craſſa ſunt, frontis vero os craſſitiem monſtrat quinque octavarum partium. Tabula hujus cranii externa internaque duriſſima eſt; diplöe, neque adeo ſpongioſa, ac in XVIII., neque adeo dura ac in XIX., magis ad naturalem accedit.

XX. Portio oſſis frontis, ſingularem craſſitiem ac degenerationem monſtrans, ex fungo durae matris veroſimiliter productam. Strenuo potatori, annorum circiter quadraginta trium, coloris fuſci, temperamenti atrabilarii, ſano tamen, ſenſim, ſine cauſa manifeſta, os frontis ſupra orbitam ſiniſtram protuberare coepit; increvit tumor per plures annos paulatim absque ut alia obſervarentur ſymptomata, quam palpebrae ſuperioris intumeſcentia & paralyſis. Intumuit dein ejusdem oculi conjunctiva, ut multum ſupra corneam ſeſe elevaret, & ab eo tempore alia aliaque aderant ſymptomata. Hebes oblivioſus fiebat, dexter oculus videndi facultatem amit-

amittebat, ſuperſtite tamen viſu in oculo ſiniſtro. Anno circiter ante mortem, tumore oſſis continuo adaucto, acceſſit per intervalla cephalalgia ſaeviſſima, ſupervenit utriusque oculi caecitas, extremitatum inferiorum infirmitas, torpor, vacillatio, paralyſis. Inſcio faeces & urina effluebant. Latus dextrum per intervalla tremere, concuti, convelli, coepit, totus dein obſtupuit, & demum apoplecticus moriebatur.

Os frontis in cadavere magis tumidum, & ſingulari modo mutatum, inveniebatur, & ſub eo ex dura matre enatus detegebatur inſignis magnitudinis fungus. Adaucta craſſities dicti oſſis eſt praeſertim in parte inferiore; ea etenim pars, quae ſynciput conſtituit, ſolitam ferme craſſitiem habet, ſed ad diſtantiam trium pollicum a ſupercilio ſenſim craſſities adeo augetur, ut demum quinque octavas pollicis rhenolandici partes ſuperet. Margo ſupercilii, pariter admodum craſſus, praeterea admodum inaequalis & tuberculoſus exiſtit; craſſities in parte laterali externa, quae ad os jugale tendit, ferme dimidii pollicis eſt; tenuior multo exiſtit in parte laterali interna, ibique inter internam externamque oſſis tabulam obvius ſinus fontalis pro parte ſeſe manifeſtat, ſed inaequalitatibus oſſeis aliquomodo impletus. Lamella hujus oſſis, quae conceptaculum cerebri diſtinguit a cavo oculi, ſano in ſtatu tenuiſſima, compacta adeo atque craſſa eſt, ut tres octavas pollicis partes exhibeat. Cavum ipſum oculi maximopere imminutum, refertum eminentiis oſſeis, admodum inaequalibus, ſic ut minime mirum ſit, oculum pati debuiſſe, viſumque ſenſim fuiſſe abolitum.

Externa hujus oſſis ſuperficies admodum inaequalis, tuberculata, exiſtit, depreſſiones intermediasque eminentias multas habet. Singularis vero degeneratio a parte interiore hujus oſſis eſt eo in loco, cui accubuit fungus durae matris, prope lamellam, quae cavum oculi hac in parte tegit; deſtincta lamella vitrea eſt, diploë autem arroſa videtur, ſic ut haec oſſis interna ſuperficies conſtet ex eminentiis pluribus, oſſeis, longioribus, brevioribus, craſſioribus, tenuioribus, prout intermediae excavationes profundiores, magis minusve extenſae, ſunt. Nec libera ab hoc vitio lamella eſt, quae foraminis oculi lacunar conſtituit.

Fungus ipſe, compacta ſubſtantia conſtans, lata baſi ex dura matre enatus, tres pollices longus, ad ſesquipollicis craſſitiem ſeſe extenderat, & externam ſuperficiem admodum inaequalem offerebat.

Tres dictae portionis oſſis frontis icones dedi Tab. XIII. Fig. 6. 7. 8. unam vero fungi Fig. 8. Conferantur porro, quae in Exercitationum Academicarum lib. 2. cap. 3. pag. 43. ſeq. dixi.

XXI. Ancyloſis cranii & atlantis in latere dextro. Deleta penitus atlantis cum oſſe occipitis articulatio dextra, & oſſea ſubſtantia tanta copia effuſa eſt, ut partes oſſis occipitis, quae ad primam pertinent vertebram, diſtinguere non liceat. In oppoſito latere vertebra plane libera eſt, imo potius a condylo oſſis occipitis remota, dum tota vertebra ſic quaſi contorta eſt, ut & anteriora & inferiora verſus dirigatur, in latere dextro inter atlantem & marginem foraminis magni oſſis occipitis di-

diſtantia ſit trium octavarum pollicis partium, in latere oppoſito pollicis dimidii, unde caput, atlanti innitens, verſus dextrum latus inclinat, & foramen atlantis cum foramine oſſis occipitis non plane reſpondeat.

XXII. Ancyloſis cranii & atlantis in latere utroque. Hoc in capite os frontis futurâ, ad naſi officula usque ſeſe extendente, ſed non eadem linea cum ſagittali procurrente, diviſum eſt; ceciderunt dentes omnes, perierunt alveoli plurimi. Atlas cum condylis concrevit firmiter in dextro latere, paulo minus in ſiniſtro, ſic ut, vi adhibita, dubium quodammodo motum admittere videatur. Arcus & anterior & poſterior, dictae vertebrae diſtant ab oſſis occipitis margine quartam pollicis partem, & hiatus ea propter utrobique relinquitur inſignis. Ubi condyli dantur, effuſa tum extrinſecus, & de oſſe occipitis & de atlante oſſea materia eſt tali copia, ut, & a parte foraminis magni & a parte oppoſita, inaequalitates inſignes dentur, praeſertim a latere interiore condyli ſiniſtri, qui tamen in parte exteriore a ſinu atlantis magis diſtingui poteſt, quam in latere oppoſito, licet ibi & in condylo & in ſinu inaequalitates dentur, quae ſeſe excipiunt. In dextro latere oſſea ſubſtantia effuſa eſt usque ad foramen, quod pone condylum datur, & vertebralem transmittit venam. Ut totum caput ſic vertebra praecedenti XXI. minor, non tantum ſuo loco mota eſt, ſed paulo magis, quam ſolet, verſus anteriora tendit. Videtur maxilla inferior, quae deëſt, in ſuis condylis etiam laboraſſe; ſinus ſaltem in oſſibus temporum, condylis illis admittendis deſtinati, ſunt multo majores, maxime inaequabiles, & extrinſecus prominente margine cinguntur, eminentiis diverſis asperi, ac quaſi carioſi exiſtunt. Periit tuberculum, quod ante utrumque huncce ſinum adeſſe ſolet, & ad quod condylus maxillae inferioris movetur, quales certe degenerationes locum habere nequeunt, quin ſimul dicti condyli mutati ſint. Tab. XIV. Fig. 1. hoc cranium delineatum eſt.

XXIII. Ancyloſis cranii & atlantis in utroque latere. Duo non tantum condyli concreverunt cum ſinubus, in atlante inveniendis, ſed tota anterior arcus atlantis pars, cui ab interiore dens epiſtrophei olim accubuit, cum proximo margine foraminis magni confluxit, ſic tamen ut ab utroque latere ſinus modo dicti, dentem epiſtrophei olim admittentis, foraminulum ſupermanſerit. Arcus poſterior totus liber eſt. Foramina, a parte poſteriore Atlantis, per quae ſeſe ad foramen magnum oſſis occipitis inflectunt arteriae vertebrales, ſunt admodum ampla. Sutura ſagittalis ſeſe extendit ad officula naſi. Coronalis tota eſt obliterata.

Ex deſcriptis ſpeciminibus diverſimode cranium cum atlante concreſcere conſtat, ſed & aliis modis idem ſubinde contingere, obſervare mihi datum eſt, qualia exempla Tab. XIV. Fig. 2. & 3. delineata, hic loci deſcribere, non inutile videtur.

Dentes licet in altero capite Tab. XIV. Fig. 2. ceciderint, alveoli tamen omnes adſunt. Non tantum ancyloſis oſſis occipitis & atlantis datur, ſed in lateribus depreſſa adeo calvariae baſis eſt, in medio ſic adſurgit, ut prima vertebra ipſa baſi quaſi comprehendatur, & intra eam deliteſcat. Arcus prior adlantis magis verſus anteriora promotus eſt, & cum oſſe occipitis cohaeret; confluxerunt condyli oſſis

hujus

hujus cum finibus, in atlante obviis, ſed tantum ab anteriore, pars enim poſterior illorum condylorum libera eſt, imo a dictis finibus remota, ut quodammodo in latere ſiniſtro conſpicitur. Arcus atlantis poſterior partim liber eſt, partim cum occipite confluxit, a latere quippe ſiniſtro tuberculi, quod in atlante loco proceſſus ſpinoſi inveniri ſolet, lamina oſſea producitur, in os occipitis evaneſcens. Tantopere autem depreſſa cranii baſis in lateribus eſt, ut a linea, ab apice unius proceſſus mammillaris in alterius apicem ducta, atlantis arcus poſterior quinque octavas pollicis partes diſtet; arcus anterior circiter pollicem; & proceſſuum transverſorum partes poſteriores, latitudine inſignes, oſſibus temporum, quibus accumbunt, foveam quaſi impreſſerint, ſaltem in tali fovea quaſi comprehendantur; hinc ea pars cranii, quae ex parte anteriore oſſis occipitis cum baſi oſſis multiformis & oſſibus petroſis nexa, fit, cuique accumbere ſolet medulla oblongata, multum intra cerebri conceptaculum adſurgit, & ad partem ſuperiorem cranii, ubi oſſa verticis inter ſe conjunguntur, tantopere accedit, ut diſtantia inter haec oſſa verticis & marginem foraminis magni anteriorem, tres pollices cum dimidio non ſuperet, quae diſtantia in aliis craniis quinque pollicum eſt; foraminum nonnullorum directio hinc mutata. Verum quantum hac de cauſa cranii capacitas ab anteriore & praecipue in medio amiſit, tantum adaucta in parte poſteriore eſt. Prominent quidem multum intra illam oſſis occipitis partes, quae mox pone condylos inveniuntur, ſed a parte poſteriore & laterali cranium inſigniter expanſum eſt. Alium ergo, quam habere ſolet, ſitum acquirere debuit cerebrum; lobos certe ipſius poſteriores ſolito dimiſiorem occupaſſe locum docent veſtigia ſinuum transverſorum, quae ab oſſibus petroſis non retrorſum recta procedunt via, ſed inſigniter deſcendunt, & proceſſuum transverſorum durae matris decurſum non naturalem fuiſſe probant. Sinus frontalis in utroque latere inſignis eſt, diſtat externa oſſis lamina ab interna tres octavas pollicis partes; uterque in quatuor cellulas, non tamen plenarie, diviſus eſt, dantur enim in utroque latere tria ſepimenta, ſed haec ſuperiorem tantum locum occupant, fundum vero non attingunt. Pone proceſſus mammillares ſinus invenitur, qui ſe in utroque latere extendit ad inciſuram, ex qua Biventer maxillae inferioris muſculus originem trahit, quaeque hinc aliam acquiſivit formam.

Ancyloſis hujus generis, in altero exemplo Tab. XIV. Fig. 3., docet, etiamſi condyli oſſis occipitis & ſinus atlantis, hos condylos excipientes, bene ſint conformati, tamen atlantem tali ratione concreſcere cum cranio poſſe, ut plane immobilis perſiſtat. Dicti condyli firmiter quidem ſinibus, in atlante obviis, appreſſi ſunt, ſed vix ullibi cum iisdem concreti; ſinus in atlante tantum parum mutati, & forte ex appreſſione validiore retrorſum in mucronem, vel parvam exoſtoſin, praecipue in dextro latere, producti, quod tamen in figura non adeo exacte exprimi potuit. Verum ex oſſe occipitis, in quoque latere, medio ferme loco inter foramen magnum & nexum cum parte mammillari oſſium temporum, proceſſus exſurgit, dimidium pollicem longus, qui in latere dextro ad ramum poſteriorem proceſſus transverſi atlantis accedit, & cum eo cohaeret, ſic tamen, ut linea diſtin-

ſtinguens circum circa appareat, contra in latere ſiniſtro dictus proceſſus non tantum cum ramo poſteriore proceſſus transverſi atlantis confluxit penitus, ſed & cum apice, in quem anterior & poſterior ramus deſinunt; ſimilis tamen linea, paulo minus diſtincta, qualis in nexu proceſſus dextri cum ramo poſteriore proceſſus lateralis atlantis datur, apparet, ubi proceſſus ex ſiniſtra parte oſſis occipitis prodit. Inter illos proceſſus in quoque latere foramen relinquitur, per quod arteriae vertebrales, per foramina proceſſuum transverſorum vertebrarum colli adſcendentes, ſeſe inflectebant, ut foramen magnum attingerent. Atlantis arcus anterior, ad cujus ſinum internum dens epiſtrophei olim accumbebat, magis verſus anteriora, quam ſolet, procurrit, & prope marginem foraminis magni, magis a ſiniſtro quam a dextro latere, parva conſpicitur exoſtoſis. In hoc cranio proceſſus clinoïdei poſteriores prioresque alteri in alteros mucrones dirigunt, & eos conjungunt in ponticuli ſpeciem: praeterea ex baſi pars oſſea ad conjunctos hosce proceſſus accedit, illosque in uno latere attingit, in oppoſito parum ab illis diſtat, ſic ut in altero latere tria diſtincta dentur foramina, in altero duo, quorum maximum pro parte diviſum eſt. Conf. Obſervat. Anatom. Pathol. Lib. 3. cap. 10. pag. 126.

XXIV. Oſſis occipitis & atlantis ſingularis confluxus. Ad ancyloſin certe proxime accedit ſingularis haec & rariſſima dictorum oſſium concretio. Tab. XIV. Fig. 4.

Cranium junioris hominis eſt; adſunt alveoli omnes integri, ſuturae admodum laxae ſunt; procurrente ſagittali frontis os in duas partes diviſum eſt; in nexu proceſſus lateralis oſſis multiformis, partis ſquamoſae oſſis temporis, & oſſis verticis diſtinctum oſſiculum conſpicitur. Atlas plane inſolito more ſeſe exhibet. Pars oſſis occipitis, quae foramen magnum ambit, miro modo mutata eſt, & ſingularem figuram habet. Vertebra verſus latus ſiniſtrum propulſa cernitur, & arcus anterioris pars ſiniſtra, quae radici anteriori proceſſus transverſi originem praebet, magis verſus anteriora dirigitur. Condyli oſſis occipitis in atlantis ſinus videntur quaſi confuſi. Arcus atlantis anterior cum ora foraminis magni concrevit, non tamen ubique eodem modo, etenim inter partem, cui intrinſecus dens epiſtrophei accumbere debet, & proceſſum transverſum dextrum ſic cohaeret cum oſſe occipitis, ut diſtinctionis nota nulla appareat; inter partem vero dictam & proceſſus transverſi ſiniſtri radicem priorem, cohaerent quidem dicta oſſa, ſed tali ratione, ut fovea profunda remaneat, quam in figurâ exprimere non licuit, redditur hinc ora foraminis magni valde inaequalis. Arcus poſterioris pars altera, dextra, evanuit in marginem foraminis magni oſſis occipitis, eumque hac in parte undulatum reddit; altera pars ejusdem arcus, ſiniſtra, tenuiſſima eſt, ſed parum diſtat ab ora dicti foraminis, & plane ab eadem eſt diſtincta. Proceſſus transverſus atlantis dexter plane concrevit cum oſſe occiptis, & nulla diſtinctionis nota apparet, niſi quod paulo magis promineat, ſiniſter vero hic proceſſus, cujus radix poſterior ſola ſupereſt, in foveâ, oſſi occipitis impreſſâ, deliteſcit, ſic tamen, ut cum ea non cohaereat. Superficies, cum quibus corpus epiſtrophei cohaeſit, longe alio modo ſeſe habent, quam in ſtatu naturali, ſunt ferme tali ratione factae, ac eſſe ſolent illae, quae cum con-

condylis ossis occipitis conjunguntur, & in superiore ea propter parte atlantis adesse debent, hinc superficies in corpore epistrophei, articulationi inservientes, etiam alio modo fuerunt constructae. Foramina denique, quae nonum par nervorum transmittunt, ut & illa, quae venis vertebralibus destinata sunt, praeter naturam sese habent, & aliam directionem servant.

XXV. Ancylosis cranii, omnium vertebrarum cervicis & duarum superiorum dorsi. Tota haec compages ossea, ex tot partibus, olim separatis, composita, singularem directionem habet; totum quippe caput multum versus latus sinistrum inclinat, & hoc sensu oblique collo insistit; sed & facies tantopere versus latus dextrum vergit, ut margo alveolaris sinistri lateris ferme in eadem linea sit cum media parte corporum vertebrarum. Arcus posterior atlantis plane liber est ab osse occipitis, sed cum condylis hujus ossis confluxerunt duo sinus, qui in prima vertebra pro mobili articulo cum capite dantur. Arcus anterior atlantis maximam partem cum margine priore foraminis magni cohaeret, & medio loco parva tantum fissura supersest. Distantia inter marginem posteriorem foraminis magni atque arcum atlantis ferme talis est, ut in statu naturali, & tuberculum, quod ipsi loco processus spinosi est, cum media ossis occipitis parte etiam respondet, sic ut, respectu atlantis, capitis situs non multum mutatus sit: verum atlas rursus concrevit, ubi mobilibus, in statu naturali, articulis necti solet, cum epistropheo, & distantia inter processum transversum atlantis, simlemque epistrophei minor est in latere sinistro, quam in dextro; vergit hinc versus latus sinistrum caput. Posterior arcus atlantis etiam ab epistropheo liber est, arcus vero anterior & cum corpore epistrophei, & cum dente ipsius nexus est, sic ut duo tantum foramina, unum a quoque latere dentis, remanserint. Dens hic, ad margnem priorem foraminis magni ossis occipitis accedens, cum eo etiam cohaeret. Processus hujus vertebrae spinosus, ab omni alia parte liber, non est in eadem linea cum tuberculo in arcu posteriore atlantis, sed vergit versus latus dextrum, eandem tamen perfecte directionem servans, quam habent omnes processus spinosi subsequentium vertebrarum. Eadem illa secunda vertebra cum tertia, tertia cum quarta, sequentes inter se, triplici in loco confluxerunt; corpora enim sic cohaerent, ut in partibus lateralibus, ubi rami priores processuum transversorum oriuntur, unam massam constituant, & non tantum lamella tenuis ossea ab uno corpore ad aliud tendat, ut saepissime locum habet, verum & intrinsecus ipsa videantur confluxisse. Ast inter media corpora omnium harum vertebrarum hiatus est, quem olim replevit illa substantia ligamentoso-cartilaginea, quae semper vertebrarum corpora conjungit. Confluxerunt praeterea processus articulares omnes, & porro arcus omnium harum vertebrarum, sic ut parvae tantum fissurae dentur, ubi processus spinosi de illis arcubus emergunt. Omnes vertebrarum partes integerrimae sunt; nil insoliti aut praeternaturalis in cranio observatur, nisi quod sutura lambdiformis non in apicem, inter duo ossa verticis, excurrat, sed latitudinem a superiore insignem habeat. Cuncta haec melius intelligentur ex Fig. 1. 2. 3. Tab. XV., earumque explicatione.

In citatae modo tabulae Figura 4. ſiſtitur Ancyloſis cranii, atlantis, & epiſtrophei, quae ſummam etiam mereri mihi viſa eſt attentionem. Atlas ſedem ſuam naturalem reliquit, praeternaturalem locum etiam occupat epiſtropheus, & duae hae vertebrae non tantum inter ſe, ſed & cum cranio concreverunt. Atlantis ſinus dexter, qui cum condylo oſſis occipitis, mobili caeterum articulo, nexus eſt, cum condylo illo non concrevit, verum ab eodem receſſit, & verſus poſteriora tendit, ſic ut condylus hujus lateris magis extenſus & expanſus ſit. In oppoſito latere ſinus dictus condylo non tantum firmiter appreſſus eſt, ſed & cum illo condylo, ultra quem parum verſus anteriora procedit, confuſus, & hoc in latere vertebra ſic compreſſa eſt, ut multo tenuior, quam in latere oppoſito, videatur. Arcus anterior atlantis ab oſſe occipitis plane liber eſt, ſic & arcus poſterioris latus dextrum, usque ad tuberculum, quod ipſi loco proceſſus ſpinoſi eſt; diſtat hocce latus multum ab ora foraminis magni, & tuberculum dictum magis, quam ſolet, productum cum media parte orae foraminis magni cohaeret. Latus ſiniſtrum arcus poſterioris margini dicto appreſſum eſt, & vix ulla diſtantia inter illud atque eum marginem datur, imo variis in locis concrevit hocce latus cum oſſe occipitis, ſic tamen, ut via libera remanſerit pro arteria vertebrali, quae, ex foramine proceſſus transverſi atlantis egreſſa, ſeſe inflectit, ut magnum oſſis occipitis foramen attingat, illudque intret, cui vaſi in oppoſito latere via multo liberior relicta eſt. Ex dicta mutatione atlantis, quoad ſitum, ſequitur, quod foramen magnum oſſis occipitis non plane reſpondeat cum foramine vertebrae primae. Epiſtropheus magis verſus ſiniſtrum latus promotus eſt; ſuperficies articularis, quae a latere dextro dentis eſt, verſus poſteriora receſſit, & illa, quae in parte inferiore atlantis huic ſcopo inſervit, pro parte nuda conſpicitur; proceſſus ſpinoſus a media oſſis occipitis, quod ferme adtingit, linea diſtat dimidium pollicem. Inter dentis partem lateralem dextram & dictam ſuperficiem inferiorem atlantis magnum ſpatium relinquitur; in oppoſito autem latere vix ullum, etenim dens concrevit cum parte laterali ſiniſtra arcus anterioris atlantis, & ad illam usque ſuperficiem hujus primae vertebrae pertingit, quae naturaliter cum epiſtrophei corpore connectitur, immo ille dens quodammodo cum margine foraminis magni oſſis occipitis cohaeret. In latere dextro epiſtropheus ab atlante liber eſt, arcus autem ipſius poſterior prope proceſſum ſpinoſum, & tuberculum atlantis, cum hujus arcu concrevit, & dictus ſpinoſus epiſtrophei proceſſus tantopere verſus ſiniſtrum latus dimotus eſt, ut os occipitis ferme attingat. Latus ſiniſtrum epiſtrophei ab arcu atlantis liber eſt. Illa porro pars ſecundae vertebrae, quae cum corpore tertiae vertebrae olim committebatur, a naturali ſanoque ſtatu maxime degenerat, & in duas inaequalitates, exoſtoſes quaſi, in latere dextro conſpicuas, excrevit, unde ſequitur, ſuperficiem ſuperiorem corporis tertiae vertebrae etiam maximopere fuiſſe mutatam, idemque hic contigiſſe, quod in Scolioſi obſervari ſolet, ab altera nempe parte corpora vertebrarum compreſſa tenuiora reddi, ab altera vero, ubi minorem perferre preſſionem debent, intumeſcere, ſed ſimul ſpongioſiora fieri. Proceſſus transverſi alio modo ſeſe habent, quam in ſtatu

ſano,

ſano, magis verſus poſteriora ſeſe extendunt; foraminum, in iis obviorum, directio mutata eſt; diſtinctio vix ulla conſpicitur inter illos, atque ſuperficies, quae committuntur cum obliquis adſcendentibus vertebrae tertiae; & hae ſuperficies inſolitam etiam figuram habent. Foramen in epiſtropheo non tantum non communicat cum foramine atlantis, ſed tantum ab eo receſſit, ut ſpatium pro tranſeunte medulla ſpinali relictum ſit valde exiguum, dum enim diameter transverſa in atlante eſt unius pollicis, diſtantia inter latus dextrum epiſtrophei & ſiniſtrum atlantis dimidium pollicem vix ſuperat: in ſtatu autem naturali diameter transverſa canalis hoc in loco pollici circiter aequalis eſt.

XXVI. Cranium, in latere ſiniſtro maxillae inferiori per ancyloſin nexum. *Tab.* XVI. Fig. 1. 2. 3. 4.

Caput hominis provectae admodum aetatis eſſe, totus habitus, nonnullarum futurarum, & alveolorum plurimorum, abſentia probant. In calvariae oſſibus nil adeo notatu dignum occurrit, niſi quod ſupra ſupercilia frons inſigniter promineat ob amplos ſinus frontales, quorum ſiniſter praeprimis adeo capax eſt, ut, ſe ultra ſummitatem narium dextrorſum extendens, ſupra oculi cavum ſuperiore ſua parte pertingat. Dexter ſepimento oblique deorſum demiſſo a ſiniſtro ſeparatur; lamellae oſſis frontis, quae lacunaria orbitarum formant, praeter modum tenerae ſunt & foraminulentae; ſinus ſphaenoïdalis unicus, & nullo ſepimento in dextram ſiniſtramque partem diviſus. Alveoli in maxilla ſuperiori vel penitus, vel magnam partem deleti; dentes, qui ſuperſunt, ſingulari ratione cum inferioribus connexi. Maxilla inferior vario reſpectu mutata eſt. Haec quippe ſic ſiniſtrorſum dimota, ut linea, ab apice menti ſurſum producta, incurrat in lunulam, qua proceſſus naſalis, de maxilla ſuperiore adſcendens, narium aperturam anteriorem in latere ſiniſtro terminat. Alveoli maximam partem etiam deleti, ſic ut aperturae canalium, ramum tertii rami quinti nervorum paris transmittentium, ſuperiorem maxillae marginem circiter attingant. Dentes duo molares, in ſuperiori maxilla ſuperſtites, antrorſum & ſiniſtrorſum promoti, occurrunt ſimilibus maxillae inferioris, ſic ut alter alterum excipiat, & viciſſim ab altero excipiatur, adeo ſibi invicem innexi, ut, etiamſi radices vix alveolis inhaereant, moveri quidem nullatenus vero tolli poſſint. Praeter dictos ultimus dens molaris dexter ſupereſt; ſiniſter, maxillae adhuc inhaerens, partem tantum coronae monſtrat. Figura ipſa maxillae a naturali recedit. In latere dextro compreſſa, ab inferiore extrorſum multum incurvata, proceſſu poſteriore libere committitur cum ſinu, in parte inferiore oſſis temporis inveniendo, ſic tamen, ut tuberculo, ante ſinum obvio, magis apprimatur, quam naturaliter fieri ſolet, a foramine auris multum recedat, tangat vero radicem proceſſus zygomatici. Cornu prius, in principio latius, zygoma ſubiens, ſolito magis craſſeſcit. In ſiniſtro latere ramus, multo latior dextro, inferiore ſua parte multum extrorſum promotus, praeſertim quoad proceſſum poſteriorem degenerat; hujus etenim capitulum, tum per longitudinem, tum intra partem priorem & poſteriorem, inſigniter lateſcens (ſic ut ſinus lunatus, caeterum inter hunc & proceſſum priorem inveniendus, ferme totus ſit de-

deletus, & foramen auris maximopere anguſtatum) concrevit non tantum cum illa parte oſſis temporis, cum qua, mobiliſſimo caeterum articulo, nectitur, verum etiam cum vicina parte proceſſus lateralis oſſis multiformis, quae ſe inter partem ſquamoſam & petroſam inſerere ſolet. Cornu prius, inſigniter etiam craſſum, zygoma ſubit, ſed parti ſquamoſae oſſis temporis ferme appreſſum eſt, dum in dextro latere multum ab eo recedit. Praeterea ex interiore parte maxillae hujus, dextro in latere, ubi tertius & quartus dens molaris antea adfuerunt, inſignis exoſtoſis procrevit, papillam mammae muliebris magnitudine referens, rotundula, retrorſum incurvata. Similis ex interiore parte menti, tenuior, acutior, enata eſt.

Alius ancyloſeos cranii cum maxilla inferiore in latere dextro deſcriptionem & icones dedi in Exercitat. Acad. Lib. II. cap. 5. Tab. V. Fig. 2. Tab. VI. Fig. 1.

XXVII. Cranium hominis, qui ex notabili altitudine in latus dextrum capitis ceciderat, unde enata fiſſura eſt, per varia oſſa tranſiens. Tab. XVII. Fig. 1. 2.

Incipit fiſſura in parte inferiore oſſis verticis, & deorſum tendit per proceſſum lateralem oſſis multiformis, per baſim ejusdem oſſis, primo recta ad medium circiter locum inter duos proceſſus anteriores; inde oblique retrorſum, tum vero ad lunulam, juxta quam carotis interna ſiniſtra a latere dictae baſis adſcendit, dum retrorſum nexus partis petroſae & mammillaris oſſis temporis ab oſſe occipitis, quocum caeterum ſat firmiter connectitur, receſſit. Ab illa parte baſis oſſis multiformis, quae inter duos proceſſus anteriores ſurgit, alia fiſſura tendit usque ad nexum hujus baſis cum oſſe cribriformi. Adeſt & alia fiſſura, quae per os frontis parum ſupra nexum cum zygomate decurrit, haec introrſum retrorſumque progreditur per lamellam, quae cavum oculi a parte ſuperiore terminat. Ab apice fiſſurae, quae incipit in oſſe verticis, antrorſum retrorſumque transverſa alia fiſſura tendit, antrorſum ſeſe extendens, extrinſecus ad coronalem ſuturam, intrinſecus vero ultra eandem.

XXVIII. Pars ſuperior cranii hominis, qui pariter in latus dextrum capitis ceciderat. Tab. XVIII. Fig. 1. & 2.

Frontis verticisque oſſa in coronali ſutura, praecipue in latere dextro, multum a ſe invicem receſſerunt, adſunt praeterea fracturae & fiſſurae variae. A coronali ſutura retrorſum, non longe ſupra ſquamoſam ſiniſtri oſſis temporis partem, fractura tendit ad diſtantiam duorum circiter pollicum, ulterius in fiſſuram progreditur, incurvo ductu ſurſum tendit, ſicut tota illa oſſis verticis pars introrſum ſit preſſa. Per os frontis ſimilis fractura progreditur ad anteriora, duos pollices pariter longa, tum ſurſum tendit ad apicem ſuturae ſagittalis. A coronali obliquo ductu ad ſagittalem duae ſe extendunt fiſſurae, quarum ſiniſtra, major, tantum extrinſecus conſpicua eſt; dextra, minor, ab interiore melius cernitur. Verticis os ſiniſtrum, ſoluta coronali ſutura, ad diſtantiam ſesquipollicis a frontis oſſe receſſit, dein vero fractura per os verticis ſiniſtrum tranſit, & partes hujus oſſis inſigniter hiant. Ab interiore parte plures adſunt fiſſurae, quae a coronali ſutura in os frontis & verticis dextrum tendunt, ſatis longae, in fracturas deſcriptas terminatae, & extrinſecus non conſpiciendae.

XXIX.

XXIX. Pars ſuperior cranii puellae, octodecim annorum, quae ex quarta contignatione domus in plateam cecidit praeceps. Ad os verticis dextrum triangulare ſubortum erat vulnus. Fractura ibi ſeſe manifeſtans tranſit per mediam partem proceſſus lateralis oſſis multiformis, quae cum oſſe frontis, verticis, ſquamoſo, hic loci nectitur, ſurſum retrorſumque tendit ad mediam oſſis verticis partem, ubi ab ea retrorſum fiſſura procedit, pollicem circiter longa; inde fractura ad ſuturam coronalem tendit, non longe a ſagittali, in latere ſiniſtro penitus ſeparatam. Fractura autem porro a ſagittali ſutura retrorſum tendens per os verticis ſiniſtrum & cum eo nexum proceſſum lateralem oſſis multiformis procurrit. Clar. Palletta, qui hoc praeparatum dono dedit, addit; pulmonem dextrum fuiſſe inflammatum, & ſerum intra capacitatem pectoris fuiſſe extravaſatum; inflammatione tacta etiam fuiſſe inteſtina, hepar, & ſanguinem intra capacitatem abdominis effuſum, qui ex auribus naribusque etiam effluxerat; Mentis alienationem ſtatim adfuiſſe; ſe obſervaſſe praeterea, recens cranium fuiſſe ruberrimum, ac ſi ſanguis inter fibras oſſeas penetraſſet, & eſſet effuſus, unde cranium hoc, diutiſſime licet aëri expoſitum, tamen nigerrimum manſit.

XXX. Pars ſuperior cranii hominis per violentiam externam inſigniter laeſi. Tab. XIX. Fig. 1. & 2. Illati vulneris margines admodum craſſi, inaequales; ſubſtantia intermedia, a natura producta, ut hiatus adimpleretur, granuloſa, inaequalis, variae craſſitiei, imperfecta, ſic ut aperturae majores minoresque fuerint relictae. In ſuperficie interiore illa ſubſtantia, diverſis in locis, praecipue prope foramina minora, egregie conſpicitur.

XXXI. Os frontis, cui vulnus olim fuit inflictum, duos cum dimidio pollices longum. Sanatum hoc eſt, ſic tamen, ut ſinus profundus ſupermanſerit, & ab interiore parte prominentia oblonga, inaequalis, conſpiciatur. Tab. XIX. Fig. 3. & 4.

XXXII. Pars ſuperior cranii, cui vulnus fuit inflictum, ſic ut pars quaedam de oſſe receſſerit, quae maximam partem quidem concrevit, ſic tamen, ut ſquamae adinſtar reliquo verticis oſſi adhaereat, verſus poſteriora & inferiora margine craſſo ab eo remota ſit, & apertura parva remanſerit. Tab. XX. Fig. 1.

XXXIII. Caput oſſeum feminae, cujus partes variae carie ſunt exeſae. Idem eſt, quod in Supellectile Rauiana N. XXXII. pag. 5. memoratur. Delineatur autem Tab. XX. Fig. 2. Tab. XXI. Fig. 1. & 2.

Pars oſſis occipitis anterior, quae cum baſi oſſis multiformis nectitur, exeſa eſt carie, ſic ut inter illam & foramen magnum oſſis occipitis vix trium linearum diſtantia ſit. Conſumſit caries totam poſteriorem partem baſeos oſſis multiformis, ſic ut ſinus ſphaenoïdales aperti ſint, & lamella, de baſi illa ſeſe ſurſum extendens, & in duos proceſſus clinoïdeos poſteriores deſinens, perierit tota. Antrorſum ad capitellum vomeris non tantum pergit caries, ſed hujus magnam partem etiam conſumſit, adeo ut in baſi hujus cranii ante foramen magnum inſignis detur apertura, in varia tamen foramina, per reliquias tenues oſſium, diviſa. Os verticis dextrum inſigne foramen habet, parte ipſius notabili per cariem etiam conſumta. Hoc foramen multa

multo majus eſt ab interiore, ibique ſesquipollicem ſuperat, ab exteriore minus, ab anteriore verſus poſteriora pollicem longum, pollicem & duas lineas latum. Maxima pars tabulae vitreae periit, per diploën caries ſeſe extendit, & extrinſecus foramine minore, margine tamen tenui & inaequali cincto, ſeſe manifeſtavit.

XXXIV. Pars ſuperior cranii hominis adulti, ex quo per cariem periit pars notabilis oſſis frontis & vicini oſſis verticis ſiniſtri. Longitudo eſt duorum pollicum, latitudo ſesquipollicis. Margines admodum inaequales, acuti. Ab interiore idem foramen tantam amplitudinem non habet, ſed magis rotundum eſt; ab exteriore ergo enatum ſenſim ad interiora penetraſſe videtur. Conf. Tab. XXIII. Fig. 1. & 2.

XXXV. Cranium feminae, carie venerea, ut videtur, miro modo, multis in locis exeſum. Hoc, a me diſſectum, & variis figuris depictum Tab XXIV. XXV. XXVI. XXVII. Fig. 1. 2. 3. 4. 5. 6. ejus naturae eſt, ut multa egregie illuſtret, & probare videatur, illas durae matris fungoſas excreſcentias, quibus oſſium vitia, qualia praecedentibus articulis deſcripta ſunt, nonnulli adſcribunt, non cauſas talis cariëi, ſed potius effectus eſſe.

Integumenta nullam videbantur labem paſſa; his vero ſublatis, in oſſibus frontis, verticis, tumores varii diverſae magnitudinis cernebantur, non admodum elevati, ichoroſo ſanguine diſtenti. Secta autem horizontaliter calvaria, fungos bene multos ex dura matre procreviſſe, hos per oſſa ſibi viam feciſſe, conſtitit. Depurato autem toto cranio, examinatis partibus vicinis omnibus, veneream luem exediſſe oſſa fere cuncta patuit, & duram matrem poſtea degeneraſſe. In oſſibus frontis, verticis, temporum, multiformi, dantur bene multa loca, carie plane exeſa. Pleraque a parte exteriore minora ſunt, alia extrinſecus non conſpiciuntur, ferme omnia intrinſecus ſeſe latiſſime extendunt, & reticulata quaſi oſſeam quodammodo vegetationem ſiſtunt; vitrea lamella non exeſa eſt, ſed in multas eminentias acutas, tenerrimas, pulcherrimas, exſurgit, dum intermedia pars aequabilior, reticulata, exiſtit. Nonnulla ab interiore ortum ſuum traxiſſe crederes, pauca ab exteriore. Videtur autem prima ſedes in ipſa diploë fuiſſe. Octodecim hujus generis loca carioſa in interiore ſuperficie partis ſuperioris cranii hujus, de baſi ferrae ope ſeparatae, cernuntur. Adeſt notabilis talis caries in proceſſu laterali ſiniſtro oſſis multiformis & vicina parte oſſis frontis, quae tum extrinſecus, ubi temporalis muſculus accubuit, tum intrinſecus, conſpicitur, & ibi quidem latiſſime ſeſe extendit. Alia cernitur in parte illa oſſis verticis ſiniſtri, quae & cum occipitis oſſe & cum parte mammillari oſſis temporis nectitur; intrinſecus etiam maxime notabilis. Pars lateralis oſſis multiformis ejusdem lateris, quae cum oſſe jugali cohaeret, eodem vitio laborat, ut & ea illius pars, quae arteriam ſpinoſam transmittit. Hoc infecit proceſſum lateralem ejus oſſis in dextro latere, ubi cum parte ſquamoſa oſſis temporis & oſſe frontis cohaeret; penetravit caries ad interiora cavi oculi dextri, cujus partem etiam dictus proceſſus lateralis conſtituit; & in ea oſſis frontis parte, quae conceptaculum cerebri a cavo oculi ſeparat, duo cernuntur loci carioſi, quorum ſuperior & anterior per totam oſſis ſubſtantiam penetrat. Pars ſquamoſa oſſis temporis, pone jugum

inve-

invenienda a radice proceſſus zygomatici deorſum & antrorſum ad proceſſum lateralem multiformis magno foramine exeſa eſt. Oſſis occipitis denique ea pars, quae a latere dextro foraminis magni eſt, inter condylum, cum atlante jungendum, & baſin, mire etiam eſt exeſa. In eodem latere antrum Highmori verſus fauces totum patet, conſumto proceſſu aliformi, parte vicina oſſis palati & maxillae ſuperioris, ſic ut radices penultimi dentis molaris nudae pateant, perierit ultimus, & ampliſſimum ibi loci cernatur foramen. In oppoſito latere in proceſſus aliformis cavo initium cjusdem mali eſt. Nares internae ſanae ſunt, & partes molles faucium non erant ulceroſae. Maxillae inferioris angulus dexter totus periit, ſimili carie conſumtus; deſtructi oſſis partes in putrida, quae ibi appoſita erat, & ulceroſa carne detegebantur. In utroque condylo principium mali cernitur. In latere hujus maxillae ſiniſtro ab interiore foramen ſatis magnum eſt, pariter carioſum, non multum diſtans ab eo loco, ubi extrinſecus ramus tertii rami quinti nervorum paris exit. Hoc in latere prope angulum ab interiore, ut & ad radicem proceſſus prioris, cui tendo temporalis adfigitur, leviora cariëi adſunt principia. Atlantis partes laterales cariofae ſunt, & apices foraminum, per quae adſcendunt vertebrales arteriae, conſumti. Epiſtrophei corpus ab exteriore & interiore laborat, & magna pars illius portionis, quae infra nexum cum atlante datur, conſumta eſt; arcus in latere ſiniſtro foramine pertuſus eſt, & ſiniſter apex proceſſus ſpinoſi deëſt. Tertiae vertebrae corpus carioſum eſt, & anterior foraminis, quod penetrant vaſa vertebralia, radix in ſiniſtro latere eſt deſtructa. Partes reliquas ſceleti examinare non potui.

Praeparatum hoc pulcherrimum eſt, nitidiſſimum. Adſunt dentes omnes, duobus molaribus exceptis in maxilla inferiore, qui jam dudum perierant, & quorum alveoli etiam deleti ſunt. Varii autem ſunt carioſi. Dura mater Sectionis Quintae N°. I. inter partes morboſas molles deſcribitur.

XXXVI. Pars ſuperior cranii viri adulti, in qua cernuntur veſtigia varia praegreſſae, jam vero ſanatae, cariëi, inter quae unum adeſt in oſſe frontis, quod maximam partem quidem ſanatum eſt, attamen indicia cariëi talia exhibet, ut videatur ea fuiſſe venerea, ſi comparationem inſtituimus inter hanc plagam, & vitium, praecedenti articulo deſcriptum, ſic ut hoc exemplum videatur inſervire poſſe, ut conſtet, talem cariem ſanari ſubinde, & monſtret, qua ratione natura hoc in caſu procedat. Integumenta non erant vitiata, ſed omnibus illis locis, ubi caries adfuerat, oſſi firmiter accreta. Tab. XXVIII. Fig. 6. & 7.

XXXVII. Cranium hominis adulti, lue venerea maxime eroſum. Tab. XXII. Fig. 1. Frontis & verticis oſſa praecipue diro hoc morbo maxime adfecta ſunt, pars etiam ſuperior oſſis occipitis, & ejusdem oſſis pars inferior dextra, quae cum parte mammillari oſſis temporis jungitur, & cui ab interiore lobus dexter cerebelli accumbit. Non tantum deſtructa tabula externa, ſed etiam diploë, imo variis in locis caries per totam oſſium ſubſtantiam penetravit, & non pauca, hac ex cauſa, ſuborta ſunt foramina. Faciëi oſſa, ut & ea, quae nares internas & palatum conſtituunt, non vitiata ſunt. Suturae ferme omnes perierunt.

XXXVIII. Cranium hominis adulti, cui eadem hac ex cauſa maxillae ſuperioris pars dextra, palatum, nares internae, multum paſſa ſunt. Tab. XXVIII. Fig. 1.

Ab eo loco, ubi in juniori aetate os maxillare dextrum cum ſiniſtro nectitur, margo alveolaris in dextro latere fere totus deſtructus eſt, cum vicina lamella palatina. In palato verſus poſteriora foramen inſigne datur. Conſumta vomeris pars maxima & inferior, quae ſepti narium partem praecipuam conſtituit, & praeter capitellum vix quicquam ſupereſt. Perierunt oſſa ſpongioſa dextri lateris cum magna proximi oſſis maxillaris parte, ſic ut ſinus maxillaris ampliſſima apertura intra nares hiet, & ſimul intra os, dum conſumta eſt magna pars inferior ejusdem cavi. Deſtructus eſt canalis naſalis totus, & eroſa etiam ea pars oſſis unguis, quae cum proximo proceſſu naſali oſſis maxillaris ſinum format, cui incumbit ſaccus lacrymalis. Sutura ſagittalis maxima pars obliterata eſt.

XXXIX. Pars ſuperior cranii, ex lue venerea carioſi. Tab. XXII. Fig. 4. & 5. Placuit Clar. Pallettae hoc praeparato, ut & multis aliis, poſtea deſcribendis, meam collectionem ornare, huic autem ſequentem addidit morbi hiſtoriam.

Miles, dum reipublicae Venetae ſtipendia in Dalmatia merebatur, gonorrhaeam contraxit, a qua intra paucos menſes ſe liberaverat. Denuo eodem malo cum bubone affectus curam, neſcio quam, adhibuit, unde a morbo iterum liber evaſit. Sed menſe majo anni 1779. tumor eidem ſupra ſynciput ſiniſtrum obortus eſt, comitante febre cum horrore & dolore acuto, quo intra decem dies ad maturitatem perducto, evacuatoque pure, cranium nudum apparuit. Suſcepta interim curatio non videbatur illi ex voto ſuccedere, quam ob cauſam ad patrium Noſocomium ſe tranſtulit menſe Auguſto anni 1780.

Quam primum ulcus inſpexiſſem, oſſis verticis partem gibbam nudatam, & colore fuſco praeditam, integumenta circa ulcus late ab oſſe ſoluta, & copioſum pus fundentia animadverti, ut bis deligare ulcus oportuerit, quod tamen trium menſium ſpatio, excidente per vices tabula externa, ad cicatricem propemodum perductum erat, ſed aeger negotiorum praetextu, quum ſe fere reſtitutum ſentiret, Novocomum ire contendit. Verum iter, frigida tempeſtate ſuſceptum, & deligandi ulceris incuria, malum denuo exasperarunt. Quare, anno 1781. iterum in Noſocomium receptus, meam opem expertus eſt ſic, ut ulcus carne repletum 31. Maji tantum a perfecta ſanatione abeſſet, quantum aciculae caput aequaret; ſed quum longius cicatricem differret preſſione nonnihil puris eductum eſt, atque ita ſinus apparuit, qui ad oſſis fragmentum ducebat. Poſt aliquot dies, ampliato ulcere, quod a cranio ſeceſſerat, eductum eſt, relicto alio fragmento, nondum penitus ſeparato. Interim ad ima cranii dolor perſentitur, qui increſcit, quo magis ulcus dilatatur, quamvis & pus bonae indolis ſit, & os nudatum albidi coloris appareat. Dolores autem circa medium junium magis invaluerunt, ab ulcere tanquam centro verſus aurem & orbitam ſiniſtram, & verſus futuram ſagittalem ſeſe diffundentes. Ad finem Junii remiſerunt parumper dolores, ut mox atrocius invaderent, nempe cum leipothymia, dein febre vehementi, atque cephalalgia, quibus ſymptomatibus venae

ſectione

ſectione & cucurbitulis non mitigatis, poſt octiduum pareſis dextri lateris ſeſe adjunxit. Tum vero dolor capitis miteſcere paulisper videbatur, pulſu molli debilique facto, ſed mox inſultus epileptici crebro adoriebantur aegrum cum faciëi pallore, ſenſuum hebetudine, pupillae dilatatione, pulſu deficiente, & virium omnium jactura. Inſequentibus diebus convulſionibus clonicis diſtorquebatur, delirio, torpore, proſtratione, quibus tandem mors ſubſecuta eſt 15. Julii.

Ablata calvaria dura menynx a latere ſiniſtro juxta proceſſum falciformem perforata inventa eſt, & menynx utraque ad idem hemisphaerium pertinens inflammatione correpta. Ipſum cerebri hemisphaerium pure, albo, denſo inundatum; cortex cerebri livens, ventriculus ſiniſter cinereus, ſanie repletus erat. Caeterum nulla inter cranium & menynges humoris effuſio; nec pericranium aut cicatrix ab oſſe ſoluta. Verum haec omnia non ab oſſis labe proceſſiſſe, vero ſimile eſt, idque magis ex eo probatur, quod, dum melius valere coepiſſet, ſartoriam artem exercens, prono capite diutius haerebat. Errores, forte in regimine admiſſi, plurimum ad mali augmentum contuliſſe videntur.

Cranium purgatum duobus locis hiabat in ſyncipite ſiniſtro. Prius foramen, prope ſuturam ſagittalem, perruptum, inaequale, & circulo jam jam abſceſſuro anguſtabatur, nullibi carioſo, albido, parum ſpongioſo. Alterum, priori adjacebat, propius auri, quod aeque interruptum ex ſola interna lamella, exeſa etiam diploë, videbatur conſtare, cranii tabula extima penitus ablata. Eadem ferme in interiore facie cernebantur, niſi quod crebrioribus foraminulis eſſet pertuſa, atque interjacens oſſeum ſeptum ſic attenuatum, ut quodammodo pelluceret.

XL. Varia fruſta oſſium cranii carioſa, ex lue venerea. In aliis externa tabula, interna in aliis, in aliis denique & externa & interna, miro modo arroſa, nonnullis in locis plane conſumta eſt, ut ex figuris 3. & 4. Tab. XXI. melius, quam ex deſcriptione, cognoſcitur.

XLI. Cranium hominis adulti, in cujus oſſe verticis dextro eroſionis notabilis, olim praeſentis, indicia profunda cernuntur, ſic ut haec oſſis pars admodum inaequalis, ſcabra, ſinuata ſit. Similia veſtigia apparent in parte dextra oſſis frontis, quod os procurrente ſutura ſagittali diviſum eſt. Margo lateralis externus & ſuperior orbitae dextrae ſimili vitio laborant.

XLII. Pars ſuperior cranii carioſi. Cariem praeſentem a tinea derivavit Clar. Palletta, cui hoc praeparatum, Tab. XXIII. Fig. 3. & 4. delineatum, cum adnexa ſequenti hiſtoria, debeo.

Juveni, paraplegia diu affecto atque ob tabem vita functo, cranium detraxi prima Septembris anni 1783., quod jam diu lato obſidebatur ulcere cum ipſius oſſis denudatione eo loci, ubi os frontis verticis oſſibus committitur, cujus quidem mali cauſa ignorabatur, nam aeger vocis uſum amiſerat, antequam in Noſocomium delatus eſſet. Verum cutis, capillitio deſtituta, aliquem nobis conjectandi locum dedit a tineae miasmate ulcus fuiſſe profectum. Pericranium ad ulceris peripheriam ſejunctum erat, totique calvariae tam laxe adnexum, ut ab occipite facillime detrahe-

traheretur. Calvariae ſuperficiem obducebat gelatina quaedam, flaveſcens, quae etiam ſub ipſo cranio collecta, iis praecipue locis, ubi eroſiones internae erant, utrasque durae menyngis laminas eodem colore flaveſcente infecerat. Cerebrum etſi mediocris conſiſtentiae, molis tamen minoris erat, quam aſſolet, ut inter ipſum & cranium ſpatium intercederet non exiguum. Hepar in ſima facie tubercula ſuppurata habebat. Reliqua non perquiſivimus.

Cranium exſiccatum plura exhibuit, quae merebantur attendi. Tabula exterior decem locis arroſa ſic, ut, quae inde nata erant, ulcuſcula, velut radiis, regulariter dispoſitis, ſtellarum in modum circumdarentur. Ulcera, quae in dextra parte erant, ſubulceratis integumentis, aëri patebant, reliqua nullo indicio ſeſe prodibant; humor enim, cujusvis ille fuerit indolis, necdum membranas vitiaverat. Eroſiones omnes in tabula externa conſiſtebant, quarum mediam aream limbus coronabat velut corrugatus & fere radiatus a multiplici fibrarum oſſearum inter ſe implexarum ordine. Diploë reticulatam fabricam habebat reliquo oſſe multo albidiorem. Circa radiatum limbum quamplures ſulci & foveolae conſpiciebantur, ut appareret, eas ab humore factas fuiſſe, latius quondam tabulam devaſtaturo. Suturae & bene commiſſae & integrae erant, ſi levem a dextris eroſionem excipias. Interior calvariae facies eadem ulcera exhibebat, & poſitu & figura iis reſpondentia, quae ad ſuperficiem cranii conſpiciebantur, & perinde radiatos habebant margines; ſulcique, inter radios vorticoſe decurrentes, ductus illos aemulabantur, qui recipiendis vaſis ſanguiferis dicati ſunt. Areae autem, quae minoribus ulcerationibus externis ſunt oppoſitae, ab interiore parte foraminulorum ſcatent congerie, varia & amplitudine, & profunditate, ſuperſtite tamen interiori tabula, quae nunc primum ab humore, qui eam in cribri modum perforaverat, videbatur gravius affici. Etſi reliquum oſſis bene fuerit conſtitutum, tamen ex quo fuit expurgatum ad finem Septembris foetorem aceſcentem continuo emiſit, quem liberior aër, cui ultra menſem os expoſitum fuerat, non abſtulit.

XLIII. Pars ſuperior cranii, pariter carie affecti, quam a ſtrumis derivat idem Clar. Palletta, qui ſequentem hiſtoriam mecum communicavit. Tab. XXII. Fig. 2. & 3.

Adoleſcenti, ſeptem ſupra viginti annos nato, poſt immanes capitis dolores abſceſſus ovi magnitudine ſuper ſynciput ſiniſtrum ortus eſt ad pollicis diſtantiam a ſutura coronali. Habitus erat cachectici, & a pueritia ſtrumis obſeſſus, quarum turpes, easque plurimas, cicatrices circa collum gerebat. In Noſocomium 19. Februarii 1781. illatus eſt, atque, intellectis ex eo, quae modo memoravi, confeſtim tumorem aperui, unde pauxillum puris effluxit, exciſis vero marginibus ſub pure mucilago quaedam; dein, per digitum ulcere diligentius explorato, cranium denudatum, atque perforatum inventum eſt. Exinde pulſationibus durae matris adauctis major puris copia, veluti ſub cranio deliteſcentis, emanavit. Oſſis pericranio tecti color erat naturalis, foramen vero rotundum, margine perrupto, quinque linearum diametrum habebat. Interea, etſi pus album craſſumque effluere, quinto ab inciſione die febris cum horripilatione ingruit, dura mater fit ſordida,

dida, os latius nudatur, ſed intra hebdomadem, decreſcente febre, pureque copioſius fluente, in melius omnia mutabantur, namque papillae carneae, velut ex diploë & dura matre ſuccreſcentes, circa foramen obſervabantur, quae illud paulatim carne oppleverunt. Nihilo tamen minus gravedo quaedam jam diu frontem occupaverat, quae poſtea in eryſipelas faciëi cum mitiore febre ſoluta eſt; poſt octiduum, fere evanido eryſipelate, carne pallida, ampliato ulcere, lamina oſſis extima flaveſcens & attenuata viſa eſt, ut caro ſubtus increſcens tranſpareret, tandemque ea alacrius vegetante, menſe auguſto oſſis ſquama ſeparata eſt. Quum anni ſpatio eo perducta eſſet curatio, ut ulcus carne repleretur, & bonae condi-tionis eſſet, quin tamen cicatrix induci potuerit, aeger innovandi aëris gratia. Noſocomio exceſſit 6. Januarii 1782. Jam ante diſceſſum de dolore quodam fixo ad angulum poſteriorem ſyncipitis querebatur, qui demum in amplum abſceſſum reſolutus aegrum coëgit, ad Noſocomium redire die 23. Februarii. Ulcus, quod primo apparuit, necdum coïverat, etſi bonae notae eſſet; abſceſſus noviſſime enatus, ſolito more dilatatus, multum puris fudit, atque ſic ad 27. Maji ſine moleſtia vixit. Tum vero diarrhoea correptus coepit emaciari, viribus languere, & tandem 31. Maji ex vita diſceſſit.

In defuncti cranio primum ulcus, quod ad duram matrem penetraverat, ſubſtantia quadam, veluti carnea, opplebatur, quae & a pericranio & a futurarum vaſis, & ab ipſa etiam dura matre videbatur proficiſci, ut tamen eadem dura mater cranio parum firmiter adhaeret. Etſi os cranii affectum eſſe non appareret, ejus tamen fibrae nullo modo producebantur, ut foramen abolerent. Primi ulceris latitudo eſt pollicis unius, longitudo duorum pollicum. Caeterum ejus margo irregularis angulum anteriorem ſyncipitis eroſit, & partem anguli ſyncipitis dextri. Ulcus poſterius tabulam duntaxat cranii exteriorem ſupra angulum ſyncipitis inferiorem arroſerat. Reliquum cranium ſolidum, ponderoſum. Cerebrum undique ſanum.

XLIV. Pars ſatis notabilis de oſſibus capitis ſeparata, poſt abſceſſum hac in parte enatum.

XLV. Portio magna tabulae externae cranii, ſponte ſeparata in vero ſcrophuloſo. Quid ipſa natura tali in caſu faciat, hoc ſpecimine egregie probatur, & quali modo ſeparatae tales partes ſeſe habeant, ab exteriore & interiore, cernitur in Tab. XXIII. Fig. 5. & 6.

XLVI. Partes duae ſeparatae de oſſe verticis ſiniſtro, uſu ſolius unguenti baſilici, ſed praecipue vi naturae. Fruſta haec cranii carioſa XLIV. XLV. & XLVI. pariter a Clar. Palletta transmiſſa ſunt.

XLVII. Cranium hominis adulti, in quo varia etiam eroſionis veſtigia conſpiciuntur, quae vel externam tantum oſſis tabulam adfecerunt, vel etiam in diploën ipſam penetrarunt.

XLVIII. Portiones oſſeae, magna, & alia multa minora, carie affecta, quae ſunt ſeparatae de cranio feminae. Vitae, morbique hiſtoriam, quantum illam exſcari

piſcari potuit, ſequentem dedit Vir Doctiſſimus, Ciar. Roquette, Anatomes & Chirurgiae Praelector, ac Poliater Harlemenſis.

Saniſſimis parentibus nata, ipſa ad decimum quartum aetatis annum bene valens, pulcherrima, ſed ſanitati parum conſulens, &, etiamſi validiori corporis motu maxime perſpiraret, imo ſudaret, frigido veſpertino aëri ſeſe exponere ſolita, petulantia ſuâ & inobedientia parentum, patris praecipue, indignationem ſibi contrahens, ab eo non minis tantum ſed & verberibus ſaepiſſime caſtigata tali quidem modo, ut ſubinde per aliquot dies lecto continere ſeſe debuerit, dicto anno de doloribus artuum conqueri coepit, in principio quidem non adeo validis, ſed dein tantopere adauctis, ut medicum in auxilium vocare neceſſe fuerit. Hic dolores rheumaticos cenſens, & rheumatismo vincendo idonea praeſcribens remedia, tam parvum tamen attulit ſolatium, ut aegra, medicamina abhorrens, morbum naturae ſoli commiſerit. Hac vero eundum vincere non valente, tumores ſuborti ſunt in articulis, deinde & aliis in locis, in capite, facie, ad coſtas, in artubus ſuperioribus & inferioribus, praecipue in tibiis. Hi tumores ſenſim disrupti latentem in omnibus locis majori minorive gradu cariem manifeſtabant; quâ, plerumque inſenſibili modo, ſeparatâ, ulcera ſanata ſunt, relictis cicatricibus, rubicundo colore a reliqua cute diſtinctis, & faciem difformem reddentibus. Tandem etiam disrupti ſunt tumores in capite, ac tunc ſeſe manifeſtavit caries admodum notabilis, late ſeſe extendens, foetore vix tolerabili ſtipata. Curam omnem chirurgi cujusdam famulo hactenus commiſerant parentes, tum demum vero vocatus Clar. Roquette eſt, quando caries ad eum gradum devenerat, ut, fragmentis multis minoribus jam ſeparatis, majus fruſtum vacillare inciperet. Per tres annos curam ipſius geſſerat chirurgi famulus, jam vero 19. annum ipſa attigerat aegra. Menſtrua ſeſe non manifeſtabant. Amara, corrigentia, martialia propinata ſunt, indeque eam hauſit utilitatem, quod vires refocillatae ſint, margines ulcerum depurarentur, & de cranio carioſum os facillime ſepararetur, ſic quidem, ut dura mater nuda ſeſe manifeſtaverit, ejusque motus percipi potuerit. Decoctum corticis Peruviani, cum tinctura myrrhae, ſubinde aqua aluminoſa, ulceri applicata, quod ſic ſanatum eſt, ut membranacea quaſi ſubſtantia producta ſit, quae foramen opplevit, & de tempore in tempus ſic induruit, ut demum, ſed non niſi anno adminimum elapſo, oſſis firmitatem ferme acquiſiverit. Videbatur tunc ſibi ſana; ſed virus, quod omnia corporis oſſa adfecerat, nondum penitus erat devictum, &, varia, affecto praeprimis nervoſo ſyſtemate, ſeſe manifeſtarunt ſymptomata; nunc amauroſi, trismo, loquendi impotentia, ſurditate, nunc doloribus pectoris adeo vehementibus, ut venae ſectio requireretur, alia occaſione doloribus colicis & abdominalium muſculorum violento ſpasmo, iſchiade, epiſthotono, emproſthotono, laboravit. Omni ope acres humores, qui ſyſtema nerveum videbantur afficere, corrigere, obtundere, involvere, per diverſas vias e corpore evacuare, allaboravit medicus, eo etiam ſucceſſu, ut per tres annos quodammodo valuerit, licet ſubinde febricitaret, doloribus rheumaticis vexaretur; tandem vero valetudo pejor fiebat, hydropica evaſit, & maxime emaciata, circa vigeſimum octavum aetatis annum vivere deſiit. Tab. XXVII. Fig. 7. 8. 9. fruſtra carioſa delineata ſunt.

XLIX.

XLIX. Cranium hominis, mortui anno 1784. ex epulide cancroſa, inſequuta pertinaciſſimam odontalgiam. Ad marginem alveolarem ſiniſtrum maxillae ſuperioris fungus conſpiciebatur admodum amplus, ſaniem fundens, gingivam non tantum occupans, ſed ſinum maxillarem etiam adficiens, ad marginem inferiorem orbitae ſeſe extendens, ſic ut palpebra & conjunctiva oculi membrana etiam laborarent.

In depurato cranio eroſum inventum eſt totum os maxillare ſiniſtrum, ab alveolo dentis canini usque ad poſteriorem palati partem; periit lamella palatina, baſis oſſis palati, totum antrum Highmori, pars inferior orbitae, pars proceſſus lateralis oſſis multiformis, proceſſus pterygoïdei, & vix quicquam de lamella ipſius interna ſupereſt; periit totum os ſpongioſum inferius, & ſuperius, magna pars portionis cavernoſae oſſis ethmoidis, ſic ut cavernulae omnes pateant, vicini etiam oſſis unguis pars, & ea vomeris portio, quae deſcendens ſeptum narium format, & foramina earum a poſteriore diſtinguit. Supereſt igitur de parte inferiore orbitae ſolus margo, nec liberum manſit os jugale, cujus inferior pars, quae cum ſuſtentaculo oſſis maxillaris caeterum jungitur, abeſt, & intrinſecus maximam partem corporis ſui eroſam monſtrat. Hoc praeparatum, a Clar. Palletta factum, Tab. XXIII. Fig. 7. depictum eſt.

L. *Oſſa cranii infantis junioris, quorum pleraque ſoluta, nonnulla praeter naturam invicem concreta.* Tab. XXIX. Fig. 1. & 2. *Frontis os, verticis dextrum,* & multiforme tam firmiter invicem concreverunt, ut unam compagem oſſeam non ſolubilem ſiſtant. Suturae itaque coronalis pars dextra non conſpicitur, & nunquam etiam adfuiſſe videtur. Cum frontis verticisque oſſibus proceſſus lateralis multiformi ſic concrevit, ut & hujus nexus veſtigium, quo illum antea ſeparabilem fuiſſe conſtaret, nullum adſit. Priores proceſſus hujus oſſis a lamellis oſſis frontis, quae conceptaculum cerebri a cavis oculorum diſtinguunt, parum removeri valent, & proceſſus lateralis ſiniſter ab oſſe frontis liber eſt. Sed praeterea media oſſis frontis pars, in ſua externa ſuperficie admodum foraminulenta eſt, & deſtructa cernitur tabula externa. Praecipue autem oſſa verticis talem mutationem ſubierunt. Quibus partibus ſeſe reſpiciunt, & cum oſſe occipitis junguntur, craſſities inſigniter adaucta eſt, & ſuperficies externa admodum poroſa, foraminulenta. Proxima pars oſſis occipitis in ſiniſtro latere ſimili modo adfecta eſt. Praeterea oſſificationis defectus, foramen admodum notabile, adeſt, quod ſine dubio membrana tantum fuit clauſum, & margines adeo aequales glabros habet, ut, a nativitate extitiſſe, pateat.

LI. Oſſa cranii infantis duorum circiter, ut videtur, annorum, omnia, ſoluta, extrinſecus, intrinſecus, ſingulari ratione arroſa, deſtructa fere ubivis externa, vel interna, aut & utraque tabula; an ex lue Venerea connata? Docere hoc videbantur ulcuſcula hujus generis, quae totum caput faciemque deturpabant. Tab. XXIX. Fig. 3. 4. 5.

Oſſa maxillaria, qua parte faciem conſtituunt, jugalia, multiforme, praecipue ubi hoc concurrit ad foramina oculorum formanda, extrinſecus multum arroſa ſunt, prae-

praecipue verò os frontis, verticis ossa, insignem subierunt mutationem. Frontis os, multis in locis solito crassius, a futura coronali ad illum ferme locum, ubi tubera duo habet, quibus accumbunt lobi priores cerebri, intumuit, tota ipsius substantia spongiosior reddita est, & extrinsecus innumera foramina minora conspiciuntur. Similem degenerationem in ea parte, quam glabellam vocare solemus, observare licet. A foramine, per quod transit nervus frontalis, a latere sinistro maxime conspicuo, & intumuit os, & superficies externa erosa est; simili modo sese habet illa pars, quae in utroque latere externo datur, & ossa jugalia admittit. Lamellae, quae lacunaria oculorum formant, sano in statu tenuissimae, acquisiverunt crassitiem circiter quartae partis pollicis rhenolandici, prominent praecipue versus cava oculorum in substantiam spongiosam, teneram, foraminulentam, ex figuris melius, quam ex sola descriptione, intelligendam. Dextrum sinistrumque os verticis, praecipue vero dextrum, ubi coronalem futuram, prope fontanellam, constituunt, ubi inter se, sagittalis ope nectuntur, ut &, ubi lambdiformen cum osse occipitis formant, simili modo affecta sunt, ac superior ossis frontis pars, extenditque degeneratio ossis sese ad sesquipollicem & ultra, nonnullis saltem in locis, a futura sagittali. Occipitis os non adeo in dextro, quam quidem in sinistro latere, prope lambdiformen futuram eadem ratione mutatum est. Interna dictorum ossium, ferme omnium, superficies, destructâ lamellâ vitreâ, multis in locis, praecipue ubi externa superficies laesa est, similem degenerationem subiit.

LII. Pars superior cranii, cujus tota superficies exterior, arrosa, quasi cariosa existit.

LIII. Pars posterior cranii hominis adulti. Caries consumsit apicem ossis occipitis, partesque vicinas ossium verticis, praecipue dextri. Destructa non tantum tabula externa, & consumta diploë, sed pro parte etiam vitrea, sicut foramina intrinsecus dentur varia, majora, minora.

LIV. Cranium pueri cum maxilla inferiore, variis in locis carie destructum. Tab. XXVIII. Fig. 2. 3. 4. 5.

Laboraverat in parte laterali dextra faciëi ulcere sinuoso & fistuloso, quod sese extenderat tum versus exteriora, tum versus interiora, & adscenderat sursum inter jugum, ex osse jugali & processu zygomatico ossis temporis factum, atque partem posteriorem maxillae superioris, antrum Highmori includentem. Carie adficiebatur maxilla inferior, nec adficiebatur tantum, verum in latere dextro multum consumebatur. Totum latus dextrum maxillae, quod sese ad tempus extendit, sic periit, ut non nisi apex processus coronoïdei superfuerit, cui tendo musculi temporalis sese adnectere solet. A foramine, ubi exit tertius ramus quinti nervorum paris, retrorsum maxilla, ab interiore tota consumta, sensim latitudine imminuitur, & parum adhuc procurrens in obtusum mucronem definit. In latere sinistro caries etiam adest a parte anteriore, ibique alveolos dentis canini duorumque subsequentium molarium consumsit. Infra hunc locum defectus quasi in margine maxillae est, ibique videtur pars periisse, dum natura sanationem incoepit; prope angulum, quem pars anterior maxillae cum parte laterali sinistra facit, tum ab exteriore, tum

ab

ab interiore locus etiam carioſus eſt. Sed in latere dextro caries ſeſe etiam extendit ad maxillam ſuperiorem; hac leviter adfectus eſt ſinus in oſſe temporis ad radicem proceſſus zygomatici, pro articulo maxillae inferioris; magis eodem vitio laborat margo alveolaris, nam non tantum exeſa eſt pars magna, ubi ſecundus tertiusque dens molaris ſedem ſuam habuerunt; & eorum alveoli penitus ſunt deſtructi, ſed maxilla ipſa ferme ad ſuſtentaculum oſſis jugalis corrupta eſt; ab altero alveolorum latere adfecta etiam lamella palatina eſt, in quo notabile adeſt foramen, quod in nares usque penetrat.

LV. Cranium feminae, cujus partes omnes, faciem conſtituentes, miro modo ſunt deſtructae. Tab. XXX. XXXI. XXXII. XXXIII. Erat, cum prima vice illam viderem, quadraginta quatuor annos nata, ac tredecim vivos in lucem emiſerat infantes. Semper ſana, & non niſi ſubinde doloribus capitis vexata fuerat. Ante duodecim autem annos in palato tumor erat ſubortus, qui, ſenſim adauctus, moleſtiamque notabilem producens, eam excitaverat, ut varios medicos chirurgosque conſuleret, qui omnes non attingendum, ſed ſibi relinquendum, tumorem cenſuerunt. Horum conſilio cum auſcultaret, tumor ſenſim adeo increvit, ut os oppleret; dolor tunc in naſo ſucceſſit, gena ſiniſtra de tempore in tempus intumuit, tumorque totius partis lateralis ſiniſtrae faciëi tantus ſubortus eſt, ut eam maxime difformem reddiderit, praeſertim cum a latere naſi magna admodum, & infra oculum duae aliae protuberantiae, cum majori tumore communicantes, prodierint. Tactu examinatus tumor, & in gena, & in ore, erat duriſſimus, renitens, & videbatur ipſa oſſium ſubſtantia maximopere extenſa. Oculorum acies ſenſim imminuta, donec principio anni 1786. plane coeca fieret. De tempore in tempus magnam ſanguinis quantitatem ore evacuavit; ſemper ex narium aperturis praecipue dextra magna tenacis muci prodiit copia, minor ex ore. Per longum temporis ſpatium diverſi generis alimenta aſſumere potuit, ſed, increſcente maxime tumore, non niſi liquidiora, & haec difficillime ad fauces pervenire poterant; deglutitio tamen erat commoda.

Altero a morte, quae menſe Octobri 1786. accidit, die caput examinavi; ſeparatis autem de latere faciëi ſiniſtro integumentis, non niſi ſubſtantiam duram ferme cartilagineam interſperſis particulis oſſeis vidi, totum tumorem formantem, & tum ſurſum, tum deorſum, retrorſumque ſeſe extendentem, ut crediderim, me potius totum cranium deſtructurum, ſi eum tollere vellem, & degenerationes, quas oſſa ſubierant, nunquam ſic detecturum, quare per macerationem totum tumorem conſumere tentavi, ut ſenſim ab oſſibus liberaretur, haecque in ea, quam nunc obtinebant, ſede examinari poſſent. Voto reſpondit eventus, & cranium, mirando modo corruptum, horrendum profecto praebuit ſpectaculum; deſtructae enim partes bene multae perierunt, aliae loco ſic dimotae ſunt, ut ſitum & figuram praeternaturalem acquiſiverint, & abunde probare videantur, tumorem, in altero ſinu maxillari ſubortum, hunc extendiſſe, diſrupiſſe, detruxiſſe, partes alias vicinas intactas non reliquiſſe, imo viam ſibi ad conceptaculum cerebri feciſſe, ibique compreſſione

ſione ac deſtructione partium coecitatem aliaque mala produxiſſe.

Abſoluta maceratione, omnia oſſa, faciem, genas, nares, orbitarum partes inferiores, palatum conſtituentia, vel penitus deſtructa, vel ſingulari ratione loco mota eſſe, conſtitit. Os maxillare ſuperius ſiniſtrum totum deëſt; ſi excipio parvam admodum partem proceſſus naſalis, quae una cum oſſiculo naſi ſurſum extrorſumque propulſa; ejusdem lateris os jugale non niſi pro parte conſpicitur, multum verſus exteriora dimotum; ſupereſt ſolummodo ea pars, quae cum oſſe frontis & proceſſu laterali multiformis cohaeſit, ut & tenuis portio illius particulae, quae cum proceſſu zygomatico oſſis temporis nectitur. Os maxillare ſuperius dextrum pro parte ſupereſt, unicusque ipſi inhaeret dens molaris; ſinus reliquiae cernuntur, & nullum vitium in eo haeſiſſe conſtat, dum portio etiam adeſt illius partis, quae hunc ſinum a reliqua parte narium diſtinguit. Ethmoïdei oſſis ſeptum medium adeſt, partes cavernoſae, cribroſae, ſpongioſae in ſiniſtro latere maximam partem ſunt deſtructae, in dextro cribroſae cernuntur, reliquae ſic verſus oculi cavum propulſae, & loco motae ſunt, ut ſingularem admodum formam repraeſentent. Aperturae ſinuum frontalium admodum magnae, praeſertim in dextro latere. Officulum naſi ſiniſtrum verſus exteriora & parte ſua inferiore ad ſuperiora dimotum; dextrum ſimili ratione quoad ſitum mutatum, & praeterea pro parte deſtructum, eique proceſſus naſalis oſſis maxillaris ſuperioris parva portio adhaeret. Os jugale dextrum integrum. Frontis oſſis lamellae, quae oculorum foramina a conceptaculo cerebri diſtinguunt, magnam partem, praecipue in latere dextro, deſtructae. Vix quicquam de oſſe multiformi ſupereſt; in dextro latere parva portio proceſſus lateralis apparet, in ſiniſtro etiam proceſſus aliformis. Quodammodo oſſa petroſa labem pariter paſſa ſunt; oſſis autem occipitis pars, quae oſſibus hiſce ſeſe interſerit, ut cum baſi multiformis nectatur, ferme ad marginem foraminis magni deſtructa eſt. Maxilla inferior in latere ſiniſtro multum extenuata; margo ipſius alveolaris ſic ad anteriora promotus, ut dentes inſolitum etiam ſitum habeant.

LVI. Cranium hominis adulti, cujus os ſpongioſum ſiniſtrum in inſignem magnitudinem excrevit, ſic ut narem ſiniſtram totam adimpleat, & ſeſe ferme ad externum foramen extendat.

LVII. Cranium adulti etiam hominis; in quoque oſſe verticis notabilis eſt depreſſio. In verticis oſſe dextro haec duos pollices longitudine ſuperat, ab anteriore ſesquipollicem, a poſteriore ferme duos lata; margines ſunt aequabiles, rotunduli. Depreſſio in eodem oſſe ſiniſtri lateris minor eſt; ſesquipollicem longa, latitudinem eandem habet, eſt autem hoc in latere ſinus profundior. In dextro oſſe ſuperficies oſſis, medio in ſinu, aliquomodo adſurgit, ſic ut media haec pars a margine, totum ſinum a reliquo oſſe ſeparante, diſtinguatur per foveam, quae partem illam undique ambit. Nulla hic eroſio locum habet. Conf. Exercitat. Acad. Lib. 1. cap. 5. pag. 74. Sutura ſagittalis ad nares procurrit. Proceſſus ſtyliformes admodum magni ſunt. In partibus lateralibus foraminum oculorum, ubi oſſa jugalia accedunt ad partes priores proceſſuum lateralium oſſis multiformis, ſumma datur tenuitas.

LVIII.

LVIII. Pars ſuperior cranii hominis adulti. In genere calvaria haec praeter modum tenuis eſt. Adſunt multae depreſſiones profundiores, minus profundae, quae totam hancce partem admodum inaequalem reddunt.

LIX. Cranium infantis, qui quartam tantum adtigit aetatis hebdomadem. In oſſe verticis dextro depreſſio admodum profunda eſt; a ſutura lambdiformi ad medium hocce os, & ultra ſeſe extendens, duos pollices longa, totidem alta, & circumcirca, praecipue ab inferiore & anteriore, rotundulo margine diſtincta. In ipſa hac depreſſione, magis vero in parte reliqua eaque anteriore hujus oſſis, plaga quaedam ſesquipollicem longa, ad fontanellam ferme ſeſe extendens datur, rubicundo colore a reliquo oſſe diſtincta, quae forte fuit hiatus, quem oſſea ſubſtantia rurſus opplevit, & haec etiam rubicunda plana reliquo oſſe magis depreſſa eſt, inaequabilesque partes oſſeas quaſi intermixtas habet. Ab interiore pars dicta oſſis, extrinſecus depreſſa, multum prominet. Jam ante nativitatem malum hoc contraxit caput, quod, pelvi maxime incuneatum, & interea magnitudine auctum, oſſibus, quibus appreſſum erat, ſeſe accommodavit. Difficillimus partus fuit, feliciter tamen dexterrima manu peritiſſimi Soek, artis obſtetriciae Praelectoris, abſolutus, ſic ut infans materque ſupervixerint. Ille vero ob compreſſionem cerebri magnam, aliaque forte mala, obiit, dum oſſis forma naturalis nullo modo reſtitui potuit. Tab. XXXIV. Fig. 1. & 2. exteriorem interioremque faciem partis ſuperioris hujus cranii exhibent.

LX. Pars ſuperior cranii infantis, mortui in lucem emiſſi, in qua os verticis dextrum frontisque vicina pars ſimilem, ex eadem cauſa, ſubiit depreſſionem, profunditatem pollicis duarumque linearum habentem. Oſſis verticis pars anterior, quae cum oſſe frontis nectitur, maxime introrſum tendit, & rotundo margine a parte poſteriore, eaque ſana, ſeſe diſtinguit; frontis oſſis pars vicina ſimiliter introrſum preſſa eſt, ſic ut nexus horum oſſium, dimidiam coronalis ſuturae partem formans, admodum introrſum vergat, promineat, & in acutum marginem procurrat. Adſunt prope ſuturam coronalem duae fiſſurae, quarum altera, eaque anterior, rurſus coalita; poſterior major membrana clauſa eſt. Partum hujus infantis difficillimum deſcripſit Doct. A. Soek; in Vroedkundige Waarneemingen. Tweede Waarneeming. pag. 37., & in eadem hac femina ſectionem Caeſaream poſtea cum ſucceſſu inſtituit. Tab. XXXIV. Fig. 3. 4. 5.

LXI. Os verticis dextrum, in quo ex eadem cauſa ſimilis adeſt impreſſio in parte anteriore & inferiore, quae etiam verſus interiora inſigniter prominet.

LXII. Pars ſuperior cranii hominis adulti. Ex oſſe verticis dextro exoxtoſis dura, fabam magnitudine referens, prodit. Eſt Sup. Rauianae N°. IX. hujus Muſei pag. 7.

LXIII. Cranium infantis, qui labio leporino compoſito laboravit. Tab. XXXV. Fig. 1. Vomer, ab inferiore rotundulus, & duobus illis ſulcis, quos habere ſolet, ut cum utroque oſſe maxillari necti poſſet, deſtitutus, ab oſſe multiformi procedens, in ſinum ſuum ſuperiorem admittens cartilaginem, partes oſſis ethmoïdis dividentem, medio apparet loco. Ad hujus anteriorem partem accedit portio *oſſea*, paulo

paulo craſſior, ſenſim lateſcens, & in globoſum finem deſinens. Ab utroque latere fiſſura eſt, latior a dextro, anguſtior a ſiniſtro; laminae enim palatinae oſſium maxillarium ſuperiorum receſſerunt a ſe invicem, & multum de latitudine ſua amiſerunt, praeſertim dextra. Margo alveolaris ſolitam habet craſſitiem ac latitudinem, & licet alveoli membranis hactenus clauſi ſint, illorum tamen ſepimenta apparent, & contenta hiſce cavis dentium primordia conſpiciuntur. In globoſo apice, ſepto narium adhaerente, duo pariter alveoli, inciſores dentes continentes, adſunt. Hic ergo apex formatus eſt ex partibus oſſium maxillarium ſuperiorum deficientibus. Spongioſa oſſa, praeprimis in latere dextro, & magis ſuperius cum adnexo cavernoſo, quam inferius, apparent. Oſſium palatinorum baſes, vix notabilem latitudinem habentes, aderant tamen, nexae cum lamellis palatinis oſſium maxillarium. Degenerationes, quas obſervare licuit in infante, cujus cranium hocce eſt, mox a nativitate, dein a morte, quae vigeſima ſecunda a partu ſeptimana contigit, prolixius deſcripſi Obſervat. Anatom. Pathologic. Lib. 4. cap. 3. pag. 29. ſeq.

LXIV. Cranium infantis, labio leporino compoſito laborantis. Deëſt lamella palatina oſſis maxillaris dextri, & maxima pars ſiniſtri. Deſunt baſes oſſium palati, palatum oſſeum perficientes. Septum cartilagineum, verſus ſiniſtrum latus dimotum, cum oſſe maxillari cohaeret. Magna pars marginis alveolaris lateris ſiniſtri deficit; hiatus ergo ab hoc latere multo major, & inferiora narium, quae per cartilaginem, ſeptum perficientem, in latere ſiniſtro obteguntur, in dextro hoc latere optime apparent.

LXV. Cranium infantis ita dicti acephali. Oſſa verticis plenarie deficiunt, deſiderantur ſquamoſae partes oſſium temporum, pars ſuperior oſſis frontis ad ſupercilia usque. Oſſis occipitis pars ſuperior in duas portiones ſeparata eſt, quae ſingulari modo verſus latera ſunt reclinatae. In Tab. XXXV. Fig. 1. 2. 3. 4. hocce cranium a ſuperiore, ab inferiore, ab anteriore, & a latere dextro delineavi; Fig. autem 5. 6. 7. & 8. atlantis & ſubſequentium colli vertebrarum icones dedi; ex quibus omnibus, additaque explicatione, ſingularis omnium partium degeneratio intelligi poterit. Plenius vero de hoc cranio egi in ſeparatim edita Anatome infantis cerebro deſtituti, qua non tantum hocce cranium deſcripſi, ſed exacte etiam communicavi ea cuncta, quae in recenti capite hujus infantis fuere obſervata.

LXVI. Cranium foetus, vario ſenſu difformis. Ob compreſſionem, quam in utero materno ſuſtinere debuit foetus, mirae mutationes, a ſtatu naturali receſſus, diverſi morbi erant producti. Capitis figura ſingularis eſt. Inter latera quoad capacitatem multum imminutum, in nonnullis locis oſſificationis defectus monſtrans, a parte poſteriore non globoſum exiſtit, ſed a foramine magno recta retrorſum ad inſignem diſtantiam procedit, quia os occipitis apice tantum ſuo ad angulum ferme rectum ſuperiora petit, dum praecipua pars recta retrorſum tendit. Conf. Tab. XXXIV. Fig. 6. 7. Hunc foetum, & omnes degenerationes, in eo obſervatas, deſcripſi atque delineavi Obſervat. Anatom. Pathologic. Lib. 3. cap. 1. Tab. 1. 2. 3. 4. 5. 6.

LXVII. Cranium adulti hominis, cujus omnes ſuturae penitus ſunt deletae.

LXVIII.

LXVIII. Simile cranium hominis adulti. Suturae omnes perierunt tali modo, ut non nisi leviſſima earundem veſtigia ſuperſint.

LXIX. Cranium edentulae, admodum parvum, tenue, in multis locis tenuiſſimum, verſus latera & baſim ſolito plus expanſum, ſic ut partes ſquamoſae oſſium temporum, duos pollices & dimidium longae, vix pollicem latae, ad proceſſus zygomaticos inclinent. Sutura ſagittalis maximam partem periit, coronalis autem & lambdiformis admodum laxae ſunt. Os occipitis, ubi modo dictam ſuturam format, ultra reliquorum oſſium ſuperficiem multum prominet. In frontis oſſe, & vicinis oſſibus verticis, ubi olim fontanella adfuit, nulli dentes conſpiciuntur, quales in veris ſuturis ſemper adeſſe ſolent. Perierunt ex ſuperiore maxilla dentes omnes, conſumtus eſt margo alveolaris ferme totus, ſic ut ultra palatum oſſeum vix promineat. Perierunt etiam dentes de maxilla inferiori; periit margo alveolaris totus, & foramina, quae ad mentum transmittunt ramos tertii rami quinti paris nervorum, cernuntur in margine ſuperiore maxillae.

LXX. Cranium pulcherrimum hominis adulti. Periit ſutura ſagittalis. Coronalis autem adeo lata eſt, ut ferme duplex dici poſſit.

LXXI. Nitidiſſimum cranium Aethiopis junioris. Sagittalis ſuturae nullum omnino veſtigium apparet, ſic ut nunquam adfuiſſe videatur.

LXXII. Pars ſuperior cranii hominis adulti. Suturae vix ullae ſuperſunt.

LXXIII. Similis pars cranii hominis adulti. Sagittalis & lambdiformis ſuturae deſiderantur; coronalis leve & breve veſtigium ſupereſt.

LXXIV. Similis portio ſuperior cranii adulti hominis. Veſtigium ſuturae coronalis leviſſimum, nec niſi in partibus inferioribus conſpiciendum. Reliquae abſunt.

LXXV. Cranium integrum hominis adulti. Suturae coronalis pars dextra ſola deëſt, nec unquam adfuiſſe videtur. Reliquae ſolito more adſunt.

LXXVI. Cranium integrum hominis adulti. Sutura ſagittalis tota deſideratur.

LXXVII. Pars ſuperior cranii hominis adulti. Coronalis ſutura penitus eſt obliterata; ſagittalis parva portio praeſens.

LXXVIII. Pars ſuperior cranii adulti hominis. Vix veſtigium ſagittalis ſuturae cernitur. Adeſt vero oſſiculum, Wormianum dictum, in ejus nexu cum ſutura coronali.

LXXIX. Cranium integrum. Simile, oblongum, undique diſtincta ſutura ſeparatum, oſſiculum adeſt, ubi ſutura ſagittalis cum coronali concurrit.

LXXX. Cranium ſimile, tali pariter oſſiculo gaudens.

LXXXI. Cranium integrum cum maxilla inferiore viri adulti. Figura ipſius plane ſingularis eſt. Si ſola pars ſuperior cranii conſpiciatur, haec circulum offert. Pars ſola poſterior ſi examinetur, haec admodum complanata eſt. Lata etiam & plana facies. Ubi ſagittalis ſutura ad coronalem definit, a latere ſiniſtro, parvum, ſeparatum, oſſiculum adeſt.

LXXXII. Cranium integrum hominis adulti. In ſutura coronali, a latere dextro, adeſt diſtinctum oſſiculum.

LXXXIII. Simile cranium. In eadem ſutura, ab utroque latere, tale oſſiculum apparet.

LXXXIV. Cranium hominis adulti, in cujus ſutura lambdiformi tot ſunt officula ſeparata, ut duplex dici poſſit.

LXXXV. Cranium ſimile. Ad diſtantiam ſesquipollicis ab apice oſſis occipitis ex ſuturae lambdiformis parte ſiniſtra prodit ſutura, quae parum oblique ad longitudinem duorum pollicum deſcendens, facto angulo obtuſo, ad nexum partis mammillaris oſſis temporis dextri tendit, circiter tres pollices longa, ſic ut hic loci officulum ſeparatum inſignis magnitudinis inveniatur.

LXXXVI. Cranium hominis adulti. Pars ſuperior oſſis occipitis media ſutura a reliquo oſſe ſeparata eſt, ſic ut officulum, duos & dimidium pollices longum, hic detur, quod alia ſutura in duas partes dividi videtur, licet haec per totum os non penetret. Officula Wormiana alia in ſutura lambdiformi dantur.

LXXXVII. Cranium integrum feminae. Ad finem ſuturae ſagittalis, ubi haec cum lambdiformi concurrit, tria notabilia, undique liberrima, officula adſunt.

LXXXVIII. Pars ſuperior cranii hominis adulti. Apex oſſis occipitis media ſutura, a parte interiore non niſi pro parte conſpicienda, ab exteriore admodum notabili, ſeparatus eſt, & per aliam ſuturam, quae intrinſecus lineam tantum refert, bifariam dividitur. Adeſt praeterea parvum officulum Wormianum, quod pro parte ad os verticis pertinet.

LXXXIX. *Os occipitis;* per ſuturam diſtinctam ſeparata pars lateralis dextra eſt.

XC. Pars poſterior & ſuperior cranii hominis adulti. In ſuturae ſagittalis parte dextra prope lambdiformem tria adſunt officula Wormiana, extrinſecus veris ſuturis, intrinſecus ſolis lineis, harmonias quaſi referentibus, diſtincta.

XCI. Cranium huc referri debet, quod ad Supellectilem Albinianam pertinet, & inter praeparata ſicca, ad N°. CCCXLVII. hujus Muſei pag. 86. plenius deſcriptum eſt. Dentes inter naſum & orbes oculorum prodierunt.

XCII. Os maxillare ſuperius. Dens, ex palato prodiens, retrorſum vergit. Conf. Supellect. Albinianae N°. CCCXLVIII. inter praeparata ſicca. Ibid. pag. 87.

XCIII. Maxilla inferior, cujus dentes & alveoli perierunt omnes. Dens molaris deliteſcit in proceſſu illo, qui pone zygoma adſcendens tendinem Temporalis muſculi admiſit. Conf. Obſervat. Anatom. Patholog. Lib. 3. Tab. 10. Fig. 5. & 6.

XCIV. Cranium adulti hominis. Dens in latere dextro aberravit. In oſſe maxillari dextro alveoli non octo ſed ſeptem tantum conſpiciuntur. Adſunt, qui inciſores, caninum, molarem primum, tertium, quartum atque quintum, continuerunt. Alveolus pro ſecundo dente molari non conſpicitur, ſed clauſa hic loci maxilla eſt, & praeter parvum foramen cavitas nulla hic detegitur. Extrinſecus, in hoc oſſe, infra foramen, per quod ſecundus ramus quinti nervorum paris exit, ſupra radicem dentis molaris penultimi, nuda prominet portio radicis aberrantis dentis molaris ſecundi. Sic ſeſe res exhibebat, antequam ulterius examen inſtitutum eſt. Diffracto autem oſſe conſtitit, molarem ſecundum oblique verſus anteriora & interiora deſcendiſſe, quarto alveolo ſic appreſſum, ut hic magnam partem deletus eſſet,

eſſet; & ipſe, oſſe tamen tectus, verſus palatum promineret. Figura ipſius irregularis eſt, vicinis quippe partibus ſeſe accommodavit, &, exemto dente, cavi, quod illum continuerat, pars poſterior inaequalis, ubi corona haeſerat, profundior, ubi radix, minus profunda, detegebatur. Obſervat. Anatom. Pathol. Lib. 3. Tab. 10. Fig. 1. 2. 3. 4.

XCV. XCVI. XCVII. Maxillae, quarum dentes perierunt, & alveoli pro maxima parte.

XCVIII. XCIX. C. Maxillae tres ſimiles. Alveoli nulli ſuperſunt. Condyli dextri lateris ſic in ſua forma mutati ſunt, ut ſubluxatio locum habuiſſe videatur.

CI. Cranium feminae adultae, cujus, gravidae, cadaver a me diſſectum, deſcriptum, ac delineatum eſt. Obſervat. Anatom. Pathologic. Lib. 2. cap. 1. Tab. 1. 2. 3. 4. 5. Officula naſi plane deficiunt. Proceſſus naſales oſſium maxillarium ſuperiorum, ſuprema in parte, ſed non ad magnam diſtantiam, ad ſe accedunt, & defectum quodammodo ſupplent.

CII. Os frontis hominis adulti & os multiforme firmiter invicem concreta. Frontis os, admodum craſſum, per ſuturam, parum dehiſcentem, in duas partes diviſum eſt. Proceſſus priores oſſis multiformis & laterales cum iis partibus oſſis frontis, ad quas accedere ſolent, & cum quibus ſolubili nexu cohaerent, concreverunt adeo firmiter, ut cum iis unicum os conſtituere videantur. In baſi oſſis multiformis egregie apparent duo ſinus ſphaenoïdales, medio ſepto diviſi, quorum quisque rotundulo foramine hiat. A quoque latere horum foraminum cernuntur ſemicavernulae, quae poſteriores oſſis cavernoſi compleverunt. Sinus frontales ſunt vix notabiles.

CIII. Portiones duae carioſae, quae de maxilla inferiore ſeparatae ſunt, poſtquam ulcus mali moris gingivam conſumſerat. In altera parte alveolus, cui dens inciſor inhaeſit, conſpicitur.

* * *

Hactenus praeparata omnia oſſium morboſorum deſcripſi, quae ad primam partem ſceleti, caput, pertinent; progreſſurus ad TRUNCUM, & primo loco de columna vertebrarum dicturus, ut variae ſpinae incurvationes recte intelligantur, Scolioſis, Cyphoſis, Lordoſis, (mala, quae non ita facile cognoſcuntur, quorum effectus, ſaepe ſingulares, intelligi & explicari nequeunt, niſi deviationes oſſium rite ſint perſpectae, quorum cura, difficillima, ſaepe non poſſibilis, a nemine perfici valet, niſi veram naturam gradumque morbi, ex inſpectis, dictis incurvationibus ſpinae olim laborantium ſceletis, dignoſcere didicerit) vertebras ipſas, degeneratas, ſua in figura, partiumque variarum directione mutatas, invicem concretas, cum coſtis vario modo nexas, os ſacrum, coſtas, ſternum, deſcribam, dein vero varios truncos, dictis morbis adfectos, examinabo.

CIV. Vertebrae dorſi omnes, & ſuperiores lumborum, hominis, qui *Scolioſi* laboravit. Coſtae omnes, ſolutae, a forma naturali multum recedentes, pariter adſunt.

Nonnullae ex vertebris firmiter concretae ſunt, & quidem quatuor ex mediis. Convexa in dextro, concava in ſiniſtro latere, ſpina eſt. In latere ſiniſtro ergo corpora vertebrarum multum compreſſa ſunt, in dextro craſſiora. Superiores vertebrae, intortae, aliam quodammodo flexuram faciunt. In concretis proceſſus articulares etiam confluxerunt. In reliquis illi diverſimode mutati ſunt, pro vario ſitu, quem acquiſiverunt corpora vetebrarum. Mutationes autem haſce omnes deſcribere vix licet; Figurae Tab. XXXVI. & XXXVII. cum earundem exacta explicatione egregie, ſi quid video, inſervient, ut omnes recte oculis pateſcant. Non inutile viſum, hoc pacto vertebras illas ſeparatas omnes Tab. XXXVI. Fig. 1.—15. Tab. XXXVII. Fig. 1. 2. 3. 4. iconibus illuſtrare, dein Ejusdem Tab. Fig. 5. & 6. ipſam columnam, ex his vertebris compoſitam, delineare, ut, praeſenti tali, qualis hic cernitur, vertebrarum mutatione, quae Spinae incurvatio producatur, pateſcat, & fundamentum cognitionis hujus mali, hoc pacto, ponatur. Mutationes autem, quas ipſa corpora vertebrarum in aliis aliisque ſubeunt, ex deſcriptionibus diverſorum praeparatorum, & nonnullorum delineationibus, intelligi poterunt.

CV. Spina ſoluta hominis, qui ſcolioſi laborare incepit. Colli quartae vertebrae corpus in ſua ſuperficie inferiore, ſequens in ſuperiore talem ſubierunt mutationem, ut ex utraque lamellae oſſeae enatae ſint, quae ſeſe excipiunt, & ſi procreviſſent, illum vertebrarum nexum plane immobilem reddidiſſent. Similes adhaerent ſeptimae colli & primae dorſi. Sexta autem, ſeptima, octava atque nona dorſi multo magis a ſtatu ſano aberrant; corpora harum, a latere ſiniſtro compreſſa, a latere dextro latiora ſunt. Ab inferiore parte ſeptimae, a ſuperiore octavae minores lamellae oſſeae producuntur, major autem ex ejusdem octavae parte laterali dextra, & ut ſuperiores duae ſeſe excipiunt, ſic ad inferiorem hancce proximum corpus nonae miro modo ſeſe accommodat. Reliquae vertebrae non ita mutatae ſunt. Penultimae lumborum ſuperficies ſuperior a latere ſiniſtro marginem multo magis extantem habet, deſinentem in lamellam inaequabilem, ſatis magnam. Proceſſus obliqui deſcendentes ultimae vertebrae, praecipue in ſiniſtro latere, multo majores ſunt, ſeſeque ad ſimiles in parte ſuperiore & poſteriore oſſis Sacri accommodant.

Sexta, ſeptima, octava, atque nona, vertebrae, invicem compoſitae, ut cognoſcatur, quomodo deſcriptae lamellae ſenſim producantur, & harum ope vertebrae nectantur, delineatae ſunt ab utroque latere Tab. XXXVIII. Fig. 1. & 2.

CVI. Vertebrae lumborum quatuor, omnes dorſi, ſex colli, ſolutae, hominis junioris, qui incipiente ſcolioſi laboravit. Corpora alia in dextro, alia in ſiniſtro latere, compreſſa ſunt, ſic ut ſpina verſus unum alterumque latus fuerit inflexa. Articulares proceſſus vix mutationem ſubierunt, quia morbus nondum ad eum gradum devenit.

CVII. Epiſtropheus & tertia vertebra concretae invicem. Proceſſus articulares penitus confluxerunt, pro parte arcus in latere ſiniſtro. Praeterea ex quoque latere corporis tertiae adſurgunt lamellae ad vicinas partes epiſtrophei; reliquum corpus libe-

liberum eſt, hiatusque datur, quem occupavit olim ſubſtantia; inter corpora omnium vertebrarum inveniri ſolita.

CVIII. Vertebrae duae colli, ſimili modo concretae. Arcus in latere dextro confluxerunt. Inter corpora ſpatium adeo amplum non ſupereſt.

CIX. Vertebrae ſex inferiores colli, & ſupremae dorſi. Per abſceſſum, ad latus colli dextrum obortum, proceſſus obliqui & transverſi ſextae & ſeptimae cervicis vertebrae ſunt vitiatae.

CX. Vertebrae duae dorſales, invicem concretae proceſſibus ſuis articularibus. Corpora, in latere dextro multum compreſſa; in ſiniſtro latiora, ſibi contigua non ſunt, ſed parvus hiatus intermedius datur.

CXI. Vertebrae dorſales duae, quae partem trunci, ſcolioſin olim laborantis, conſtituerunt. In latere dextro corpora craſſiora ſunt, a ſe invicem recedunt; in ſiniſtro applanata, ſibi appreſſa, & accommodata; hoc in latere proceſſus articulares confluxerunt, miro modo ſimul mutati. Adſcendentes primae & deſcendentes ſecundae vertebrae ſatis probant, vicinas vertebras pariter laboraſſe.

CXII. Similes duae vertebrae. Obliqui adſcendentes & deſcendentes proceſſus liberi ſunt. Corpora autem, non multum compreſſa, per lamellas oſſeas, ex margine inferiore ſuperioris vertebrae in ſuperiorem inferioris tendentes, tum in dextro tum in ſiniſtro latere cohaerent. Sinus in proceſſibus transverſalibus, tuberculis coſtarum admittendis deſtinati, profundiores ſunt, quam eſſe ſolent.

CXIII. Vertebrae duae dorſales, invicem nexae per ſimilem multo latiorem lamellam.

CXIV. Vertebrae duae dorſales, ultimae. In latere ſiniſtro concreta corpora ſunt per lamellam oſſeam, ab uno in alterum ſeſe extendentem.

CXV. Vertebrae duae dorſales. In latere dextro proceſſus articulares firmiter concreverunt invicem. Transverſus ſuperioris vertebrae ab inferiore deſinit in hamulum, ſatis acutum, magnum. Corpora libera parum in latere ſiniſtro compreſſa ſunt; margines ſuperiores & inferiores inſigniter prominent, magnique ſunt.

CXVI. Vertebrae duae dorſales. Sola corpora ab anteriore per lamellam oſſeam cohaerent, ſimilisque deſcendit ex corpore vertebrae inferioris, quae cum proximae vertebrae corpore etiam cohaeſit.

CXVII. Vertebrae cervicales, ſecunda, tertia, quarta. Proceſſus articulares in latere ſiniſtro concreverunt omnes; in dextro qui ad tertiam quartamque vertebram pertinent. Arcus vertebrarum in latere ſiniſtro etiam confluxerunt.

CXVIII. Vertebrae tres dorſales, cohaerentes invicem. Liberi quidem proceſſus articulares ſunt, ſed in medio canali effuſa oſſea materies, quae arcus invicem nectit, ſic etiam corpora vertebrarum cohaerent; extrinſecus nulla lamella oſſea adeſt. Ab anteriore corpora vertebrarum parum diſtant, ſed medio in loco lamella, quae inter vertebrarum corpora adeſſe ſolet, oſſificata, ipſa corpora conjungit. Tab. XL. Fig. 4. & 5.

CXIX. Vertebrae dorſales tres. Proceſſus articulares liberi ſunt. Corpora per lamellas oſſeas, ex uno in aliud tendentes, concreverunt, & a dextris parum applanata ſunt.

CXX. Tres vertebrae dorſales. In latere ſiniſtro & ab anteriore corpora cohaerent per lamellas, ab uno ad alterum tendentes. Arcus a poſteriore penitus confluxerunt. Pauci ex proceſſibus articularibus.

CXXI. Vertebrae dorſales tres, ab anteriore ſimili modo corporibus ſuis nexae, caeterum liberae.

CXXII. Vertebrae dorſales tres, quarum corpora multum a ſe invicem remota, in latus ſiniſtrum inclinant; in dextro latere per lamellas invicem junguntur.

CXXIII. Vertebrae tres dorſales praecipue cohaerentes in dextro latere per lamellam admodum craſſam, & in ſpatiis inter vertebras, quarum corpora multum diſtant, inſigniter prominentem, imo in rotundulos, magnos, tumores adſurgentem.

CXXIV. Vertebrae lumborum tres, invicem firmiter nexae. Duarum ſuperiorum proceſſus articulares inter ſe, & ſimili modo proceſſus ſpinoſi, confluxerunt. Corpora vertebrarum ipſa libera ſunt, ſed lamellae oſſeae, variis in locis inſigniter prominentes, adſunt, quae margines inferiores & ſuperiores horum corporum nectunt. In margine ſuperiore infimae vertebrae a latere talis lamellae primordia tria conſpiciuntur. Tab. XXXIX. Fig. 1. 2. 3.

CXXV. Vertebrae lumborum tres, in latere dextro inſigniter compreſſae, ſuis corporibus invicem concretae, & in tuber notabile confluentes. In oppoſito latere corpora multum diſtant. Proceſſus transverſi in uno alteroque latere figura & poſitu multum differunt. Articulares proceſſus, licet formam praeternaturalem habeant, tamen omnes liberi ſunt. Tab. XXXIX. Fig. 4. 5. 6.

CXXVI. Vertebrae lumborum duae, ſimili ferme modo degeneratae. Proceſſus articulares liberi ſunt. Corpora in ſiniſtro latere craſſitiem ſolitam habent, ſed multum a ſe invicem receſſerunt. In dextro compreſſa ſunt, lamella autem, ex inferiore margine ſuperioris enata & in ſuperiorem marginem inferioris deſinens, rotunda, multum prominens, has vertebras hoc in loco nectit, & ſimile ferme, ac in praecedentibus vertebris, tuber format. Tale quid etiam locum habuiſſe inter vertebras, tum quae has praeceſſit, tum quae easdem inſequuta eſt, margines harum mutati docere videntur.

CXXVII. Vertebrae lumborum tres, concretae. Mediae vertebrae corpus, extra ſuam ſedem maximam partem propulſum verſus latus dextrum, eo in latere inſignem amplitudinem habet, in oppoſito vero vix quicquam de eo conſpicitur, hinc ſuprema vertebra multum verſus latus, magis autem verſus anteriora, vergit. In dextro latere proceſſus articulares concreverunt omnes, non ita in ſiniſtro. Superficies ſuperior primae & inferior tertiae ſatis aequabiles ſunt, ut & proceſſus articulares, quibuscum aliae vertebrae olim fuerunt junctae, quae itaque videntur fuiſſe ſanae. Tab. XLIV. Fig. 1. 2. 3. notabilis hic caſus delineatur.

CXXVIII. Vertebrae dorſales tres, quarum media, ut communicavit Clar. Palletta, ab ictu fracta, a vertebris aſſidentibus ex ſede quaſi depulſa, multum compreſſa, irregulari cruſta, verſus latus ſiniſtrum ſeſe multum extendente, tecta, &, ut videtur, cum vicinis vertebris concreta eſt.

CXXIX. Vertebrae dorſales quatuor, invicem concretae, tum corporibus ſuis, quae etiam medio loco videntur confluxiſſe, tum proceſſibus articularibus, qui tamen omnes non cohaerent invicem.

CXXX. Vertebrae dorſales quatuor. Totum dextrum latus corporum occupat lamella, variis in locis multum prominens, & hujus ope omnia corpora cohaerent.

CXXXI. Vertebrae quinque, plenarie concretae, ſic ut non niſi unam continuam compagem oſſeam ſiſtant. Subſtantia cartilagineo-ligamentoſa, quae naturali in ſtatu corpora nectit, in ſimilem oſſeam, raram, pumicoſam, ſubſtantiam abiit, quali ipſa corpora componuntur, & haec, ſectione totius hujus maſſae facta, optime diſtinguitur per lamellas, quae inferiorem & ſuperiorem cujusque vertebrae ſuperficiem conſtituunt. Multi dubitarunt, an ea ſubſtantia, quae inter corpora vertebrarum datur, in verum os mutari queat, nonnullis hoc praeparato poſſibilitatem demonſtravi, quid autem in eo locum habeat, Figurae 1. 2. & 3. Tab. XL. oſtendunt.

CXXXII. Vertebrae dorſales quatuor, ſuis corporibus per lamellam, extrinſecus accedentem, in latere dextro concretae; in ſiniſtro latere non niſi inter infimas talis lamella datur. Superiores duae proceſſibus ſuis articularibus praeterea cohaerent. Tab. XXXVIII. Fig. 3. & 4.

CXXXIII. Vertebrae tres dorſales infimae, & ſuprema lumborum, concretae invicem. Corpora in uno alteroque latere per dictam ſaepius lamellam oſſeam cohaerent, ſic tamen ut inter penultimam ultimamque dorſi inſignis hiatus detur. Corpus primae lumborum liberum eſt, licet a margine inferiore ultimae dorſi in latere dextro lamella oſſea deſcendat, cui margo vicinus proximi corporis ſeſe accommodare incipit. Hujus autem primae lumborum proceſſus obliqui adſcendentes cum deſcendentibus ultimae dorſi plenarie confluxerunt. Reliqui proceſſus articulares liberi ſunt, ſed arcus ſupremae harum vertebrarum, antequam ex eo proceſſus ſpinoſus prodit, emittit oſſeam quamdam ſubſtantiam, quae cum ſuperiore parte arcus proximae vertebrae cohaeret, inter ſecundam autem atque tertiam vertebram ſimilis oſſeae ſubſtantiae principia inter arcus conſpiciuntur. Apices denique proceſſuum duorum ſuperiorum cohaerent. Tab. XXXVIII. Fig. 5.

CXXXIV. Vertebrae dorſales quatuor, quarum ſola corpora in dextro latere per lamellam oſſeam, ab uno ad alterum tendentem, connexa ſunt.

CXXXV. Vertebrae lumborum quatuor concretae. Corpora plane libera ſunt, & inter ea inſignes conſpiciuntur hiatus. Arcus autem omnes a parte poſteriore, proceſſus articulares, transverſi, ſpinoſi, miro modo confluxerunt, & unicam valde irregularem maſſam conſtituunt.

CXXXVI. Vertebrae dorſales quinque. Media cum ſubſequente in latere dextro, confluentibus proceſſibus obliquis, cohaeret. Omnium corpora invicem copulantur per lamellam oſſeam, non admodum latam, a latere dextro inter omnes inveniendam, a latere ſiniſtro inter tres inferiores. Omnes autem illae inſigniter prominent, ſic ut inter eas media corpora quaſi exſecta videantur.

Convenit cum hoc praeparato illud, quod in Supellectile Rauiana inter ossa morbosa, N°. 2. Musei hujus pag. 6. descriptum est.

CXXXVII. Vertebrae dorsales sex, simili modo concretae. Omnes processus articulares liberi sunt.

CXXXVIII. Dorsales vertebrae sex, per similem lamellam praecipue in latere sinistro cohaerentes. Obliqui processus liberi sunt. Nonnullarum costarum capita, per ancylosin concreta cum vertebrarum corporibus, adsunt.

CXXXIX. Sex vertebrae dorsales concretae. Corpora omnia versus anteriora inclinata sunt, sibique appressa, cohaerent invicem, absque ut tales adsint lamellae osseae, quales in descriptis hactenus speciminibus omnibus adsunt.

CXL. Sex vertebrae dorsales concretae. Lamella, irregulari tamen modo, omnia corpora nectit. Nonnulli ex processibus articularibus etiam confluxerunt. Inter diversa corpora hiatus cernitur; alia videntur concreta.

CXLI. Vertebrae dorsales sex, simili ferme modo inter se cohaerentes, sed lamella, quae omnes nectit, admodum aequabilis est, videturque ligamentum anterius in os mutatum.

CXLII. Vertebrae dorsales octo, concretae. Dictum modo ligamentum in his etiam videtur ossificatum, sed praeterea adsunt lamellae distinctae, quae ab inferiore superiorum vertebrarum superficie ad superiorem proximarum tendunt.

CXLIII. Vertebrae quatuor dorsales, invicem concretae, & versus latus sinistrum inflexae, sic ut ibi corpora confluxerint, admodum compressa, a latere dextro hient, & multo sint latiora. Cum corpore tertiae harum vertebrarum capite suo concrevit costa, cujus tamen tuberculum a processu transverso liberum est. Articulares processus alii concreverunt, alii liberi sunt.

CXLIV. Quinque vertebrae dorsales & costae duae concretae. Vertebrarum corpora, parum versus latus sinistrum inflexa per lamellas osseas, ab uno corpore ad proximum tendentes, connectuntur, hae in dextro latere insigniores, magis prominentes, juxa corpora ipsa decurrentes, inaequabiles, sese ad anteriorem spinae partem usque extendunt, in latere sinistro eaedem parvae sunt, & ubi non dantur, a se invicem remota conspiciuntur vertebrarum corpora. Liberi processus articulares. Cum prima & secunda vertebra, ut & cum tertia & quarta, cohaerent costae suis capitibus.

CXLV. Vertebrae dorsales quinque & costae sinistrae duae cohaerentes. Multum versus latus sinistrum inflexa sunt vertebrarum corpora, quae cuneiformem figuram acquisiverunt, & partibus suis admodum compressis sese attingentia confluxerunt. In opposito latere latiora corpora sunt, &, quum substantia, quae inter illa adesse solet, periit, hiatus adsunt insignes. Duae costae sinistrae, quarum figura multum mutata est, cum corporibus vertebrarum suis capitibus concreverunt. Harum infima media in parte fracturam subiit, quae sanata est; videtur autem de margine ipsius superiore eo tempore lamella quaedam secessisse, quae nunc acutissimae exostosis adinstar versus posteriora dirigitur, & basi sua cohaeret cum eo loco, ubi factura adfuit.

CXLVI.

CXLVI. Vertebrae ſex ſuperiores dorſales concretae; & adhaerentes iis coſtae duae ſuperiores dextrae, tertia autem & quarta ſiniſtrae. Vertebra prima corpore & proceſſibus articularibus a ſecunda tota quanta libera eſt, ſeparari autem a reliqua maſſa nequit, quoniam cum ipſa indiſſolubili nexu cohaerens coſta prima, ſingulari ratione, cum coſta ſecunda nectitur. Reliquae vertebrae corporibus ſuis firmiter concreverunt; tertia & quarta tali modo, ut ab anteriore diſtinctionis nota nulla appareat, reliquae per lamellas oſſeas, a margine unius ad proximum marginem alterius vertebrae decurrentes. Tertiae, quartae, quintae, & ſextae proceſſus articulares etiam confluxerunt. Coſta prima dextra capite ſuo a vertebra prima libera eſt, tuberculum autem ipſius cum proceſſu transverſo ejusdem concrevit firmiter, ſurſum vero emittitur proceſſus inaequalis, qui cum proceſſu transverſo ultimae cervicis vertebrae videtur cohaeſiſſe. Corpore ſuo verſus anteriora procedens haecce coſta, ubi ad latus corporis pervenit, lateſcendo inſigniter margine ſuo inferiore deſcendit ad coſtam ſecundam, cum eaque confluxit ad longitudinem ſesquipollicis; ſuperficies autem tum externa tum interna inaequalis eſt, duplicique foramine, quorum alterum ab exteriore admodum parvum eſt, hiat. Eadem coſta prima non longe ab extremitate anteriore carie notabili adfecta eſt. Secunda coſta, pariter ſuo capite libera, cum proceſſu transverſo firmiter concrevit, ab eoque in coſtam lamella quaedam oſſea tendit. Tertia & quarta ſiniſtra coſta etiam cum ſolis proceſſibus transverſis concreverunt; ſunt tenuiores, rectiores, & quarta non longe a curvamine ſuo videtur fuiſſe fracta. Una cum aliis coſtarum concretionibus, delineatum hoc praeparatum eſt. Tab. XLVII. Fig. 1. & 2.

CXLVII. Vertebrae dorſales octo, invicem concretae, & ſingulari modo contortae. Corpora tria inferiora libera ſunt, ſed compreſſa a latere ſiniſtro eo magis, quo ſitu ſunt ſuperiora. Dicti lateris proceſſus articulares omnes confluxerunt, arcusque a parte poſteriore pro parte connexi. Quintae, quartae, & tertiae vertebrae, a ſuperioribus, inſigniter compreſſae a latere ſiniſtro, & corporibus ſuis etiam concretae, quae in latere dextro multo ſunt latiora, & hiatus praeterea intermedios notabiles offerunt. Cum hiſce vertebris a quoque latere una cohaeret coſta, quarum dextra cum proceſſu transverſo etiam concrevit; haec deſcendit, ſiniſtra magis horizontaliter procedit. Duae ſuperiores vertebrae corporibus ſuis verſus anteriora intortae ſunt, & tum marginibus anterioribus, tum proceſſibus articularibus, qui omnes confluxerunt, penitus concretae invicem. Omnium harum vertebrarum infima proceſſum obliquum deſcendentem ſiniſtrum habet ſingularis formae, in duas quippe ſuperficies dividitur per mediam eminentiam; altera multo latior, quam ſuperficies eſt alterius lateris, corpus vertebrae reſpicit, altera deorſum tendit, & marginem exteriorem admodum extantem habet. Supremae vertebrae contra proceſſus obliquus ſuperior amplam habet inaequalem, ab inferiore ſinuatam, ſuperficiem: adeo ut conſtet, vertebram, quae cum hac ſuprema olim committebatur, illamque, quae cum infima cohaeſit, pariter a naturali ſtatu deviaſſe, & curvaturam hujus ſpinae fuiſſe admodum notabilem. Conf. Tab. XLI.

CXLVIII.

CXLVIII. Miro modo & confluxerunt & intortae ſunt vertebrae coſtaeque ea in parte ſpinae, quae ad Rauianam collectionem pertinet, & numero primo inter oſſa morboſa deſcripta eſt. Proceſſus obliqui omnes inter ſe concreverunt; corpora particulis oſſeis hic illic cohaerent, hiatus autem inter eadem magni, longi, apparent. Coſtae tres ſuperiores dextrae, quarum figura inſigniter a ſtatu naturali recedit, capitibus ac tuberculis ſuis, cum corporibus vertebrarum, proceſſibus transverſis, & inter ſe, mirando ſane modo, confluxerunt; infima, tenuiſſima, ſimiliter cum dictis ſuae vertebrae partibus nexa eſt. In oppoſito latere inveniendae tres coſtae aliam longe acquiſiverunt formam; dum dextra multum in latus a ſpina recedunt, ſiniſtrae, cum corporibus & transverſis proceſſibus cohaerentes, parum retrorſum tendunt, mox vero ad ſpinam reflectuntur, ſic ut inter hanc illasque ſpatium anguſtum ſuperſit, & ſenſim latitudine adauctae verſus anteriora deſcendunt. Curvatura autem ſingularis eſt, & ut recte Doct. a Roy, qui, in ſua egregia Diſſertatione de Scolioſi, hoc praeparatum, quod ſuos in uſus ipſi conceſſeram, deſcripſit, dixit, tres inferiores vertebrae ſiniſtrorſum diſtorquentur, inde ad penultimam a ſuperiore magis magisque dextrorſum reliquae reflectuntur, ſuprema vero rurſus ſiniſtrum in latus incurvationem ſubit, adeo ut triplex diſtorſio locum habeat, & omnes vertebrae ſimul figuram litterae S repraeſentent. Miram contorſionem pleraeque vertebrae habent; quatuor inferiores ſiniſtrorſum retrorſumque vertuntur, quinta & ſexta nullam paſſae ſunt contorſionem; tres autem ſupremae inſigniter dexteriora & poſteriora verſus contortae apparent. Figura 1. & 2. Tab. XLII. cuncta melius ob oculos ponit.

CXLIX. Vertebrae tres dorſi, omnes lumborum, & os ſacrum, firmiter concretae. Corpora vertebrarum lumborum, in latere ſiniſtro magis compreſſa, cohaerent, & confluxerunt etiam proceſſus articulares. Inclinatur hinc haec ſpinae pars in latus dextrum, dein parum verſus oppoſitum latus flectitur, & corpora vertebrarum parumper contorquentur: in illo latere hac in parte corpora ſunt compreſſa, concreta, & proceſſus obliqui ſuperiores & inferiores pariter confluxerunt.

CL. Vertebrae tres dorſales & coſtae duae concretae invicem. Superioris corpus cum mediae vicina ſuperficie concrevit, haec vero admodum compreſſa eſt, & cum infima in utroque latere per lamellam oſſeam confluxit, media autem corpora harum libera ſunt. Proceſſus articulares non penitus confluxerunt. Coſtae vero & cum corporibus ſuperioris & mediae, & cum proceſſibus mediae transverſis tali cohaerent modo, ac ſi nunquam ſeparatae fuiſſent.

CLI. Vertebrae ſeptem, dorſales infimae & lumbares ſuperiores, ſingulari plane ratione invicem concretae, & verſus anteriora inclinatae. Tab. XLIII. Fig. 3. & 4. Corporum omnium ſuperſunt partes poſteriores, anteriores autem perierunt, & non niſi ſupremae vertebrae ſuperficies ſuperior, infimae inferior conſpiciuntur. Supremae dictae ſuperficies corpus infimae tangit. Inter illas, & foramina, per quae nervi ſpinales exierunt, non niſi irregularis admodum maſſa conſpicitur. Articulares proceſſus cernuntur, ſed concreti. Proceſſus ſpinoſi ſeptem appa-

apparent; horum autem medius, ſine dubio propter compreſſionem externam, in ovatam planam ſuperficiem deſinit. Infimae vertebrae proceſſus deſcendens dexter figuram, a ſolita abludentem, monſtrat.

CLII. Vertebrae dorſi ima, cum duabus ſuperioribus lumborum & coſta infima, concreta. Corpus vertebrae infimae dorſi ſua ſuperiore parte antrorſum inclinatum, ſic ima reddita parte priore ea, cum anteriore parte corporis lumborum quartae connatum, ex quo corpus lumborum ſummae, cunei ſpecie compreſſum, interſertum corporibus illis, ſpinaque plane curvata, corpore imo dorſi reliquaque parte ejus antrorſum procedente. In ſupellectile Albiniana inter praeparata ſicca N°. CCCLI. datur.

CLIII. Vertebrae dorſales tres, ſic verſus anteriora inclinatae & concretae, ut mediae corpus cuneiformem figuram acquiſiverit adeo notabilem, ut ab anteriore totum perierit; ſuperior & inferior vertebra, quae ſimili modo, ſed non tanto gradu, degenerarunt, concreverunt. Dextrae coſtae tres cum corporibus & proceſſibus transverſis confluxerunt; harum media, non longe a curvamine ſuo, ſuperficiem internam valde inaequalem habet, ac ſi olim ibi fractura adfuiſſet, in ſiniſtro latere dantur coſtae duae, ſimili modo vertebris accretae.

CLIV. Vertebrae dorſales ſex ex mediis, ſic cohaerentes invicem nexu indiſſolubili, ut ab anteriore ſuperficies ſuperior ſupremae, inferior infimae tantummodo conſpiciantur, media vero corpora cerni nequeant, quippe adeo complanata, ut omnem formam amiſerint. A poſteriore parte proceſſus ſpinoſi ſex apparent. Arcus, ſolito latiores, maximam partem confluxerunt. Adſunt coſtae dextrae quatuor, quae cum corporibus vertebrarum concreverunt, ſed a proceſſibus transverſis receſſerunt, adeo ut inter tubercula coſtarum & proceſſus transverſos diſtantia notabilis detur. Secunda ex his coſtis, cum corpore ſecundae & tertiae vertebrae cohaerens, proceſſum quemdam emittit, qui tendit in proceſſum obliquum deſcendentem ſecundae vertebrae. Eadem haecce coſta cum tertia, non longe a ſpina dorſi, per parvam lamellam oſſeam cohaeret. Coſtae duae ſiniſtrae, quae adſunt, pariter cum corporibus vertebrarum confluxerunt, ſed & a proceſſibus tranverſis receſſerunt; ſunt autem illarum capita, quod etiam in oppoſito latere locum habet, inter ſuperiorem & inferiorem partem multum compreſſa. Recedunt coſtae dextrae multum a corporibus vertebrarum. Siniſtrae ipſis longe ſunt propiores. In genere omnes, admodum latae partibus ſuis anterioribus valde deſcendunt. Tab. XLIII. Fig. 1. & 2.

CLV. Vertebra infima colli cum quinque dorſalibus & annexis partibus poſterioribus coſtarum ex muliere, quae Cyphoſi laboravit. Periit totum corpus vertebrae dorſi quartae, & pars maxima anterior quintae. Clar. Pallettae hoc, ut & ſequens, praeparatum debeo.

CLVI. Vertebrae inferiores quatuor dorſi, totidemque lumborum ex puero ſeptenni, cui, a pergula delapſo, abſceſſus ad ſpinam dorſi erat enatus; tres inferiores vertebrae dorſi vitiatae, carioſae ſunt, & penultima in parte laterali ſiniſtra foramen monſtrat, quod penetrat per totum corpus usque in canalem, qua medulla ſpinalis recipitur.

CLVII. Vertebrae lumborum quinque ex puella, quae abſceſſu in lumbis per longum tempus laboraverat. Corpus infimum carie totum quantum conſumtum eſt; penultimae magna pars periit, tertia ſimili morbo adfecta eſt, ſic tamen, ut externa tantum ſuperficies ſublata ſit.

CLVIII. Vertebrae tres inferiores lumborum cum oſſe ſacro concretae, & per cariem ſingulari plane ratione deſtructae. Videntur penitus disparuiſſe corpora vertebrae ultimae & penultimae, dum vicina pars oſſis ſacri, & in medio & in lateribus multum eroſa eſt. Ab hoc vitio etiam non liberum corpus vertebrae lumborum mediae, & duo magna foramina in eo conſpiciuntur; hiatus inſignis adeſt inter partem inferiorem hujus vertebrae & ſuperiorem ſequentis, cujus vix quicquam ſupereſt. Cernuntur autem arcus trium vertebrarum diſtincti, proceſſus transverſi & ſpinoſi, articulares omnes, confluxerunt. A latere proceſſus ſpinoſi arcus mediae vertebrae cum penultimae arcu concrevit, ſic tamen, ut mox ſub ſpina mediae foramen ſuperſit. Vix concrevit arcus penultimae cum eo ultimae, hujus autem arcus maximam partem confluxit cum ſuperiore parte oſſis ſacri, cum cujus apice primum oſſiculum coccygis cohaeret. Ex dicta degeneratione vertebrarum & oſſis ſacri multum antrorſum inflecti debuit tota ſpina dorſi. Tab. XLIV. Fig. 4. 5. 6. ab anteriore, poſteriore, & a latere, praeparatum hoc depictum eſt.

CLIX. Os ſacrum hominis adulti, admodum latum, ferrae ope a ſuperioribus ad inferiora ſic diviſum, ut pateat, canalem, qui inter partem anteriorem & posteriorem decurrere ſolet, & finem medullae ſpinalis continet, ſingulari ſeſe ratione habere. Tab. XLV. Fig. 1. 2. 3. Ubi hic juxta corpus vertebrae primae deſcendit juſtae eſt capacitatis, ad ſecundum vero poſtquam pervenit, ſenſim ampliatur, & inſignis fit capacitatis, ſaccum quaſi formans, qui deſcendendo iterum coarctatur, & paulo infra duo foramina inferiora definit, duos pollices cum dimidio longum, ſesquipollicem latum. Oſſea lamella, quae anteriorem, ſimilis, quae poſteriorem oſſis ſacri partem conſtituit, ſunt tenuiſſimae.

CLX. Os ſacrum hominis adulti. Scutum a parte poſteriore totum hiat. Pars itaque anterior canalis pro medulla ſpinali conſpicitur, ſed canalis ipſe juſtae eſt conformationis. Tab. XLV. Fig. 4.

CLXI. Simile os ſacrum adulti. Pars maxima ſcuti abeſt, & canalis hiat.

CLXII. Sacrum os, ex ſex vertebris compoſitum. Vertebra prima ſupernumeraria, & tantummodo conjuncta proceſſu ſuo transverſo altero, eoque ſiniſtro. Obliqui tamen proceſſus ſeu articulares incipiunt quodammodo coaleſcere. Coccygis oſſiculum ſupremum praeterea ancyloſi cum parte inferiore ipſius concretum eſt. Convenit quodammodo hoc os cum eo, quod deſcripſit Albertus Hiſt. plerarumque partium corporis humani pag. 112. &, ut inquit, ex ſeptem vertebris conſtabat; hac forte ſola differentia, quod prima vertebra ſeu ſupernumeraria omni parte cum ſequente eſſet conjuncta, etenim ex figura, quam dedit, ut jam monuit Clar. Albinus Annot. Acad. Lib. 4. pag. 56. intelligitur, ſacro, ex ſex vertebris conſtante, coccygis primam adjunctam fuiſſe, ita autem, ut tantummodo corpore ſuo praeter natu-

naturam conjuncta eſſet in unum, non proceſſibus transverſis, quod etiam in noſtro ſpecimine locum habet.

CLXIII. Os ſacrum ſimile, ex ſex quoque vertebris compoſitum, ſed vertebra prima, ſupernumeraria, proceſſu ſuo transverſo dextro cum reliquo oſſe conjuncta eſt; omni alia parte vertebra haec libera exiſtit.

CLXIV. Os ſacrum perfecte ſimile.

CLXV. Os ſacrum, cujus prima vertebra a ſecunda ſuo corpore notabili intervallo disjuncta eſt, opplentibus illud intervallum ligamentis, ut inter corpora vertebrarum verarum. Tota praeterea vertebra illa prima imae lumborum ſimilis, ſeparataque, niſi quod, ut in praecedentibus, tantummodo proceſſu ſuo transverſo altero cum ſuperiore parte lateris ſacri cohaereat.

Eſt idem, quod N°. CCCLII. inter praeparata ſicca exſtat in Supellectile Albiniana, a viro Clar. etiam depictum Annot. Acad. Lib. 4. Tab. 7. Fig. 5. Adfuit ſolitus vertebrarum lumborum numerus, & ſuperior ſacri omnino ſupernumeraria erat, adeo ut ſacrum integerrimum eſſet, etiamſi ſupernumeraria illa vertebra tolleretur, ut praeſertim a poſteriore parte conſpicere datur, ubi illa tota libera eſt.

CLXVI. Os ſacrum, cujus prima vertebra, ſupernumeraria, corpore ſuo penitus libera eſt, & parte laterali dextra tantum cohaeret. Liberi etiam proceſſus articulares. Primum coccygis officulum cum ſacro oſſe etiam concrevit.

CLXVII. Os ſacrum, quodammodo ſimile. In latere ſiniſtro penitus concrevit vertebra ſupernumeraria. Corpus pro maxima parte liberum eſt. In latere dextro vix cohaeret, ſed proceſſus deſcendentes cum adſcendentibus ſacri, & arcus etiam confluxerunt.

CLXVIII. Os ſacrum ſimile. Vertebra ſupernumeraria corpore ſuo in latere ſiniſtro & ab anteriore dimidium pollicem ab oſſe ſacro diſtat. In latere dextro a margine ipſius inferiore in os ſacrum lamella oſſea tendit. Proceſſus articularis dexter liber eſt, ſiniſter concrevit cum oſſe ſacro.

CLXIX. Os ſacrum, quodammodo ſimile. Pars corporis lateralis ſiniſtra vertebrae ſupernumerariae per lamellam intermediam cohaeret cum oſſe ſacro. Proceſſus transverſalis penitus cum latere oſſis ſacri confluxit.

CLXX. Sacrum os, ex ſex vertebris compoſitum. Suprema ſimilem planam anteriorem ſuperficiem habet, ac ſubſequentes. Proceſſus hujus ſpinoſus, inſignis longitudinis, ultra reliquum ſcutum procurrit. Ex parte laterali ſiniſtra & ſuperiore lamella verſus latus tendit, quae ad os ileum videtur fuiſſe extenſa, ut hoc ſacro necteret, quod ſaepius contingit.

CLXXI. CLXXII. CLXXIII. Tria ſacra oſſa, ex ſex vertebris compoſita.

CLXXIV. Os ſacrum ex ſex vertebris conſtans. In hoc, ut in CLXX. pars ſuperior, quae eſt ab utroque latere orbis ovati, cum infima lumborum vertebra conjungendi, a ſolita forma recedit.

CLXXV. Os ſacrum, ex ſex vertebris conſtans. Pars inferior ipſius a foramine quarto inſigniter verſus anteriora eſt curvata.

CLXXVI. Os ſacrum, ex ſex vertebris compoſitum. Prima & ſupernumeraria plenarie concrevit cum ſecunda, ſi excipio partem anteriorem & mediam corporis; haec enim multum diſtat a ſubſequente, & hiatus relinquitur, quem ſubſtantia ligamentoſa opplevit.

CLXXVII. Os ſacrum, cujus inferiori parti tota coccyx adhaeret, hujus praeterea omnia officula inter ſe ancyloſi nexa ſunt, apice verſus latus ſiniſtrum directo. Ex corpore officuli ſecundi coccygis exoſtoſis parva, rotundula, enaſcitur.

CLXXVIII. Os ſacrum, ex ſex vertebris compoſitum, quatuor tantum foraminibus ab uno alteroque latere inſtructum. Sexta proprie eſt ſupremum coccygis officulum.

CLXXIX. Duo ſacra, proxime ad praecedens accedentia.

CLXXX. Os ſacrum, praeter modum planum.

CLXXXI. Os ſacrum, cujus corpora ferme omnia, partes laterales & ſuperioris articulares, plane ſeparata ſunt. Conf. Suppellectilis Albinianae Num. CCCVIII. inter praeparata ſicca.

CLXXXII. Os ſacrum, cujus pars inferior olim fracta ſic cum parte ſuperiore concrevit, ut angulum ferme rectum formet, & callus tum ab interiore tum ab exteriore etiam conſpiciatur. Vertebra prima ab altero latere, dextro, ut & toto ſuo corpore a reliquo oſſe ſacro diſtat. Videtur & hoc in caſu eſſe ſupernumeraria, facileque ſeparari poſſet; ad partem enim poſteriorem ſi adtendimus, hiatus admodum profundus cernitur, quem ab anteriore non niſi tenuis lamella claudit, eadem, quae partem lateralem nectit cum reliquo oſſe. Tabulae XLV. Fig. 5. os ſacrum delineatum eſt; quum vero angulus, quem format pars inferior cum ſuperiore, non adeo hac in figura exhiberi potuerit, additae ſunt icones duae aliae 6. & 7. talium oſſium, ſimili modo fractorum, & ab anteriore, & a latere, ut pateat, qualem, poſt hanc fracturam, difformitatem ſubeant haecce oſſa, & quantopere apertura inferior pelvis anguſtetur.

CLXXXIII. Os ſacrum, ex ſex vertebris compoſitum; adhaeret praeterea primum coccygis officulum. Fractura paſſum eſt ad foramen quartum. Concreverunt fractae partes invicem, ſed inferior cum ſuperiori angulum rectum format. Inaequalitates variae a parte poſteriore hujus oſſis cernuntur, ubi fractura adfuit.

CLXXXIV. Hominis adulti ſternum, carie exeſum. Pertinet ad Supellectilem Albinianam, inter praeparata ſicca N°. CCCLV. Conſumta a parte interiore tota ferme pars ſuperior, ſic ut ab anteriore tenuiſſima lamella oſſea ſuperſit, variis in locis foraminulenta. Media pars tota periit, & vix filamenta tenuia ſuperſunt, quae partem inferiorem ſuperiori adnectunt.

CLXXXV. Sternum, cujus pars media per cariem ſic conſumta, ut foramine, pollicem ad minimum longo, hiet. Idoneo ſpiritu adſervatur.

CLXXXVI. Sternum hominis adulti, cujus partes omnes concreverunt invicem. Inferior inſignem latitudinem habet, & in plures apices deſinit. Hoc, delineatum Tab. XLVI. Fig. 1., ſerrae ope ſic diviſum eſt, ut pars anterior a poſteriori ſit ſublata, & interior ſubſtantia rite conſpiciatur, cujus cognitio cum maxime neceſſa-

ceſſaria eſt, ut pateant & explicari poſſint diverſi generis mala chirurgica, & medendi ratio eorundem intelligatur. Ibid. Fig. 2.

CLXXXVII. Sternum hominis adulti, cujus partes omnes concreverunt. Superius os verſus latus dextrum, cui coſta prima adhaeſit, multo latius eſt. Medium non longe a parte inferiore rotundulum foramen habet. Infimum, in duos apices acutos, a ſe invicem multum recedentes, definit. Tab. XLVI. Fig. 3.

CLXXXVIII. Duo oſſa pectoris, quorum officula tria confluxerunt. In altero foramen parvum in medio datur, & hujus officulum tertium, latitudinem notabilem habens, in duos apices definit. In altero foramen verſus inferiora multo majus eſt.

CLXXXIX. Sternum, ex uno oſſe conſtans. Coſtae ſecundae cartilago, in os mutata, adhaeret; ſic tamen haec ſeſe habet, ut cruſta oſſea obduxiſſe cartilaginem, haec vero, olim intus contenta, periiſſe videatur.

CXC. Sternum ex uno oſſe conſtans, alia tamen ratione, quam in aliis hujus naturae. Pars enim ſuperior cohaeret cum media per lamellam, ex ſuperiori in mediam tendentem, dum reliquus nexus plane liber eſt.

CXCI. Sternum male conformatum foetus, cujus Anatomen exactam tradidi Obſervat. Anat. Pathol. Lib. 3. cap. 1. & cranium deſcriptum eſt ad art. LXVI. Muſei hujus pag. 164.

Ab anteriore & planius & latius, quam eſſe in foetu ſolet, maximam partem cartilagineum, medio loco oſſeum eſt, ſic tamen, ut non diverſa oſſificationis principia adſint, ſed unicum conſpiciatur, ſatis longum, a ſuperiore margine ad coſtae quintae cartilaginem ſeſe extendens; ab inferiore in cartilaginem enſiformen terminatur, primo contractam, dein lateſcentem, & in tres mucrones definentem. Quintae, ſextae, & ſeptimae coſtae, cartilagines, in dextro latere ad ſternum accedunt, in ſiniſtro ſextae & ſeptimae tantum; ſed in dextro prima, ſecunda, tertia, quarta a coſtis, vel coſtae ab his receſſerunt, ſic ut hae cartilagines, ſolitam longitudinem non adeptae, & omnes non aeque longae, ſpatium vacuum reliquerint. Simile quid in ſiniſtro latere locum habet. Conf. Lib. citat. Tab. 5. Fig. 4. Adſervatur in idoneo ſpiritu.

CXCII. Sternum feminae adultae ſingularis conformationis. Vix pollices quinque longum eſt, dum naturali in ſtatu longitudinem octo pollicum habet; latitudo ferme ubique duos pollices ſuperat. Conſtat ex unico oſſe, & ſeparationis, quae olim adfuerit, veſtigium nullum adparet. Admodum convexum eſt, ſic ut linea perpendicularis ducta in aliam, a parte ſuperiore & interiore ad inferiorem directam, pollicem longa ſit. Pars inferior definit in duos apices, quorum utrique cartilago enſiformis adhaeret. Tab. XLVI. Fig. 4.

CXCIII. Sternum adulti hominis, ex tribus partibus diſtinctis compoſitum, quarum inferior plane rotunda eſt, cartilaginemque adnexam habet, definentem in duos apices, medio lunato ſinu diſtinctos. Adhaerent in utroque latere cartilagines diſtinctae coſtarum octo.

CXCIV. Sternum hominis adulti, ſolito more ex tribus partibus ſolubilibus com-

compoſitum. Adhaerent cartilagines coſtarum octo in dextro latere, ſeptem in ſiniſtro.

CXCV. Pars ſuperior ſterni, quacum coſta prima dextra firmiter concrevit, cartilagine non tantum in oſſeam ſubſtantiam mutata, ſed etiam ſic extenſa & expanſa, ut, licet intus cavitatem quamdam recondat, concurrat ad formandum ſinum, cum quo olim articulo nectebatur clavicula. In oppoſito latere cartilago coſtae primae ſimilem mutationem ſubiit.

CXCVI. Varia oſſa pectoris. Deſunt partes ſuperiores, quae libere cohaeſerunt cum mediis. In omnibus mediae concreverunt cum infimis. Infimae ſingularem figuram habent, & in cunctis in duos mucrones, diverſimode figuratos, deſinunt.

CXCVII. Coſtae dextrae mediae quatuor hominis adulti, circa longitudinem ſuam mediam concretae inter ſe; ſuprema cum ſecunda ad longitudinem duorum pollicum; ſecunda cum tertia, tertia cum quarta ad longitudinem ſesquipollicis; ſed non perfecte in eodem loco. Ab interiore & exteriore ſuperficies ſatis aequabilis eſt. Inter ſupremam & ſubſequentem duo dantur foramina. Eſt N°. CCCLV. Supellectilis Albinianae. Conf. Tab. XLVIII. Fig. 3. & 4.

Coſtas diverſimode invicem concreſcere, exemplis, in Tab. XLVII. Fig. 3. 4. 5. 6. 7. delineatis, confirmatur, ex quibus ſimul patet, quomodo concretio talis ſenſim incipiat, & progrediatur. Fig. 3. ſiſtit duas coſtas ex infimis, quae ad longitudinem ſesquipollicis per mediam ſubſtantiam oſſeam nexae ſunt. Fig. 4. & 5. coſtas duas, quae prope curvamina ſua ſic ſunt nexae, ut altera eaque inferior, collo ſuo cum corpore ſuperioris cohaerens, capite ultra corpus ſuperioris promineat. Fig. 6. & 7. principia talium concretionum, alterum tenue, alterum latius, quae ex margine ſuperiore coſtarum enatae, vel recte vel oblique, ſurſum ſeſe extendunt.

CXCVIII. Coſtae quatuor dextrae mediae hominis adulti, partibus ſuis poſterioribus concretae inter capita atque tubercula, id eſt, per totam longitudinem colli: tubercula, quae cum proceſſibus transverſis vertebrarum cohaeſerunt, mutata etiam ſunt, ſic ut, vertebras etiam praeternaturalem habuiſſe formam, concludere liceat. Tab. XLVIII. Fig. 1. & 2.

CXCIX. Coſtae ſiniſtrae duae ex ſuperioribus hominis adulti. Collum unius alteriusque per mediam ſubſtantiam oſſeam ſatis craſſam, ab anteriore ſed praecipue a poſteriore lunatam, cohaeret. Tab. XLIX. Fig. 4. & 5.

CC. Coſta ſiniſtra, ex cujus parte ſuperiore ſed ſimul anteriore portio oſſea, ferme dimidium pollicem longa, verſus coſtam, quae loco ſuperiori fuit, excrevit.

CCI. Coſta ſiniſtra, verſus partem anteriorem ſesquipollicem lata, & in duos apices deſinens, quorum utrique diſtincta cartilago adhaeſit, quae in unam confluxit. Tab. XLIX. Fig. 3.

CCII. Coſta embryonis extrema parte bifida. Eſt N°. CCCLIII. Supel. Albin.

CCIII. Coſta dextra ſecunda hominis adulti, media parte fracta & conſolidata.

CCIV. Similis coſta dextra tertia, quae pariter fracturam ſubiit.

CCV. Coſta dextra ex infimis feminae adultae; quae medio in corpore pſeudo-articulum habet, ligamentis validis duas partes mobiles, cartilagine obductas,

reti-

retinentibus & vincientibus. Similis adeſt in Supellectile Doevereniana N°. VIII. Muſei hujus pag. 98.

CCVI. Coſta ſiniſtra hominis adulti. Hujus pars anterior & interior ad longitudinem trium pollicum carie adeſa eſt.

CCVII. Coſta dextra ſexta hominis adulti, per cariem & ab interiore & ab exteriore tota exeſa. Tab. XLIX. Fig. 6. & 7.

CCCVIII. Coſta prima dextra hominis adulti, quae duo plane diſtincta capita habet. Tab. XLIX. Fig. 1. & 2.

* * *

Expoſitis, & quantum neceſſe fuit delineatis, omnibus praeparatis, quae poſſidemus, vertebrarum, oſſium pectoris, & coſtarum morboſarum, ſequuntur deſcriptiones truncorum, variis incurvationibus aliisque morbis laborantium, quae nunc demum rite intelligi poterunt, poſtquam illorum morborum prima initia, & ſucceſſivum incrementum, ex ſpeciminibus variis ſunt cognita.

CCIX. Truncus integer feminae, quae ſcolioſi laboravit, mortuae ex ruptura aörtae, omnisque ſanguinis in eroſum oeſophagum & ventriculum effuſione; quae partium mollium degenerationes inter partes molles morboſas N°. VIII. deſcribuntur.

Quae truncum componunt, oſſa cuncta ligamentis cohaerent. Sigmoïdeam perfecte figuram ſpina habet. Ab oſſe ſacro in ſuperiore lumborum parte ſiniſtrorſum flectitur, in dorſo dextrorſum vergit, tum vero ſiniſtrorſum progreditur, &, ad ſuperiorem trunci partem parum in oppoſitum latus tendens, caput recta ſuſtinet. Infima lumborum vertebra non recte ſuperiori oſſis ſacri parti inſiſtit, ſed parum a loco ſuo dimota eſt, ſic ut proceſſus transverſus dexter magis verſus anteriora vergat, quam ſiniſter; cum hac quarta jungitur, cum hac tertia; duabus autem his pars lateralis ſiniſtra magis compreſſa, praecipue vero compreſſa lamella, inter haec corpora media, quae, in dextro latere multo craſſior, diſtantiam hoc in loco inter corpora vertebrarum majorem reddit. Vergunt ſic tres hae vertebrae verſus latus ſiniſtrum, & ad marginem oſſis ilei inclinantur. Secunda autem primaque lumborum vertebra, cum reliquis intortae, in ſiniſtro latere craſſitiem habent inſignem, in dextro vero admodum applanatae ſunt, penitus ferme ibi loci deſtructa lamella intermedia; imo ſecunda atque prima confluxerunt invicem, emittitur quippe, & ex margine ſuperiori ac laterali ſecundae, & ex proximo ſed inferiore margine primae lamella quaedam oſſea, & hae duae lamellae copulantur invicem. Pergit ſpina in dextrum latus flecti usque ad nonam vertebram dorſi, & dum in lumbis pars lateralis dextra ſpinae antrorſum vergebat, jam ſiniſtra non latus ſuum, ſed anteriora occupat. Nona dorſi vertebra cum octava ſimili modo nexa eſt, ac lumborum prima & ſecunda, & ab hac nona verſus ſiniſtrum latus rurſus inclinatur ſpina, illaque una cum octava atque ſeptima in latere ſiniſtro complanata, in dextro craſſior exiſtit. Pergunt ſiniſtrorſum procedere, quae dictis inſiſtunt, vertebrae; ſu-

premae autem parum dextrorſum vergunt, ſicque efficiunt, ut ſumma pars ſterni cum ita dicta ſymphyſi oſſium pubis in una eademque linea detur. Mutatus tamen thorax inſigniter eſt. Coſtae dextrae octo ſuperiores, praecipue quarta, quinta, ſexta, ſeptima, octava, introrſum preſſae ſunt, ſic ut inter curvaturam illam, quam formant nona octava ſeptima dorſi vertebrae verſus latus dextrum, & coſtas diſtantia ſit pollicis unius & dimidii. Prominent autem dictae coſtae multum in dorſo, ſic quidem, ut curvamina earundem ultra proceſſus tranverſos & ſpinoſos protuberent, & dextram ſcapulam multum elevent. Longiores, tenuioresque coſtae mediae ſunt; prima, ſecunda, tertia, & quarta ſatis a ſe invicem diſtant, ſubſequentes ſibi admodum ſunt propinquae, ſeptima & ſexta ſeſe contingunt. Quatuor infimae magis extrorſum prominent. Inſolitam formam habet etiam latus ſiniſtrum thoracis. Coſtae admodum longae & extenuatae verſus anteriora tendunt, & diſtantia inter vertebras dorſi medias inferioremque thoracis ſiniſtri partem eſt $5\frac{1}{2}$ pollicum; ſic ut, dum imminuta ſit capacitas dextra, ſiniſtra amplitudinem inſignem acquiſiverit. Scapulae admodum planae ſunt. Claviculae rectae. Pelvis ampla eſt, & diſtantia inter os ſacrum & nexum oſſium pubis, ſeu conjugata, aequalis eſt diametro transverſali. Tubera oſſium iſchiorum, verſus exteriora promota, hoc in loco diſtantiam admodum notabilem relinquunt.

CCX. Truncus integer feminae, quae ſcolioſi laboravit. Hunc, utpote ſcopo optime inſervientem, elegi, ut, ab anteriore a poſteriore & ab utroque latere delineatus Tab. L. LI. LII. LIII. inſerviret, ad veram naturam morbi hujus cognoſcendam, cum hac cognitione ſola omnis medendi ratio nititur.

Oſſa cuncta ligamentis adhuc cohaerent. Ampla pelvis. Diſtantia inter oſſa ilium eſt quinque pollicum; inter ſuperiorem partem oſſis ſacri & nexum oſſium pubis, ultra quatuor pollicum; inter tubera oſſium iſchiorum circiter quinque. Os ilium dextrum magis reclinatum eſt quam ſiniſtrum. Diſtantia inter illorum margines ſuperiores eſt circiter decem pollicum. Os ſacrum ſolito latius. Vertebrae lumborum, a latere dextro multum compreſſae, admodum intortae, praeſertim ſuperiores, verſus latus dextrum vergunt. Ductum illorum ſequuntur dorſales usque ad quintam coſtam dextram a ſuperioribus, ſimiliter adeo contortae, ut partes illae corporum & transverſi proceſſus, cum quibus capita coſtarum ſiniſtrarum cohaerent, ab anteriore parte conſpiciantur. Tum vero vertebrae dorſales verſus latus ſiniſtrum tendunt, &, dum antea pars ſinuata ſpinae a latere ſiniſtro erat, jam a dextro conſpicitur, ſimulque verſus poſteriora ſic intorquentur, ut nexus coſtarum dextrarum ibi ab anteriore pateſcat. Vertebrae cervicales non recto tramite adſurgunt, ſed verſus latus ſiniſtrum etiam intortae ſunt. Coſtae hinc ſingularem acquiſiverunt ſitum, miroque modo a forma naturali receſſit thoracis capacitas. Coſtae dextrae multum applanatae partibus ſuis poſterioribus, ubi illarum curvamina eſſe ſolent, inſigniter retrorſum prominent, dein corporibus vertebrarum ſic appreſſae ſunt, ut ſpatium nullum interſit, ac gibberoſitatem notabilem producant, quae, appoſita ſcapula, olim multo major fuit. Aliam figuram acquiſiverunt coſtae ſiniſtrae. Hae longiores,

res, tenuiores, ſibi appreſſae, & introrſum protruſae, latus hocce concavum reddunt, capacitatem thoracis maximopere imminuunt. Sternum parte ſua ſuperiore, ut & mucrone, ſpinae oppoſitum, ſic nempe, ut linea, & a ſinu ipſius inter duas ſuperficies, clavicularum articulis deſtinatas, recta retrorſum ducta, & ſimilis a cartilagine enſiformi, eodem modo producta, in columnam vertebrarum incurrat. Omnis autem reliqua pars ſterni coſtis ſiniſtris, multum introrſum prominentibus, capacitati itaque laterali ſiniſtrae, admodum imminutae, reſpondet.

CCXI. Truncus integer feminae adultae, quae aliquoties feliciter pepererat, inſigni ſcolioſi laborans, & hac de cauſa, quoad ſpinam thoracemque, maxime deformis. Tab. LIV. LV. Latitudo oſſis ſacri inter nexum cum oſſibus innominatis eſt quatuor pollicum & dimidii. Diſtantia inter oſſa ilia, ſeu diameter transverſa, circiter ſex pollicum; inter mediam & ſuperiorem partem oſſis ſacri atque nexum oſſium pubis quinque. Tubera oſſium iſchiorum diſtant quatuor pollices. Tenera & tenuia pelvis oſſa ſunt, praecipue in mediis iliis. Vertebrae adfectae omnes. Infima lumborum in parte laterali ſiniſtra & inferiore parum eſt compreſſa, ſimilique modo mutata in parte laterali dextra, ſed ſuperiore, unde corpus inſolitam acquiſivit formam; parum etiam intorta haec vertebra eſt, ſic ut proceſſus transverſus dexter magis verſus anteriora, ſiniſter verſus poſteriora dirigatur. Secunda vertebra lumborum majorem latitudinem acquiſivit in ſiniſtro latere, & ſimilem mutationem, ſenſim magis notabilem, ſubierunt tertia, quarta, atque quinta, inclinari hinc cum maxime lumbi debuerunt in latus dextrum. Eandem mutationem ſubierunt vertebrae dorſales duae ſequentes, tum vero in latere ſiniſtro corpora adeo ſunt applanata, ut ſpina non amplius adſcendat, ſed vere deſcendat, & quarta dorſi vertebra a collo, unum ſolum modo pollicem & duas octavas partes diſtet a corpore ſupremae lumborum vertebrae: ſimul autem verſus latus ſiniſtrum ſecedit, ab hoc autem loco iterum parumper ſurſum ſpina curvatur.

Cum autem ſpina ſic inflexa eſt, & corpora vertebrarum dorſi ſic ſunt retorſa, ut proceſſus transverſales a poſteriore cernantur, aliter eſſe nequit, quin aliam in uno, aliam in altero latere mutationem ſubierint coſtae, & totus etiam thorax deformis ſit. In genere ſternum, ut depreſſum, ſic verſus anteriora etiam promotum, & incurvatum eſt. Diſtantia inter ſuprema oſſa pubis, & apicem cartilaginis mucronatae eſt quinque pollicum & dimidii. Ea vero, quae datur inter partem ſuperiorem lunatam ſterni, mediam inter ſinus, cum quibus capita anteriora clavicularum copulantur, & proceſſus transverſos vertebrarum colli (his enim, non ipſarum corporibus, propter contorſionem ſpinae, opponitur) vix pollici aequalis eſt. In dextro latere coſta prima ſatis arcuata dimiſſiori loco cernitur, quam ſecunda; tertiae, quartae, quintae & ſextae partes poſteriores ferme in eadem linea cum ſecunda inveniuntur, hinc diſtantia, inter nexum ſecundae coſtae cum ſterno & partem poſteriorem prominentium dictarum coſtarum, novem pollices ſuperat. Quintae, ſextae, ſeptimae, octavae, & nonae coſtae partes, quae dantur inter nexus cum proceſſibus transverſis & ſua curvamina, latiores redditae ſunt, & dis-

tortis vertebrarum corporibus ſic appreſſae, ut ſpatium omnino nullum remaneat. Inde, ſenſim tenuiores redditae, deſcendunt, donec ſuis cartilaginibus iterum vel ad ſternum accedant, vel praecedentes attingant. Decima magis extrorſum recedit, ſimulque deſcendit, & ut undecima atque duodecima, apice ſuo libera eſt. Undecima vix pollicem a criſta oſſis innominati diſtat. Siniſtri lateris coſta prima parte ſua poſteriore & media ſecundae eſt appreſſa, haec parum ultra primam adſcendit, dein deſcendit. Tertia, quarta, & quinta ſeſe maximam partem attingunt, ſexta parte poſteriore ferme tota ante quintam deliteſcit, conſpiciuntur tunc ſeptima & octava, ſed nona rurſus octava tegitur, decima atque undecima quodammodo etiam deliteſcere videntur, & duodecima, parva, etiam non facile cernitur. Quoniam in hoc latus maxime inflexa ſpina eſt, omnes ex parvo admodum loco videntur oriri. Decima coſta ſic deſcendit, ut inter apicem illius, intra os ilium demiſſum, & oram ſuperiorem pelvis, ac nexum ſacri cum coxa ſesquipollicis diſtantia tantum detur. Latus hocce totum concavum eſt, & omnes coſtae inſigniter extenuatae ſunt. Reliqua ex figuris melius cognoſcentur. Vertebrae tres ſuperiores deſunt, licet in figura rurſus appoſitae cernantur, ſed diſtantia inter ſummitatem oſſium pubis, & mediam vertebram colli eſt circiter unius pedis, dum eadem haecce diſtantia in trunco, ſimili morbo laborante & N°. CCX. deſcripto, ſeptendecim pollicibus & dimidio aequalis invenitur.

CCXII. Truncus puellae, quae pariter ſcolioſi laboravit. Sigmoïdeam quodammodo figuram ſpina habet. Primum verſus latus dextrum inflectitur, dein verſus ſiniſtrum, tum verſus anteriora promovetur, & collum, quodammodo verſus latus ſiniſtrum intortum, rectius adſcendit. Simul tota ſpina ſic contorta eſt, ut proceſſus transverſi dextri a parte poſteriore conſpiciantur, ſpinoſi verſus latus ſiniſtrum dirigantur. Protuberantia in dextro latere vertebrarum dorſi corpora, nexaeque iis coſtae, gibberoſitatem inſignem faciunt. Inde coſtae verſus anteriora, ferme transverſo ductu, procedunt, multum attenuatae, & ſternum inſigniter protrudunt, ſic ut hoc a ſpina multum diſtet, & truncus hac in re valde differat a praecedentibus. In ſiniſtro latere concava ſpina eſt, ſibi invicem appreſſae ſunt coſtae mediae, quae vel transverſim incedendo, vel parum deſcendendo, demum ad os pectoris accedunt, & capacitatem thoracis inſignem reddunt. Tab. LVI.

Deſcriptionibus his truncorum, ſcolioſi laborantium, ſuperaddenda videtur alia, trunci nempe, hoc morbo ſolis in lumbis maxime defigurati, quem quidem in noſtra collectione non poſſidemus, ſed cujus duas delineationes exactiſſimas Theatro conceſſit Doctiſſimus Chirurgus Amſtelaedamenſis van Geſcher, quae in Muſeo ad uſum diſcentium adſervantur, quas itaque etiam huic operi Tab. LVII. & LVIII. inſerendas putavi. Deſcriptionem, quae ad illuſtrandum hunc ſingularem caſum inſervire debet, olim compoſuit digniſſimus Diſcipulus, Medicus nunc Amſtelaedamenſis, a Roy, cui, ſuam de Scolioſi diſſertationem conſcribenti, hoc praeparatum pro tempore conceſſerat Doct. van Geſcher, eaque adeo exacta eſt, ut nihil ſuperaddendum habeam. Conf. Ipſius Comment. de Scolioſi §. 57. pag. 84. ſeq.

In

In ſuperiore parte oſſis ſacri diſtorſio jam incipit, utpote quae ſiniſtrorſum inſigniter, ſimulque antrorſum nonnihil, inflectitur, unde in ſiniſtro latere magis depreſſum eſt hoc os, quam in dextro. Ultima, quae huic oſſi inſiſtit, lumborum vertebra in ſiniſtrum latus magis jam incurvatur, & poſteriora verſus reflectitur, ſiniſtra in parte notabilius complanata eſt, contorta tamen non adeo apparet. Quarta vertebra ſimili ratione, ſed adhuc manifeſtius, ſiniſtrorſum inclinat, ita quidem, ut margine ſuo inferiore ſiniſtro extra ultimam emineat; ubivis quidem ejusdem craſſitudinis eſt, mirum tamen in modum in ſe ipſa intorta exiſtit, ſuperiori nimirum parte in ſiniſtrum, inferiori in dextrum latus vergens, ita ut figuram obliquoquadratam exhibeat; a ſiniſtro praeterea latere propius appreſſa eſt ad quintam vertebram, quam a dextro, ubi inter duas illas vertebras multo amplior cartilago interponitur, unde ſuperficies ejus ſuperior in ſiniſtrum latus inſigniter declivis apparet; contorta autem non admodum eſt, ſed tota in poſteriorem partem ſimul prolabitur, ut inde compoſitam quaſi ex Scolioſi & Cyphoſi incurvationis ſpeciem enatam diceres. Ab hac quarta vertebra tertia non tantum ſummopere ſiniſtrorſum inflectitur, ita ut in anteriori ſpinae parte unice ferme ea lateralis corporis ſui portio appareat, quae proceſſui transverſo dextro propior eſt, verum etiam, quia ſuperficies ſuperior quartae in ſiniſtrum latus adeo inclinat, ſiniſtra ejus pars inferior eſt, & humum reſpicit, quando tuberibus oſſis iſchii truncus recte inſiſtit; praeterea extra marginem ſuperiorem quartae vertebrae ad tertiam ferme ſui corporis partem eminet; a ſiniſtro latere retrorſum aliquomodo contorta eſt, minus tamen in poſteriorem partem tota propellitur; tandem a dextro latere complanata eſt, cum in ultima lumborum vertebra a ſiniſtro complanatio eſſet. Haec omnia in ſecunda adhuc majora ſunt, quippe non ſolum maximopere ſiniſtrorſum & ſimul adeo retrorſum incurvatur ac torquetur, ut tota ſcilicet ejus pars lateralis ſiniſtra degenerata valde poſterius conſpiciatur, verum etiam extra marginem ſuperiorem tertiae vertebrae adhuc magis eminet, quam illa extra quartam. Singularis certe hujus vertebrae ſitus eſt, praeterquam enim, quod tota ſiniſtra ſit, ſuperficies ejus ſuperior ferme iterum horizontalis eſt, leviter tantum in ſiniſtrum latus deorſum directa, dum inferior admodum declivis conſpicitur, quod inde factum eſſe videtur, quia a latere ſiniſtro juſtam retinuit craſſitudinem, & inter hanc & tertiam vertebram ab eodem latere multa & craſſa cartilago interpoſita eſt, cum corpus ejus inter tertiam & primam a dextro inſigniter compreſſum eſt, ut cuneum ſatis acutum referat, & cartilago ibi multo eſt tenuior; ſed quum margo inferior ſiniſter hujus vertebrae tam inſigniter ultra ſuperiorem tertiae eminet, & caeterum haec vertebra reliquaeque tres ſuprapoſitae recta quodammodo ſurſum adſcendunt, hinc prominens ille margo angulum ſatis notabilem efformat, qui a linea, ad ſymphyſin oſſium pubis recte ducta, plus quam $4\frac{1}{2}$ poll. remotus eſt. Prima lumborum vertebra deſcriptae ſuperficiei ſecundae vertebrae inſiſtens, quia a dextro latere quodammodo compreſſa eſt, in ſitu horizontali ferme apparet, tota tamen ſiniſtra eſt (ut omnes reliquae thoracis & colli vertebrae ab hoc latere ſitae ſunt) atque ibi ad eumdem gradum, ad quem prae-

praecedens, retrorſum adhuc contorta. Ultima thoracis vertebra primae huic lumborum recte ſuperimpoſita, paullo minus, quam praecedens, licet tamen adhuc ſatis inſigniter, contorta, ſed ab utroque latere ejusdem craſſitudinis eſt. Undecima recte etiam duodecimae inſiſtit, & quodammodo adhuc contorta eſt in ſiniſtro latere, verum ſuperius ab eodem hoc latere compreſſa aliquomodo rurſus eſt, unde decima vertebra (praecipue etiam, quia inter hanc & undecimam a dextra parte cartilago intervertebralis paullo craſſior continetur, quam in ſiniſtra) ſiniſtrorſum iterum leviter incurvatur, & parvam ſimiliter ab hac parte contorſionem exhibet, caeterum nullam mutationem oſtendit, & dum tota reliqua trunci pars & collum hanc directionem ac contorſionem recte ſequuntur, ita quidem, ut ipſa illa curvatura, quae in ſuperioribus thoracis vertebris naturaliter conſpicitur, quoque evanuerit, hinc fit, ut ſenſim magis magisque a linea media corporis recedat ſuperior pars ſpinae dorſi, donec tandem media pars primae colli vertebrae octo circiter poll. ab hac linea diſtet, unde totus thorax, praeterquam quod ob levem omnium vertebrarum thoracis contorſionem cavitas ejus dextra nonnihil major ſit, quam ſiniſtra, tantopere in ſiniſtrum latus inclinat, ut extremitas cartilaginis penultimae coſtae ſpuriae criſtam oſſis ilii ferme attingat, dum a dextro latere cartilago penultimae coſtae plus quam ſex digitos transverſos a criſta ilii remota ſit. Inſignis certe eſt diſtorſio, quae in hoc ſpecimine obtinet, tantopere quippe inflexae ſunt vertebrae, ut tres ultimae lumborum & inferior pars ſecundae in linea ferme horizontali conſpiciantur, dum truncus tuberibus oſſium iſchii recte inſiſtit; cui lineae reliqua pars hujus ſecundae vertebrae, & prima lumborum, nec non binae infimae thoracis vertebrae recte ferme impoſitae ſunt, ita ut omnes ſimul angulum referant ad rectum accedentem. Ex hac autem incurvatione ſpinae tota columna vertebralis non parum de ſua longitudine amiſit, linea enim ducta a media & ſuperiore ſuperficie primae colli vertebrae ad nexum oſſium pubis aequat $21\frac{1}{2}$ poll., dum longitudo funis, juxta totam ſpinam ad marginem ſuperiorem oſſis ſacri usque dispoſiti, eſt 2 pedum. Praeterea foramina illa, quae inter quartam & tertiam, tertiam & ſecundam, ac ſecundam inter & primam lumborum vertebras, nec non inter primam lumborum & duodecimam thoracis conſpiciuntur, & ex quibus, ut etiam reliquis, nervi ſpinales prodeunt, antrorſum plane directa in dextro latere cernuntur, dum ab oppoſito poſterius apparent.

Ex inflexione jam & contorſione harum vertebrarum Transverſi Proceſſus non parum quoque immutati ſunt. Proceſſus nimirum transverſus dexter quintae lumborum vertebrae, apice ſuo quodammodo deorſum & antrorſum directus, & anterius parumper excavatus eſt, nam a corpore procedens in initio leviter retrorſum incurvatur, inde vero rurſus ad anteriora reflectitur; praeterea juſto planior ac longior eſt, reliquos proceſſus transverſos vertebrarum lumborum latitudine & ferme longitudine ſuperans. Siniſter parum quoque concavus, planior & longior, a radice usque ad apicem ſuperiora & poſteriora verſus dirigitur, tali modo, ut directionem partis poſterioris criſtae oſſis ilii ſequatur. Proceſſus transverſus dexter quar-

quartae vertebrae directione & figura illi dextri lateris quintae reſpondet; non tamen excavatus eſt, ſed apice ſuo retrorſum magis tendit; & dum haec vertebra tantopere in ſiniſtrum latus inclinat, in medio ſpinae locum habet. Siniſter retrorſum totus magis tractus eſt, propter majorem quodammodo vertebrae hoc in latere contorſionem. Proceſſus transverſus dexter tertiae vertebrae directione & figura praecedenti hujus lateris ferme iterum convenit, niſi quod acutiore apice terminetur; longior ſit, ſed minus latus; antrorſum paullo magis invertatur; plus juſto a corpore ſuo remotus ſit, ad pollicis ſcilicet diſtantiam, quia illud adeo ſiniſtrorſum incurvatum eſt; & ultra ipſum medium ſpinae in latus ſiniſtrum receſſerit. Siniſter, magis adhuc quam praecedens hujus lateris retrorſum ſurſumque tractus, a naturali figura multum degeneravit, apice ſcilicet antrorſum curvatus hamuli ad inſtar, anteriori & inferiori proceſſus hujus vertebrae obliqui ſuperioris parti incumbit. Proceſſus transverſus dexter ſecundae vertebrae quoad figuram praecedenti lateris ejusdem ſatis ſimilis eſt, ſi excipio, quod minus longus ſit, & ſuperiora verſus aliquomodo apice vertatur, a media linea corporis ſiniſtrorſum magis adhuc recedit, quia in ſiniſtrum latus magis adhuc inflexa eſt haec vertebra, & cum a ſiniſtro hoc latere inſigniter retrorſum contorquetur, hinc ad anteriora magis quoque, quam praecedens, invertitur hic proceſſus, ita ut totus in anteriore ſpinae parte poſitus ſit; a corpore ſuo longius praeterea adhuc diſtat, nimirum ad $1\frac{1}{2}$ ferme poll. Siniſter tantopere eſt degeneratus, ut ne quidquam ejus appareat, ſed cum ſuperiore proceſſu articulari hujus vertebrae integre confluxiſſe videatur. Proceſſus deniique transverſus dexter primae lumborum vertebrae ſiniſtrum longitudine multum ſuperat, eodem modo, ut praecedens hujus lateris, totus in anteriore ſpinae parte conſpicitur, horizontalem ſitum habet, & a corpore ſuo juſto plus non abeſt. Siniſter nullatenus degenerationem quamdam paſſus eſt, poſterius tantummodo totus in conſpectum venit. Dextri tandem ſiniſtrique proceſſus transverſales duodecimae & undecimae thoracis vertebrae a naturali ſtatu etiam non receſſerunt, hi tantum retrorſum, illi antrorſum, una cum vertebris ſuis contorti ſunt.

Proceſſus autem Articulares tantopere per hanc Scolioſin degenerarunt, ut illi accurate deſcribi vix ac ne vix quidem poſſint. In genere proceſſus obliqui deſcendentes duorum inferiorum lumborum vertebrarum in dextro latere juſto plus elongati, & a ſpinoſis apophyſibus remoti ſunt; in ſiniſtro autem minus longi quodammodo apparent. Proceſſus obliquus ſuperior dexter tertiae vertebrae, cumque eo inferior ſecundae, qui nempe invicem articulati ſunt, tam propinque ad proceſſum ſpinoſum ſecundae vertebrae intorti exiſtunt, ut nullum ferme inter illos detur interſtitium, praeterquam quod inſignis degeneratio in duobus his proceſſibus obliquis obſervetur. Proceſſus deſcendentes trium ſuperiorum lumborum vertebrarum ſiniſtro in latere etiam rurſus admodum elongati, atque a proceſſibus ſpinoſis remoti ſunt. Caeterum omnes vertebrarum lumborum proceſſus obliqui tali modo immutati ſunt, quem verbis exprimere non licet; nulla tamen inter illos, quemadmodum etiam non inter vertebrarum corpora, ancyloſis obtinet, tanta enim integro adhuc cada-

cadavere inter omnia haec erat mobilitas, ut in praeparatione & ſiccatione hujus trunci maximo labore ſummaque prudentia attendi debuerit, ne morboſa ſpinae figura aliquo modo mutaretur. In duabus inferioribus thoracis vertebris proceſſus hi vix mutati ſunt, niſi quod dextri parumper depreſſiores ſint ſiniſtris.

Proceſſus denique Spinoſi magnam degenerationem non commonſtrant, excipio, quod baſibus ſuis ſiniſtrorſum plus minus retractis, praeſertim in tribus ſuperioribus lumborum vertebris, ad proceſſus obliquos dextri lateris apicibus ſuis inflectantur. In duabus inferioribus thoracis vertebris nulla horum proceſſuum mutatio conſpicitur.

Ut autem completa hujus ſpeciminis hiſtoria ſit, breviter addere liceat, quae in duodecima & undecima utriusque lateris coſtis, nec non in ſiniſtro oſſe innominato notanda ſuperſunt.

Coſta inferior ſiniſtra, dum ab hoc latere vertebra duodecima thoracis ſatis manifeſto retrorſum contorquetur, ad hanc vertebram proxime apprimitur, ut non niſi parvum tantummodo hanc inter & illam ſpatium relinquatur, ſimul deorſum magis dirigitur, quam dextra, quae, praeterquam quod recta magis in latus procedit, longius ab eadem vertebra remota eſt, & ſimul ſulco illo, qui in inferiore & interiore parte coſtarum datur, caret. Praeterea inter coſtam undecimam utriusque lateris levis quaedam adhuc obſervatur differentia, ſiniſtra nimirum magis deorſum fertur, minus longe a duodecima diſtat, & quodammodo propius ad vertebram undecimam incurvatur, quam dextra, quae rectius nonnihil in latus incedit, magis a duodecima abeſt, & longius a vertebra undecima diſtat, atque inſuper adhuc ſulcum illum in inferiore & interiore ſui corporis parte integre ferme deletum, commonſtrat. Caeterum inter reliquas utriusque lateris coſtas minima tantum differentia intercedit, quae inde oritur, quia omnes thoracis vertebrae ſiniſtro in latere retrorſum aliquomodo ſunt contortae, unde ſiniſtri lateris coſtae deorſum magis deſcendunt, & ad vertebras magis incurvantur, quam dextrae; hinc cavitas thoracis dextra capacior nonnihil eſt ſiniſtra, & ſternum majori capacitati eſt oppoſitum.

Tandem, dum ſuperior oſſis ſacri pars ſiniſtrorſum, ſimulque nonnihil antrorſum, diſtorta eſt, ſiniſtro in latere illa depreſſior eſt, quam in oppoſito; inde os ilium ſiniſtrum exteriora, & quodammodo anteriora atque inferiora verſus, propulſum eſt, cumque illo iſchium os & pubis crus ſuperius extrorſum ſimiliter producta apparent, unde ora ſuperior pelvis, quae ex oſſe ſacro & duobus oſſibus innominatis fit, regularem figuram perdidit. Caeterum in pelvi nulla notabilis degeneratio conſpicitur.

CCXIII. Truncus integer, vario ſenſu maxime notabilis, feminae nimirum, quae a latere dextro claudicavit, cyphoſi, ſcolioſi, oſteoſteatomate in lumbis laboravit; cui hac de cauſa vitiata ſpina, pelvis, thorax ſunt; cui una alteraque coſta fracta fuit, & cartilagines multarum oſſificatae. Quae mutationes omnes melius depingi, quam verbis exactiſſime deſcribi, potuerunt.

Pelvis contorta quaſi, &, ſi truncus recto in ſitu continetur, ſic ſaltem, ut colli vertebrae recta via deſcendant, admodum obliqua eſt. Os ſacrum, ubi cum innominatis oſſibus nectitur, quatuor circiter pollices latum eſt, adhaeret ipſi ver-

vertebra ſupernumeraria, quae in latere ſiniſtro penitus cum parte laterali ſacri confluxit, in dextro non item. Diameter transverſalis pelvis eſt quinque pollicum; conjugata ei perfecte ſimilis. Alterum os innominatum ſanum, alterum illudque dextrum vario modo morboſum; os pubis multo dimiſſius eſt, ramus ipſius in os iſchium deſcendens multo magis retrorſum vergit; quatuor pollicum diſtantia datur inter tubera oſſium iſchiorum. Dextrum acetabulum in cavum triangulare, apice ſuo retrorſum ſurſumque tendens, ſatis profundum degeneravit. Supra hoc inaequalitates nonnullae cernuntur. In medio autem ilio rotundulus ſinus eſt adeo profundus, ut ab interiore etiam inſigniter promineat, cui caput femoris olim fuit appreſſum. Tres vertebrae lumborum infimae multum retrorſum tendunt, parum contortae ſunt, irregularemque acquiſiverunt formam. Superiores lumborum & duae inferiores dorſi, conſumtis, aut degeneratis, ſuis corporibus ſic conſluxerunt, ut unam irregularem maſſam ſiſtant, & hoc loco veram cyphoſin forment. Inde antrorſum inflexa, ſed ſimul ſic intorta ſpina eſt, ut ſemilunarem quodammodo acquirat formam, & corpora, in latere dextro latiora, in ſiniſtro compreſſa, efficiant, ut in ſiniſtro latere concava ſpina ſit. Lateri ſiniſtro vertebrarum trium inferiorum lumborum adhaeret tumor oſſeus globoſus, duos pollices latus, tres altus, ab anteriore aequabilior, qua adhaeret corporibus vertebrarum, magis verſus latus procedens inaequabilis; praecipue quidem a parte poſteriore, ubi eandem conformationem exhibet, ac Osteoſteatomata ſiccata monſtrare ſolent.

Cum tantopere, & deſcripta ratione, mutata ſpina ſit, thorax etiam praeternaturalem fabricam monſtrare debet. Sternum ex duobus tantum oſſibus conſtat; propelocum, ubi cartilagines ſextae & ſeptimae coſtae cum eo nexae fuerunt, rotundulum foramen eſt. Situs ipſius talis eſt, ut non opponatur ſpinae, ſed cavo ſiniſtro pectoris ampliori, & corpora vertebrarum a latere ipſius dextro per ſpatia intercoſtalia conſpiciantur. Coſtae, ſuis curvaminibus multum ſurſum retrorſumque promotae, effecerunt, ut ſcapula dextra multo altiorem ſitum habere debuerit, dorſumque hoc in loco multum promineat. In corporibus ſuis latiores, citius verſus latus reflectuntur, ſic ut capacitas dextra thoracis multum ſit imminuta. In latere ſiniſtro ſuperiorum coſtarum cartilagines ſuis ſe capitibus, collis, tuberculis attingunt, dein magis deſcendunt, ſunt tenuiores, a ſpina multo magis diſtant. Inferiorum partes mediae introrſum preſſae ſunt. Coſtarum cartilagines fere omnes plus minus ſunt oſſificatae; ſextae ſeptimaeque cartilagines perierunt. Coſta quarta ſiniſtra fracta fuit. Videntur ſimilem labem paſſae quarta, nona, decima, undecima, dextrae. Reliqua figurae exactae, ſed paulo minores, quam objectum eſt, exhibitae Tab. LIX. LX. oſtendent.

CCXIV. Vertebrae duae dorſales infimae, omnes lumborum, os ſacrum & innominatum ſiniſtrum, penitus concreta, & ſic incurvata, ut exemplum Lordoſis praebeant. Conf. Tab. LXI. Vertebrarum dorſi corpora libera ſunt, articulares proceſſus concreverunt; margines corporum vertebrarum lumborum confluxerunt, intermedia autem ſubſtantia cartilagineo-ligamentoſa periit, &, ubi haec fuit, hiatus inſignis datur.

datur. Lumborum ima ſimili modo cohaeret cum ſacro; hoc vero cum oſſe innominato per cruſtam quamdam oſſeam, ab interiore verſus capacitatem pelvis tantummodo conſpicuam. Vertebrae lumborum verſus anteriora multum prominent, ibique corpora inſignem acquiſiverunt craſſitiem; a poſteriore autem ſunt compreſſa, adeo ut lumbi quam maxime concavi fuerint, & ſpina intra capacitatem abdominis quam maxime prominuerit. Plenaria vertebrarum lumborum concretio eſt, nam articulares proceſſus etiam penitus confluxerunt.

* * *

CCXV. Pelvis oſſea feminae adultae, admodum ampla, ſed tota tenuiſima & leviſſima. Tab. LXII. Fig. 1. 2. 3. Sacrum, ſolito latius, cum utroque oſſe innominato concrevit, non per lamellas, extrinſecus conſpicuas, ſed interventu ſubſtantiae, inter ipſa oſſa inveniendae. Pubis oſſa multum a ſe invicem diſtant. Acetabula, admodum profunda, intra capacitatem pelvis etiam prominent, praecipue in latere dextro, ubi fundus tenuiſſimus, & vere foraminulentus eſt. Siniſtrum acetabulum partem illam, quae glandulam muciparam recondere ſolet, admodum extenſam exhibet, & multo magis excavatam, quam margo lunatus eſt, quem cartilago integere ſolet. Tubera oſſium iſchiorum admodum applanata, praecipue dextrum; proceſſus acuti eorundem oſſium ſolito longiores. Foramina ovalia, praeprimis dextrum, praeternaturalem figuram habent, & longitudo eorum ſeſe non a ſuperiore deorſum ſed ab anteriore retrorſum extendit. Diſtantia ab ora pelvis prope partem anteriorem acetabuli usque ad infimam ſuperficiem tuberis oſſis iſchii, in dextro latere eſt 2. pol. & $\frac{3}{8}$, in ſiniſtro 3. poll. Ex ramis adſcendentibus oſſium pubis, tenuiſſimis, mox ubi a dicto tubere originem trahunt, exſurgunt lamellae tenues; haec in dextro latere 1. poll. & $\frac{1}{8}$ lata, duos longa eſt, & ſurſum antrorſumque adſcendit ante foramen ovale. In ſiniſtro latere ſimilis lamella eſt, ſed multo minor; totus autem ille ramus hujus lateris incurvatus & quaſi inflexus eſt, & in multas eminentias, acutiusculas, deſinit.

CCXVI. Pelvis oſſea adulti viri, cujus oſſa omnia concreverunt, ſic ut unam maſſam conſtituant, & in pube firmiſſimus etiam nexus inveniatur. Tab. LXIII. Sacri oſſis & innominatorum nexus perficitur per lamellas oſſeas ex innominatis in ſacrum tendentes, ſed videtur interna ſubſtantia praeterea oſſificata, dum ligamenta, quae a parte poſteriore a ſacro in craſſam, tuberculatam, oſſis ilei dextri partem, quae ultra os ſacrum prominet, tendunt, etiam in verum os abierunt, quale quid, licet non adeo diſtincte, etiam in ſiniſtro latere obtinet. Quae inter oſſa pubis olim fuit, ſubſtantia cartilagineo-ligamentoſa periit, ſed a ſuperiore, ubi haec oſſa concurrunt ad formandam oram pelvis, & a poſteriore, qua pelvim reſpiciunt, lamella oſſea eſt, prominula, rotundula, quae oſſa haecce copulat. In ramo ſuperiore ac inferiore oſſis pubis dextri videtur adfuiſſe fractura; ad marginem enim ſuperiorem & anteriorem acetabuli craſſum tuber conſpicitur, in multas eminentias,

acu-

acutas, definens; similis multo major eminentia descendit, foramen ovale in duo foramina dividit, & ferme occurrit simili eminentiae, quae ex ramo inferiore adscendit ea ex parte, quae olim fracta videtur. In superiorem majorem parva quaedam eminentia ex anteriore ac media parte acetabuli procedit. Tubera ossium ischiorum admodum inaequalia, crassa sunt.

CCXVII. Pelvis ossea viri. Os sacrum & innominata per ancylosin concreverunt. Ab ilio in sacrum tendit lamella ossea, quae nexum hunc facit; omni alia parte ossa libera videntur. Inter ossa pubis hiatus est, quem olim opplevit substantia ligamentoso-cartilaginea. Os sacrum ex sex vertebris constat; foramina itaque a quoque latere quinque habet. Acetabula ampliſſima, versus partem posteriorem multum extensa, sic ut capita ossium femoris multo majora, quam esse debebant, fuisse videantur.

CCXVIII. Pelvis ossea viri adulti. Leviter concreverunt ossa innominata cum sacro, in latere dextro per lamellam osseam, non adeo crassam, tantum a parte superiore, in sinistro praeterea etiam a parte inferiore, ibi enim a latere foraminis secundi ab osse sacro in proximum os innominatum, lamella ossea procedit, cum dicto osse coxae firmiter concreta. Cristae ossium coxarum admodum inaequales sunt & asperae. Acetabula margines admodum extantes habent; in dextro latere ille non ita ab anteriore exsectus est, ac esse solet, ubi nempe vasa intrant; sed ex reliquo margine sursum lamella quaedam decurrit, sub qua hiatus pro vasis relictus est; lamella autem ipsa non longe ab eo loco, ubi margo superior definere solet, in apicem acutum terminatur. Scutum, quod a parte posteriore ossis sacri est, solito plus hiat. Coccygis primum osſiculum cum apice ossis sacri concrevit, & versus latus sinistrum oblique dirigitur. Inter ossa pubis hiatus solitus adest.

CCXIX. Pelvis ossea viri robustissimi. Coxarum ossa firmiter concreverunt cum sacro per lamellas crassas, rotundulas, quae ab illis ad hoc tendunt, & partem lateralem utramque sibi adnectunt. Distantia inter pubis ossa conspicitur.

CCXX. Pelvis ossea viri. Simili modo, ac in CCXIX., sacrum os & innominata cohaerent. Sacrum autem ex sex vertebris constat; suprema supernumeraria est, & quodammodo corpore, sed praecipue arcu, & processibus articularibus ac spinoso, libera existit; attamen per lamellam osseam, quae magis eapropter, quam in casibus praecedentibus, adscendit, cum coxis nectitur. Distant ossa pubis ab invicem.

CCXXI. Pelvis ossea. Cum sacro concreverunt ossa innominata, sed a parte posteriore: ab anteriore inter illa ossa insignis hiatus conspicitur, & a latere tantum sinistro duae eaeque tenuissimae partes osseae dantur, quae unum os alteri nectunt. Sacri apex multum introrsum curvatus est. Acuti ischiorum processus insignem latitudinem habent.

CCXXII. Pelvis ossea viri. Sacrum os admodum rectum, & ab anteriore applanatum, sex vertebris constat, quarum suprema omni parte cum subsequente cohaeret; scutum quatuor processus spinosos habet, quorum superior convenit cum simili infimae lumborum vertebrae; inferior crassissimus in tuber insigne terminatur.

Cum ſacro innominata concreverunt; in dextro latere ab anteriore, ubi ora pelvis, in pubem terminanda, deſinit, lamella dimidium pollicem longa nexum perficit, dum caeterum ſacrum a coxa ſua dextra multum diſtat; in ſiniſtro latere talis lamella omnem partem anteriorem ſacri, quae os innominatum attingit, occupat. Oſſa pubis diſtant a ſe invicem.

CCXXIII. Coxa dextra cum oſſe ſacro concreta. Nexum perficit lamella oſſea, quae ad partem inferiorem illarum ſuperficierum, quae articulationem formant, datur. Sacrum os a parte poſteriore tres proceſſus ſpinoſos habet, ſed infra infimum dantur duo tubercula ſatis magna. Primum coccygis oſſiculum cum apice ſacri concrevit.

CCXXIV. Coxa ſiniſtra cum ſacro concreta. Lamella oſſea ſuperiorem partem ligat. Os ſacrum ferrae ope juxta longitudinem diviſum, conſtat ſex vertebris, & coccygis oſſiculum primum praeterea cum ipſo concrevit. Superior vertebra ſupernumeraria eſt, & inter corpus ipſius atque ſubſequentis hiatus conſpicitur, licet anteriorem, lateralem ſiniſtram, & poſteriorem horum corporum margines lamella oſſea nectat; diſtat autem arcus a reliquo ſcuto, ſpinoſus proceſſus & articulares liberi ſunt.

CCXXV. Coxa dextra cum oſſe ſacro concreta. Pars ſola poſterior oſſis ilei cum ſacro confluxit. Sacri ſcutum quatuor proceſſus ſpinoſos habet.

CCXXVI. Coxa dextra cum oſſe ſacro nexa per lamellam, ab Ilio in os ſacrum tendentem. Coccyx cum parte inferiore ſacri concrevit.

CCXXVII. Coxa dextra cum oſſe ſacro cohaerens. Nulla hic adeſt lamella nectens; intrinſecus videntur oſſa confluxiſſe. Cum ſacro ſupremum os coccygis etiam concrevit. Ligamentum ſacro-iſchiadicum, quod ad tuber oſſis iſchii tendit in os mutatum eſt, & dicto tuberi eminentia oſſea, ſesquipollicem longa, adhaeret. Conf. Tab. LXII. Fig. 4.

CCXXVIII. Coxa ſiniſtra cum ſacro oſſe per lamellam, ſatis altam, ſuperiorem oſſis dicti partem tantum attingentem nexa. Infra foramen ſecundum os ſacrum adeo inflexum eſt, ut cum parte ſuperiore angulum ferme rectum conſtituat. Scutum ipſius non niſi duos proceſſus ſpinoſos habet, hiatus vero ipſius inferior eſt admodum longus; in ſiniſtro latere quatuor adſunt foramina, in dextro tria, & loco quarti exſectio inſignis datur.

CCXXIX. Coxa ſiniſtra cum oſſe ſacro firmiter concreta, absque ut etiam talis cernatur lamella, qualis in praecedenti apparet.

CCXXX. Coxa ſiniſtra cum oſſe ſacro per deſcriptam ſaepius lamellam cohaerens. Os ſacrum a medio tertio corpore inſolito modo verſus anteriora inclinat.

CCXXXI. Os innominatum ſiniſtrum cum oſſe ſacro ſic cohaerens, ut lamella quaedam oſſea ex margine ilei, qui ad ſuperiorem partem datur illius ſuperficiëi, quae cum oſſe ſacro copulatur, in ſuperiorem partem oſſis ſacri tendat.

CCXXXII. Coxa dextra cum oſſe ſacro firmiter cohaerens, ſic ut unius alteriusque oſſis ſubſtantia confluxerit, &, poſtquam ferrae ope partes a ſe invicem ſunt ſeparatae, hiatus parvus tantum a ſuperiore ſuperſit.

* * *

CCXXXIII. Integra ſpina, tota pelvis, & duo femora feminae ab utroque latere claudicantis, a me anno 1785. diſſectae. Sic praeparata ſpina eſt cum pelvi, ut, adſervatis ligamentis omnibus, partes diverſae cohaereant. Tab. LXIV. & LXV. Parum incurva ſpina eſt, lumborum enim vertebris a latere dextro parum compreſſis, in illud latus etiam inclinat ſpina, inde vero ſurſum rectius adſcendit. Sacrum os quatuor pollices cum dimidio latum eſt. Diameter latior ſeu transverſa orae ſuperioris pelvis quinque pollices & dimidium longa eſt; quatuor autem pollices diſtant oſſa pubis a ſacro. Inter tubera oſſium iſchiorum diſtantia eſt circiter ſex pollicum; inter partem inferiorem nexus oſſium pubis, & apicem coccygis, duorum pollicum. Tubera oſſium iſchiorum extrorſum converſa ſunt, & rami deſcendentes oſſium pubis parum infra eorumdem corpora ſunt inflexi. Foramina ovalia hinc aliam acquiſiverunt formam. Acetabulis ſolitis expulſa, & retrorſum promota, oſſium femorum capita erant; membrana capſularis, maxime elongata, degenerata, incraſſata, antiqua acetabula claudens, retrorſum tendebat, capita dictorum oſſium obtegebat, & adnectebatur illi excavatae oſſis ilei, in utroque latere, parti, qua caput femoris continebatur; margines autem illarum cavitatum per dictas membranas transparebant. Moveri capita oſſium intra easdem potuerunt, ſed non ſine ſtrepitu. Diſſectae, poſt factam delineationem Tab. LXIV., in utroque latere capſae articulares, craſſisſimae & durisſimae inveniebantur. Depurata antiqua acetabula naturalem amiſerant formam, ſed profunditatem majorem, quam in talibus caſibus habere ſolent, monſtrabant; ex utroque ligamentum teres prodibat, quod, maxime elongatum, & degeneratum, juxta ſinum quemdam, a parte poſteriore acetabuli antiqui inveniendum, decurrebat, quodque ad ſuum femur. In dextro latere in confinio ilei iſchiique formatus erat novus ſinus, diverſis eminentiis inaequalibus ab antiquo acetabulo diſtinctus, marginem caeterum non adeo extantem habens, niſi a parte poſteriore & inferiore, ubi non longe ab inciſura ſacro-iſchiadica diſtabat. Superficies hujus ſinus, cui caput oſſis praecipue fuerat appreſſum, non aequalis, ſed aſpera, foraminulenta, & quaſi carioſa erat; reliqua pars, ad quam margo rotundulus & inferior capitis dicti acceſſerat, aequabilior erat. Caput hinc dextri femoris multum a forma naturali receſſit. A parte ſuperiore & anteriore rotundulum, glabrum, ab anteriore oblique deſcendentem ſuperficiem habebat, quae, ut contigua ipſi pars acetabuli, carioſa quaſi erat, ſaltem orbata cartilaginea & glaberrima cruſta; quae alias adeſſe ſolet; aſpera, & foraminulenta. In ſiniſtro latere pariter in confinio iſchii & ilei, maxime tamen in ileo, nova aderat cavitas, ferme rotunda, cujus diameter duorum pollicum erat; hujus margines praecipue a poſteriore & ſuperiore admodum prominebant, & valde inaequales erant. Solent novi ſinus tales ſeſe ad capita, capita vero ad ſinus accommodare, caput ergo ſiniſtri femoris aliam longe figuram habebat, quam dextri. A ſuperiore & anteriore quidem rotundulum eſt, ſed ab interiore admodum planum, & ſimili arroſa quaſi ſuperficie donatum, ac in altero

altero capite notavi, quacum interna novi ſinus hujus lateris ſuperficies etiam conveniebat. Juxta ſuperiorem & anteriorem partem colli lamella quaedam oſſea, ei accreta, decurrere videbatur. Margo autem capitis, ultra collum multum ſeſe extendens, inaequabilis erat, quale quid in dextri femoris capite etiam locum habet.

CCXXXIV. Pelvis oſſea cum dimidiatis femoribus feminae Patavinae, viginti & duos annos natae. Depurata nitidiſſime, & ſoluta quidem oſſa pelvis ſunt, ſed filis orichalceis iterum juncta. Coxa ſiniſtra a ſtatu naturali non recedit; media tantum pars oſſis ilei ultra modum tenuis eſt. Coccygis oſſiculum primum cum ſacro concrevit. Coxa dextra, morboſa, reſpectu ſiniſtrae multum extenuata. Videtur ramus ſuperior & inferior oſſis pubis fuiſſe fractus. Femur ex cauſa interna acetabulo excidit. Acetabulum hinc maxime mutatum eſt; margines ipſius triangulum ſiſtunt, cujus apex verſus poſteriora & ſuperiora dirigitur, baſis ergo verſus foramen ovale; marginis ea pars, quae dictam baſim format, tota exſecta eſt. Acetabuli fundus ſatis aequabilis, ſed ſimul tenuiſſimus, ſic ut etiam transpareat. In parte exteriore oſſis ilei formata alia cavitas, pollicem & ſeptem octavas partes lata, & ferme ejusdem altitudinis, admodum profunda, ſic ut a parte interiore pelvis inſigniter promineat. Femoris dextri caput & collum admodum extenuata, depreſſa, ſic ut ultra trochanterem majorem caput ſe non extendat. Donum eſt Clariſſimi Caldanii. Figurae 1. 2. 3. 4. & 5. Tab. LXVI. deſcriptas mutationes oculis exhibent.

Referri huc etiam debet os innominatum illius trunci, qui N°. CCXIII. Muſei hujus pag. 188. ſeq. eſt deſcriptus, & Tab. LIX. & LX. delineatus; ipſa autem coxa Tab. LXVIII. Fig. 4. depingitur. Acetabulum maximam partem deletum cavum ſiſtit quodammodo triangulare, cujus baſis verſus foramen ovale dirigitur, apex ſurſum tendit, adeo ut margo, qui in ſtatu naturali inferior & poſterior eſt, maximam ſubierit mutationem. Apici varia adſtant tubercula, intermediique ſinus. In medio autem oſſe ileo excavatio eſt ſatis longa atque profunda, quae parte ſua media, tenuiſſima, ab interiore oſſis innominati, qua hoc nempe cavum abdominis reſpicit, multum prominet. In hoc caput oſſis femoris fuit motum.

Magnam etiam attentionem meretur os innominatum ſiniſtrum cum ſuo femore, quod Tab. LXVII. Fig. 4. 5. & 6. delineatum eſt. Acetabulum vetus majorem, quam tali in caſu caeterum ſolet, habet profunditatem; ligamentum, quod defectum marginis ab anteriore ſemper ſupplet, & ſub quo vaſa penetrant, adhuc adeſt; margo autem ipſe a parte poſteriore deficit, & defectus hicce ducit ad varias inaequalitates, ſinuoſitates, prominentias, pone hoc acetabulum inveniendas. A parte poſteriore & ſuperiore profundus ſatis ſinus eſt, major autem ab inferiore & poſteriore, & hic ſeſe extendit usque ad illum locum, ubi ab anteriore planities eſt, cum oſſe ſacro committenda. Singulari modo extenuatum, difforme, eſt oſſis femoris caput, collum vero ſolito longius. Trochanteres etiam ab ordinaria forma recedunt.

CCXXXV. Coxa ſiniſtra cum ſuo femore. Naturale acetabulum multum vitiatum eſt, ſurſum retrorſumque luxato oſſe femoris. Nova cavitas, pone acetabulum enata, duos circiter pollices longa, unum lata, non admodum profunda, margine

gine rotundulo, parum extante, cincta. Caput femoris compreſſum, trochantere majore inferius ſitu, longitudinem, ab anteriore retrorſum ſeſe extendentem, duorum pollicum habet. Margo reflexus multum ultra collum prominet.

CCXXXVI. Os innominatum dextrum. Deletum maximam partem acetabulum eſt. Caput oſſis femoris, praegreſſa luxatione, ſurſum atque retrorſum fuit propulſum, & novum ſinum formavit, cujus pars obducta eſt cruſta dura & ſplendente.

Ad deſcripta hactenus novorum acetabulorum exempla pertinet illud, cujus figuras poſſidemus, quas Tab. LXVIII. Fig. 1. 2. & 3. exhibent. Eſt os coxae ſiniſtrum, cum ſuo femore, quod luxatum & ſimul fractum fuit.

Deletum acetabulum naturale eſt, ejusque cavitatem, maximam partem diſformem, opplet a parte poſteriore ſubſtantia quaedam oſſea, ſed ſimul quodammodo cellularis. Excrevit pars poſterior & inferior in marginem inaequabilem, craſſum, qui ſimul partem anteriorem & inferiorem novi acetabuli conſtituit. Hoc autem, multum retrorſum ſeſe extendens, margines non admodum extantes habet, profunditatem itaque non ita notabilem. Superficies ipſius non ubique aeque aequabilis eſt; in medio parum profundior & aequabilior, a poſteriore planitiem, quodammodo triangularem, arroſam quaſi, habet, cui ſimilis planities reſpondet in capite oſſis femoris. Hoc enim, parte ſua media correſpondente ipſi ferme ſemper fuit appreſſum, formam ergo naturalem amiſit, & extra novum acetabulum maximam partem prominuit. Margo capitis ſeſe extendit verſus trochanterem, ſic ut ultra collum inſigniter promineat. Fractum praeterea femur fuit. Fractura, obliqua, a trochantere minore ſeſe ad diſtantiam quatuor transverſorum digitorum extendit. Surſum tracta fuit pars inferior, & cum ſuperiore per callum ſic concrevit, ut crasſities oſſis multum ſit adaucta, inaequalitates & eminentiae conſpiciantur variae, ſed ſimul pars inferior ſic inverſa eſt, ut medium genu alterum pedem reſpexerit, condylus itaque exterior anterior & interior poſterior ſitu fuerit.

CCXXXVII. Coxarum oſſa duo hominis adulti cum femore ſiniſtro. Coxa dextra ſana eſt, ſiniſtra morboſa. Acetabulum, licet profunditatem adhuc notabilem habeat, figuram tamen plane amiſit, &, ut in talibus caſibus ſolet, triangularem acquiſivit. Margines veteris hujus acetabuli admodum craſſi ſunt. Infra hoc craſſitiem totum os habet inſignem. A poſteriore & ſuperiore parte dicti acetabuli inaequalitates multae conſpiciuntur, & inter has ſinus, cui caput femoris videtur fuiſſe appreſſum. Hoc autem, ſurſum retrorſumque olim luxatum, exilius, depreſſum, inaequalitates dictas, mediosque ſinus, in oſſe innominato produxit. Pertinet ad Supellect. Albinianam part. 2. N°. CCCLVI. Icones autem & coxae & capitis oſſis femoris Tab. LXVII. Fig. 1. 2. & 3. cernuntur.

CCXXXVIII. Coxa ſiniſtra cum oſſe femoris ex muliere juniore. Poſt luxationem femoris ad ſuperiora naturale acetabulum coarctatum eſt; inaequalis ſuperficies, quae tamen ligamentoſa ſubſtantia fuit obducta, enata in loco, cui caput oſſis femoris continuo fuit appreſſum, quod inde etiam inſolitam acquiſivit figuram. Transmiſit Clar. Palletta.

CCXXXIX. Os innominatum ſiniſtrum. Solitam figuram amiſit acetabulum, & pro parte oſſea ſubſtantia eſt oppletum. Supra & pone ad marginem oſſis ilei anteriorem depreſſio quaedam eſt inaequalis, cui caput oſſis femoris fuit appreſſum.

CCXL. Os innominatum ſiniſtrum, quod, quoad acetabulum, ſimilem ferme mutationem ſubiit.

CCXLI. Os innominatum dextrum eadem ratione mutatum.

CCXLII. Coxa ſiniſtra & ſacrum os firmiter concreta per lamellam oſſeam, ex ileo in ſacrum, ut in multis aliis, tendentem, acetabulo admodum profundo inſtructa. Os ſacrum ex vertebris ſex conſtat, ſuperior ſupernumeraria videtur. Oſſis innominati acetabulum, admodum magnum, profunditatem duorum pollicum habet; ſuperficies interior, inaequalis, in nonnullis locis quaſi carioſa. Margines circum circa admodum protuberant. Verſus foramen ovale in illo margine quatuor foramina dantur, quorum unum inſignis magnitudinis. Caput oſſis femoris, quod etiam adeſt, inſignis longitudinis, ab anteriore glabrum a poſteriore quaſi carioſum, ſeſe optime ad deſcriptum acetabulum accommodat, ſic etiam, ut illi immiſſum, alto ipſius margine retineatur, & non, niſi ſingulari motu facto, iterum ſolvi poſſit. Lamella oſſea ſeſe a capite ſupra ſuperiorem partem colli ad trochanterem majorem extendit. Tab. LXIX. Fig. 3. 4. & 5.

CCXLIII. Coxae os dextrum cum femoris oſſe. Acetabulum, admodum profundum, margines valde prominentes habet, ab anteriore craſſos, ſed admodum poroſos. Hiatus notabilis eſt ibi loci, ubi vaſa intrarunt, & ea fundi acetabuli pars, cui adhaeſit ligamentum teres, valde profunda. Caput femoris ſeſe huic cavo accommodavit, ſitu ſuo infra trochanterem eſt; collum itaque non adſcendit, ſed recta via a corpore in caput procedit. Capitis margines, ab inferiore ad collum quaſi reflexi, inaequabiles, quaſi carioſi. Admittitur ab acetabulo caput, difficulter autem intra illud moveri poteſt, & non niſi unica in directione inde liberari.

CCXLIV. Coxae os ſiniſtrum cum femoris oſſe. Acetabulum, admodum amplum, retrorſum ſe multum extendit, margine inaequali, craſſo, praeprimis ab anteriore, ubi in ſano ſtatu acetabuli defectum ligamentum ſupplet; margo poſterior multo tenuior. Longitudo hujus acetabuli eſt duorum pollicum & dimidii, altitudo duos ſuperat. Caput femoris, admodum amplum, ſeſe accommodavit ad formam acetabuli, qua fundum ejus attingit, glaberrimum. Margo autem capitis, reflexus, primo multum a collo diſtat, ſic ut ſpatium inſigne remaneat, dein ad illud accedit, demumque confluit.

CCXLV. Coxa ſiniſtra cum oſſe femoris. Naturale acetabulum a parte anteriore, qua reſpicit foramen ovale, inter oſſa pubis iſchiique relictum, oppletum eſt ſubſtantia oſſea, inaequali, cui trochanter minor figura ſua ſeſe accommodat. Acetabulum novum verſus partem ſuperiorem & poſteriorem maxime productum. Intra hoc pro parte maxima recipitur caput oſſis femoris inſolitam plane formam habens. Reliqua pars, quae intra illud acetabulum non admittitur, magis glabra eſt, quam ea, quae illo recipitur. Cuncta vero haec intelliguntur melius ex deſcriptione, quam dedit Cl. Palletta, cui hoc praeparatum debeo.

Mu-

Mulier boni habitus, ultra quinquageſimum annum agens, laevum crus tribus transverſis digitis brevius habere viſa eſt. Trochanter ſupra os ilium compulſus multum extuberabat; natis ſulcus ad majorem altitudinem pervenerat; natis ipſa complanata erat, parumque abfuerat, quin femur in exteriorem partem procidiſſe crederes.

Cadaveris autem ſectio oſtendit, & caput & acetabulum in configuratione graviter vitiata fuiſſe. Et primum, quod articulum comprehendit, ligamentum craſſius multo eſt inventum, quam par eſſet, atque ſtriis rubris notatum, velut iis partibus, quae phlogoſi tentantur, accidit, cujus etiam indolis lympha nempe rubeſcens ex ipſa articuli cavitate profluxit. Acetabulum videbatur ampliſſimum, & inferne ad ſciſſuram naturalem perruptum. Cartilago, qua obducitur, laevitatis, & nitoris conſueti expers, imo obſcurior, & aſperior a duris granulis hac illac protuberantibus reddita erat, & fovea pro ligamento interno deperdita. Caput ipſum amplum, & depreſſum, cartilagine ſimiliter fuſca & inaequali obtectum erat. Ab ejus ora inferiore propendebat ligamentum teretis aemulum, quod extra partis lunatae acetabuli terminum definebat. Haec in oſſe recenti.

Poſt congruam macerationem ſummi femoris pars, quae caput & trochanteres comprehendit, tenerior juſto, multoque oleo animali ſcatere, viſa eſt. Capitis vertex depreſſus aream exhibebat poll. 2. & lin. 4.; atque idem cartilagine nudatus ſubſtantiam oſſeam albiſſimam prae ſe ferebat foraminulis quamplurimis non profundis pertuſam. Capitis periphaeria cartilagine etiamnum cingebatur, eaque inaequali, ob oſſeum concrementum ſubtus effuſum. Cervix capitis breviſſima, & transverſa, qua illud a trochanteribus quidem disjungebatur, non autem ultra majoris trochanteris finem exporrigebatur. Et grandior trochanter apicem obtuſiorem habebat, minor vero verticem planum, & quum in duplo majorem excreviſſet molem, undique ſcaber obſervabatur. Acetabulum in figuram ovalem expanſum, minus profundum, a ſummo ad imum poll. 2. lin. 7. aequabat; a priori ad poſteriorem partem poll. 2. Ejus ora cartilagine deſtituta inaequalis, & aſpera, & eroſa, cernebatur. Fundus etiam ſine cartilagine, & loco granulorum, quae in recenti oſſe vidimus, poris refertus erat. A parte ima deficiebat acetabulum, atque hiatum naturalem implebat ſtratum oſſeum informe; hinc ligamentum interius non a ſinu acetabuli, qui nullus erat, ſed a foveola in transverſo pubis ramo exſculpta, procedebat, ut in cervicem femoris ſub capitis margine inſereretur. Reliquum oſſis ſanum erat, ſi levitatem illi majorem excipias.

CCXLVI. Pelvis viri robuſti cum femore ſiniſtro, cujus acetabulum maximopere mutatum. Tab. LXX. Oſſa innominata cum ſacro concreverunt lamellis oſſeis, ab uno oſſe in aliud extenſis; videtur enim intrinſecus nexus liber eſſe. Acetabulum ſiniſtrum inſignis magnitudinis, duos & dimidium pollices altum, ferme tres latum, admodum profundum eſt; procreverunt ipſius margines inſigniter, ſunt admodum inaequales, aculeis acutis, majoribus, minoribus, ubique obſeſſi. Eminentiae hujus generis latae, longae, acutae, pone hunc marginem verſus hiatum iſchiadicum & deorſum ſeſe extendunt. Interna acetabuli ſuperficies admodum inaequalis. Tubera oſſium

ossium ischiorum pariter admodum inaequalia, & aculeis variis obsessa, quales etiam ex osse pubis versus foramen ovale sese extendunt. Caput ossis femoris admodum magnum, globosum, marginem acutiusculum, versus collum praecipue etiam versus trochanterem majorem, sese extendentem, habet. A posteriore parte superaccrevit quasi huic capiti lamella, quae non multum a sinu, cui ligamentum teres adhaesit, & pro parte aliquantum ab ipso capite, distat, sic ut inter hoc, illamque fissura quaedam relinquatur.

Quae Tab. LXXI. Fig. 1. 2. 3. 4. & 5. depinguntur, Coxa sinistra & caput ossis femoris insignem pariter subierunt mutationem. Coxa cum osse sacro concrevit per lamellam osseam, ab ileo in superiorem lateralem ossis sacri partem descendentem. Acetabulum tantopere sursum retrorsumque sese extendit, ut tres pollices longum sit ab inferiore, qua respicit tuber ossis ischii, versus superiora, dum latitudo ipsius duos pollices cum dimidio aequat. Margo posterior ferme ad altitudinem pollicis ultra reliquum os prominet. Fundi acetabuli superficies, ad quam continuo motum fuit os femoris, partim inaequalis & quasi cariosa, partim aequabilissima, imo glaberrima; & talem etiam differentiam in capite ossis femoris detegere licet. Hoc solito crassius, collo etiam crassiori, inaequali, eminentiis acutis aspero, insistens, a superiore latitudinem notabilem habet, versus inferiora autem & interiora sensim imminuitur, sic ut demum desinat in tuber quoddam. Pars capitis, quae acetabulo contineri non potuit, de reliqua parte quasi separata est, parum ab ipsa distat, & multis in locis in varias inaequalitates, sese ad collum usque extendentes, exsurgit.

CCXLVII. Coxa dextra. Acetabulum naturalem suam figuram amisit, versus partem posteriorem, praecipue superiorem, insigniter compressum.

CCXLVIII. Os innominatum dextrum. Acetabulum insignis amplitudinis est, licet margines non admodum promineant. A parte anteriore, ubi semper sinus datur, quem vasa intrant, lamella ossea, ex medio acetabulo surgens, illum sinum a reliquo acetabulo distinguit, sic ut novum acetabulum, saltem pars ejus, procreverit supra praecedens.

CCXLIX. Coxa sinistra. Supra acetabulum, quod olim adfuit, aliud procrevit insolitae formae, duos & dimidium pollices longum, sursum se praecipue extendens.

CCL. Coxa sinistra. Acetabulum, & inter anteriorem ac posteriorem & inter inferiorem ac superiorem partem, duos pollices cum dimidio longum, intus crusta dura, sed innumeris in locis foraminulenta, tectum, supra prius acetabulum procrevit. Margines admodum inaequales sunt, & versus partem posteriorem aculeis multis hirti.

CCLI. Coxa sinistra & os femoris. Acetabulum, difforme, adeo extantes, & multis locis inaequales margines habet, ut caput ossis femoris, licet mobilissimum, in suo sinu retineatur, nec liberari ex eo possit. Ipsius capitis ea pars, quae cartilaginea crusta obducitur, ultra collum insigniter descendit, & sic ampliorem superficiem habet. Trochanter major ultra caput sese extendit, caput ergo inferiorem, quam in statu sano solet, locum occupat. Tab. LXXII.

Aliud

Aliud ejusdem mali exemplum Tab. LXIX. Figurâ 1. & 2. delineatur. Os coxae ſiniſtri lateris eſt, quod pariter tali modo nectitur cum ſuo femore, ut hujus caput ex acetabulo illius ſolvi omnino nequeat. Acetabulum admodum profundum eſt; margines ipſius omnes valde alti ſunt, & anterior a foramine ovali ad duos transverſos digitos adſcendit, ſic ut caput femoris undique quaſi prehendatur. Hujus autem, quae cartilagine tecta fuit, pars ultra collum ferme ad trochanterem majorem ſeſe extendit; verſus inferiora autem lamella de ipſa deſcendit, ſic etiam ut digiti apex ipſi ſubjici poſſit, & inter illam atque collum retineri.

CCLII. Coxa ſiniſtra cum oſſe femoris, cujus caput intra profundiſſimum acetabulum ſic retinetur, ut, licet certo ſenſu mobile, ac nullibi cum acetabulo concretum ſit, tamen ex eo liberari ac tolli nequeat. Tab. LXXIII. & LXXIV. Acetabulum enim ab anteriore retrorſum ſeſe extendit tantopere, ut totum ferme ſpatium inter tuber oſſis iſchii, & os ilium, ubi cum oſſe ſacro conjungitur, quod ſpatium inciſuram ſacro-iſchiadicam vocare ſolent, occupet, & verſus inferiora multum procurrat. Margines acetabuli ſunt admodum alti, ſic quidem ut caput complectantur, & ultra caput partem etiam colli. Craſſi praeſertim margines ſunt a parte ſuperiore & poſteriore, inaequales, & integri, ſed a parte poſteriore & inferiore, ubi acetabulum ſeſe & ad tuber oſſis iſchii extendit, & ad os ilium, ſunt quaſi reticulati, ſic ut multa, majora, minora, relinquantur ſpatia, vera foramina, per quae introſpicere licet, & degeneratum caput oſſis femoris obſervare. Tota capſa articularis videtur hac in parte in os abiiſſe. Ab anteriore acetabuli foramen cernitur magnum, amplum, introrſum tendens, ſed in caecum cavum terminatum, inter hoc foramen enim (qui locus eſt, ubi vaſa ad interiora articuli penetrant) & acetabulum oſſea ſubſtantia comparet, quae acetabulum a dicto cavo penitus diſtinguit. Intra acetabulum haeret caput femoris, mobile, ſed non niſi certo ac determinato modo, etenim ex ipſo acetabulo deſcendit lamella oſſea, quae ſinum in capite femoris intrat, impeditque, quominus alia ratione moveatur caput, quam haecce lamella permittit. Caput ipſum partim quidem globoſum videtur, ſed partim ſinuatum, ubi quippe dicta lamella de interiore acetabuli ſuperficie deſcendit. Collum praecipue inaequabile eſt, ab anteriore praeſertim parte in multas inaequales excrevit eminentias.

CCLIII. Coxa ſiniſtra cum femoris oſſe per ancyloſin concreta. Tali modo haec duo oſſa confluxerunt, ut unum ſolidum continuumque os efficiant; femur autem reſpectu oſſis innominati ſic ponitur, ut, ſi in ſitu naturali hoc retineatur, ſurſum multum adſcendat femur. Ad parvam a trochantere minore diſtantiam exoſtoſis prodit ex interiore parte femoris, ſiſtens ſpeciem lamellae, in varias eminentias deſinentis. In oſſe iſchio prope foramen ovale, ubi acetabuli ſinus eſt, quem intrarunt vaſa, foramen adeſt, quod, oblique retrorſum decurrens, a parte interiore oſſis ſemicanalem refert. Hanc ancyloſin Tab. LXXV. Fig. 1. & 2. ab exteriore & interiore delineavi, Tab. vero LXXVI. Fig. 3. ſerrae ope diſſectione facta, interiora propoſui, ut plenariam hanc eſſe partium concretionem conſtet, patet-

teatque, intrinſecus etiam nullum praeſentis olim ſeparationis veſtigium ſupereſſe.

CCLIV. Coxa ſiniſtra per ancyloſin cum femoris oſſe nexa. Caput oſſis femoris, ex acetabulo retrorſum ſurſumque propulſum, concrevit cum ea parte oſſis innominati, cui erat appreſſum, formatque tumorem oſſeum inſignis magnitudinis. Recta antrorſum procedit femoris os.

CCLV. Similem ferme, ac in CCLIV., directionem habet aliud os femoris, cum ſua coxa pariter concretum. Simul verſus exteriora converſum eſt, nec mirum, caput enim, relicto acetabulo, retrorſum propulſum, & non ita ſurſum, ac in praecedenti, primo novam cavitatem in oſſe ilei videtur formaſſe, dein cum eadem concreviſſe. Et ab anteriore & ab inferiore antiqui acetabuli reliquiae quaedam conſpiciuntur. Tab. LXXVI. Fig. 1. hoc os ab exteriore delineatum eſt; Fig. autem 2. interiora ob oculos ponit.

CCLVI. Coxa ſiniſtra cum oſſe femoris ita concreta, ut, ſi in eo ſitu, quem pelvis in erecto homine habet, contineatur os innominatum, os femoris horizonti parallelum ſit, ſed ſimul ſic converſum, ut condyli (qui a naturali forma etiam recedunt, &, caput tibiae pariter laboraſſe, docent) verſus exteriora dirigantur. Firmiter cum totius acetabuli margine omni concrevit caput; ab anteriore, qua hoc reſpicit foramen ovale, tantummodo relicta apertura eſt, quam absque dubio vaſa intrarunt, haec autem non profunde penetrat. Serrae ope diviſus articulus medius oſtendit, & acetabulum & caput femoris in unam maſſam penitus confluxiſſe. Conf. Tab. LXXV. Fig. 3. & 4. Tab. LXXVI. Fig. 4.

Ex omnibus adeo diverſis acetabulorum, capitumque oſſium femoris, degenerationibus, hactenus deſcriptis, conſtat, vel novum acetabulum in loco, magis minusve a naturali diſtante, profundius aut minus profundum, produci, vel ſupra naturale aliud procreſcere, vel naturale ipſum ſenſim ſenſimque in ſua forma & capacitate mutari, amplitudinem notabilem acquirere, caput oſſis femoris comprehendere, ſic ut vel difficulter, vel plane non, liberari ex acetabulo poſſit, vel demum plenarie cum eo concreſcat. Qualia mala locum habere nequeunt, quin greſſus difficilis, dolorificus, claudicans produci debeat.

CCLVII. Os innominatum dextrum cum ſuo femore, carie inſigniter adfectum. Donum eſt Clar. Pallettae, qui claudicationis cauſam, a paucis animadverſam, ut inquit, oſſium nempe eroſionem, quae & ipſum femur, & ejus collum & os innominatum affecerat, & artum contractum reddiderat, hoc ſpecimine probavit, ſequentemque dedit caſus hiſtoriam.

Villicus, fere quinquagenarius, parvae ſtaturae, tertio quo Noſocomium ingreſſus erat die, ex peripneumonia deceſſit. Quum cadaver ſectioni ſubjiceretur 2. Julii 1784. femur dextrum craſſius eſſe, atque crus praeter naturam brevius, obſervavi. Igitur hocce membrum accuratius perluſtrans animadverti, crus adfectum ad minimum ſex transverſis digitis alterum brevitate excedere; pedem ejus lateris ad interiora inclinatum, & femoris dimidium, quod ſupereſt, volumine adauctum. Ubi crure elevato femur dimovebatur, in hanc vel illam partem crepitus non abſimilis illi, quem

edunt

edunt ossa fracta, subaudiebatur. Partium mollium inaequalis erat tumefactio, aequali tamen cutis servato colore.

Detractis integumentis, dum musculos separare ab invicem conatus essem, eos velut accretos inter se, atque induratos offendi. Erant autem accreti gelatina quadam flavescente, sicca, in cellularis telae areas effusa, atque inter ipsas carneas fibras penetrante. Idem musculi, quo propius ad articulationem accedebant, eo magis humore rubello, fere sanguinolento, infarcti cernebantur, non secus ac in gravibus sugillationibus evenit, ubi sanguine extra vasa effuso toti perfunduntur. Quum ad junctaram ventum esset, ossa multimodis corrupta apparuerunt. Femur quasi effractum, & collum excsum, capite etiamnum intra cavitatem haerente, & reliquum ossis viroso colore erat infectum. Corruptio inde ad os ilium serpebat, atque ad ejus concavam interiorem faciem, ubi ossea lamina in sphaericum tumorem elevata intra pelvim prominebat; sed tumor iste, lamina nempe fragili cedentique obtectus, nil soliditatis habebat.

Ossibus macerationi datis brevi carnes abscesserant, retinentes colorem ex rubro pallidum, & granula quaedam in superficie pallidiuscula prae se ferentes, qualia conspici solent in ultimis vasorum finibus, dum felici injectione fuerunt repleta. Plura notatu digna obtulerunt ossa exsiccata. Caput a reliquo femore separatum, collum penitus absumptum, & fere major trochanter, atque inter hunc & caput non nisi tenuissima lamina intercedebat, reticulari substantia ex toto deleta. Posterius ad trochanteris radicem ossea succrescebat alba substantia multifariam pertusa, quae erosam apophysim suffulcire quodammodo videbatur. Quae superest cellularis substantia rete habet tenuissimum, & quae caput ossis replet, ab oleo animali, quo turget, flava est. Cartilago ejusdem capitis ad cervicis ambitum destructa, & pariter in peramplo spatio, cujus centro ligamentum internum adfigitur. Reliquum ossis nempe diaphysis multo oleo, ut alias in exesis ossibus observavimus, scatebat. Caput acetabulo, cui insederat, labem communicavit ab ea parte, qua dictum teres ligamentum exsurgit, indeque cavitatis inferiorem partem vastavit cum ossis ischii ramo posteriori, atque portione ejus arcus, qui ischiadicam incisuram constituit. Praeter haec erosiones binae in exteriori ossis ilium facie inter ipsius marginem & acetabulum visuntur, quarum altera minor, altera latior est, atque ad interiorem faciem proserpendo totum os contaminaverunt, de quo informe solum fragileque reticulum supereſt. Totum os innominatum albissimum, atque levissimum est, ut levius esse vix possit, si ex spongiosa massa constaret. Tanti mali origo non aliunde videtur esse repetenda, quam a graviori lapsu, aut ictu eidem parti inflicto, cui aut nulla, aut non satis idonea, medela fuerit adhibita, & propterea taedet, quod in aliis quoque desideraveram, me nullam ejus viri habere notitiam potuisse, ut perspicuum esset, quantum violentiae, & quantum insecutae corruptioni, sit tribuendum.

Sequuntur Ossa artuum, & ex his primo ea, quae inferiorem componunt.

CCLVIII.

* * *

CCLVIII. Os femoris ſiniſtrum inſignis longitudinis. Ab apice trochanteris minoris in condylum internum longitudo eſt viginti pollicum, a trochantere majore in condylum externum circiter viginti trium; a capite ad condylos ferme viginti quatuor. Circumferentia capitis novem pollicum cum dimidio. Latitudo ad radicem colli propemodum trium pollicum; latitudo condylorum pollicum quatuor. Colli longitudo a linea, quae a trochantere majore in minorem tendit, ad illam partem capitis, quae cartilaginea cruſta obducta eſſe ſolet, duorum pollicum & ſex octavarum partium eſt.

CCLIX. Femur ſiniſtrum, cujus caput maximopere mutatum. Hoc enim adeo amplum, ut altitudo ipſius ſit trium pollicum, diſtantia ab uno latere ad oppoſitum circiter quinque, ſi nempe filum, ab uno latere in oppoſitum juxta, globoſum caput retinetur, & dein menſuratur. Eſt praeterea hoc caput inaequale, habet marginem acutiusculum, ultra collum inſigniter prominentem, ſic ut ab anteriore inter collum & dictum marginem magna cavitas detur, & ab exteriore cum trochantere majore confluxerit. Deletus ſinus ligamenti teretis. Media pars ſuperficiëi, quae ſuo in cavo movebatur, glaberrima, ſplendente cruſta, valde tamen poroſa, obducta eſt.

CCLX. Siniſtrum femur, in capite multum mutatum. Superficies ejus, articulationi olim inſerviens, latitudinem & amplitudinem acquiſivit inſignem. Leve veſtigium ſinus pro ligamento rotundo conſpicitur. Ultra collum caput multum verſus exteriora ſeſe extendit. Similis cruſta ſplendens partem dictae ſuperficiëi integit.

CCLXI. Femur ſiniſtrum. Caput difforme, latum, a ſuperiore depreſſum, deſcendendo volumine auctum, ultra collum ſeſe extendit. Sinus ligamenti rotundi periit. Collo adhaerent variae eminentiae acutae. Pars maxima hujus oſſis praeterea ſpina ventoſa laborat.

CCLXII. Os femoris ſiniſtrum. Caput inſigniter ampliatum, totum praeternaturalis & inſolitae formae, longitudinem quatuor pollicum habet, latitudinem trium cum dimidio. Margo ipſius admodum reflexus ultra collum multum prominet, praecipue ab inferiore & anteriore, ubi etiam in hoc margine profundus ſinus cernitur. A parte laterali interna & inferiore in apicem terminatur.

CCLXIII. Os femoris dextrum. Caput adeo magnum eſt, tantamque, olim cum acetabulo commiſſam, ſuperficiem habet, ut ipſius diameter longior quatuor pollicum cum dimidio ſit, brevior trium. Reflexus margo ab anteriore ferme ultra totum collum ſeſe extendit. A parte poſteriore collo adhaeret eminentia oblonga; oſſea, ſulco a trochantere majore & a reflexo margine capitis diſtincta. Superficies autem capitis cruſta glaberrima fuit obducta, quae adhuc pro parte cernitur, ſed admodum poroſa foraminulenta eſt.

CCLXIV. Os femoris ſiniſtrum. Caput alia rurſus ratione mutatum eſt. Non adeo latum longumve, ac praecedens, verſus interiora in apicem deſinit; marginem-

que

que reflexum habet, praecipue verſus partem anteriorem juxta collum decurrentem, & a parte poſteriore ſeſe ad locum medium inter duos trochanteres extendentem.

CCLXV. Femur dextrum. Caput magnum, partim glabrum, partim exeſum, & ultra collum extantibus marginibus donatum. Collum ſolito craſſius. Sinus pro ligamento rotundo ſupereſt.

CCLXVI. CCLXVII. Partes duae ſuperiores oſſium femoris dextri lateris, quorum capita a forma ſolita recedunt.

CCLXVIII. CCLXIX. CCLXX. Partes ſuperiores trium oſſium femoris ſiniſtri lateris, quorum capita pariter magis minusve a ſolita figura aberrant.

Si ad deſcripta hactenus oſſa femoris adtendimus, ac comparationem inſtituimus inter haec & illa, quae ſuperioribus articulis una cum ſuis coxarum oſſibus fuere deſcripta, concludere debemus, & in his caſibus acetabula inſolitam habuiſſe formam. Haec certe ab omnibus deſcriptis & depictis maxime diverſa eſſe debuit in eo homine, cujus non niſi femoris oſſis ſiniſtri partem ſuperiorem conſpexi, & figuram capitis adeo ſingularem inveni, ut Tab. LXVI. Fig. 6. & 7. etiam delineationem dederim. An autem ab ipſa nativitate ſubinde caput oſſis femoris a ſolita ſua forma recedit, & praeternaturalem, quo ad reliquum os, ſitum habet? Hoc ſubinde locum habere, patere videtur ex praeparato, quod ſequenti articulo deſcribitur.'

CCLXXI. Coxa dextra cum femore juvenis viginti annorum, a nativitate claudi. Femur habet collum nullum, & a latere oſſis caput ſic prodit, ut trochanter major ad dimidium pollicem ſupra caput promineat; trochanter minor vero caput adtingat. Acetabulum paulo majus ſolito & planius. Caput femoris delineatur Tab. LXXVII. Fig. 1. & 2. absque innominato, cujus, quo ad acetabulum, mutationes tantae non ſunt, quin ex ſola deſcriptione intelligantur. Praeparatum autem acceptum refero Clar. Pallettae, qui de eo ſequentia notavit.

Adoleſcens boni habitus vigeſimo aetatis anno moritur ex capitis vulnere 8. Maji 1783. Quum menſae anatomicae alium in finem imponeretur, crus dextri lateris contractum obſervatur. Calcaneus tribus transverſis digitis ſupra ſiniſtrum erat, genu duobus. Trochanter eminentior & tuberoſior; natis etiam rotundior & globoſior; ſulcus autem ejus vix mutatus erat excepto apice, qui paulo incurvus verſus trochanterem tendebat. Caeterum nec triceps coxae muſculus diſtentus, nec pes in latus converſus obſervabatur; nec item alii muſculi coxam ambientes quidquam a naturali diverſum habebant, praeter mutatam directionem, & praeter hydatides quasdam molles, glutinoſo humore ſcatentes, quae muſculi obturatoris interni membranae adhaerebant.

Capſa deinde articulari inciſa profluxit parum ſynoviae mucilaginoſae, non vitiatae. Acetabulum ſanum erat, profundum, cartilagine ſua obductum, figura duntaxat mutatum. Caput femoris in vertice valde depreſſum, atque inferius productum velut in obtuſum roſtrum definebat. Tota ejus ſuperficies cartilagine, colore, & craſſitie naturali, tegebatur, excepto exiguo tractu circa ligamenti teretis foveam, ubi ſic attenuata cernebatur, ut diaphana redderetur. Ligamentum teres infra capitis

pitis centrum trochanteri minori propius inſerebatur. Robuſtum tamen illud erat, craſſum, & lata triangulari baſi ex acetabuli ſulco prodibat. Femoris collum erat perbreve, ſi eo nomine diſtinguenda eſt oſſea portio a capitis roſtro in transverſum ducta, atque in trochanteris baſim inſerta. Haec porro una cum capite compreſſa a lateribus, & circum eminentiis parvis obſita erat, circulari articuli ligamento incluſis.

Dimenſiones ex oſſibus recentibus deſumptae ſunt ſequentes.

Diameter verticalis acetabuli poll. Pariſ. 1. lin. 10. Dimenſio per concavitatem ejus ducta poll. 2. lin. 7. Diameter acetabuli transverſa poll. 2. Dimenſio ſecundum ejus concavitatem transverſim ducta poll. 2. lin. 11. Diameter, quam occupat origo expanſa vinculi teretis poll. 1. lin. 3. Latitudo ſciſſurae, quae eſt inferius ad acetabuli finem poll. 1. lin. 6. Craſſities marginum acetabuli ab ejus orificio ad ramum pubis transverſum lin. 5. Ad ilii oſſis faciem interiorem lin. 3. Ad inciſuram iſchiadicam poll. 1. lin. 3. Capitis femoris longitudo ſecundum ejus convexam ſuperficiem ſumpta poll. 3. lin. 5. Latitudo ejusdem poll. 2. lin. 9. Extenſio capitis ab inſertione ligamenti teretis ad trochanteris baſim poll. 1. lin. 11. Ab ejusdem ligamenti fovea ad limbum capitis inferiorem poll. 1. lin. 4. Dimenſio transverſa ab eodem ligamento ad labrum anterius capitis, quod pubem ſpectat, poll. 1. lin. 6. A vinculo praedicto ad labrum poſterius capitis lin. 6.

Hinc manifeſtum eſt, vinculum internum non inſertum fuiſſe in ipſius capitis centro, quemadmodum id neque in ſanis femoribus accidit, ſed paulo inferius, quam ſolet; & praeterea capitis maximam convexitatem & ſuperficiem anterius fuiſſe poſitam; alteram autem capitis ſuperficiem retrorſum a ligamento diremptam minus extenſam, minusque convexam fuiſſe. Superficies item, quae a ligamento ad majorem trochanterem pertingit, latior eſt, quam altera, quae minorem ſpectat trochanterem. Quum cervice fere deſtitueretur caput, margine ſuperiori baſim ferme trochanteris attingebat, a quo ſolum lineis quinque diſtabat. Ipſe vero trochanter undecim lineas altitudine caput femoris excedebat, quae undecim lineae excedentes ſi cum iis ſupputentur, quae in cervice deficiebant, proclive erit colligere, crus affecti lateris duobus ferme transverſis digitis brevius eſſe debuiſſe. Sed infra longius diſtabat caput a femore, videbaturque fulcro quodam ſuſtineri, quod a femore in fornicis ſpeciem protendebatur. Poſterius autem ejusdem capitis margo parvo intervallo a minore trochantere dividebatur.

CCLXXII. Femur dextrum, cujus caput, difforme, duos & dimidium pollices longum, inſigniter deſcendit, ſic ut trochanter major altior ſit capite; capitis vero apex attingat ferme trochanterem minorem. Acetabulum admodum profundum eſſe debuit, quo olim continebatur. Ab anteriore de capite deſcendit lamella oſſea, ſimilisque ad trochanterem ſe extendit, ut de collo nil quicquam diſtingui queat.

CCLXXIII. Femur dextrum, capite difformi. Hoc enim altitudine trochanterem majorem non ſuperat; videtur pro parte tantum acetabulo fuiſſe reconditum; margo hinc, circumcirca admodum inaequalis, ultra ſuperficiem capitis prominet. Quae acetabulo fuit contenta pars glaberrima cruſta hic illic tecta eſt, quae tamen in multis locis foraminulenta exiſtit.

CCLXXIV.

CCLXXIV. Os femoris dextrum. Caput, fracto collo, in acetabulo relictum, libere adhuc moveri potuit. Fractura obliqua a trochantere minore ad majorem ſeſe extendit. Totum os ſurſum retractum erat, & ſub muſculis reconditum. Fracturae ſuperficies obliqua & inaequalis.

CCLXXV. Os femoris ſiniſtrum. Fracto oblique collo totum caput ab oſſe ſeparatum eſt. Fracturae inaequalis ſuperficies obducitur ligamentoſa ſubſtantia. Adeſt alia fractura in parte inferiore, obliqua, quae a parte anteriore & interiore ſurſum retrorſum extrorſumque tendit. Partes callo unitae ſunt, ſic tamen, ut, & a parte anteriore ad diſtantiam transverſi pollicis a ſuperficie cartilaginea, quae inter condylos datur, ad quam patella movetur, fruſtum ſuperius, & a parte poſteriore fruſtum inferius multum promineant.

CCLXXVI. Femur dextrum. Fracto collo totum caput ſeceſſit. Fracturae ſuperficies admodum ampla, inaequalis, acutis eminentiis, intermediisque finibus, notata. Medium corpus oſſis in tres fractum partes eſt, quae iterum coaluerunt, & effuſo callo concreverunt, ſic tamen, ut, partem quamdam a reliquis duabus undique fuiſſe ſeparatam, perſpicere detur; craſſiſſimum, inaequale, medio loco os redditum ſit; & quatuor prominentiae acutae cernantur, quarum anterior multum ultra ſuperficiem partis inferioris prominet. Totum os hinc brevius eſt. Quomodo partes, fractura ſeparatae, concreverunt, facta totius oſſis, ferrae ope, diviſio docet. Aſt, licet diſtingui partes tres a ſe invicem poſſint, tamen ſepimenta hic non adeo perfecta ſunt, quam in aliis, minus compoſitis, fracturis; & interior cellularis ſubſtantia illius portionis, quae tota quanta ſeparata fuiſſe videtur, communicat cum ſimili ſubſtantia partis inferioris, licet intrinſecus ſpecies dimidii ſepti etiam appareat. Tab. LXXXI. Fig. 1. & 2. hoc os ab anteriore & poſteriore delineatur; in Figurâ vero 3. cernere licet, qua ratione intrinſecus ſeſe habeat.

CCLXXVII. Fractura colli femoris ſiniſtri. In trochanterem majorem ceciderat homo robuſtiſſimus; diu ſeſe lecto, ut ſanaretur fractura, continuit, ſemper autem claudus manſit. Fracturam non fuiſſe ſanatam, conſtitit, cum poſtea alio morbo eſſet defunctus. Pars colli, quae capiti, quod in acetabulo manſit, adhaeret, in mucronem excrevit, reliqua vero, femoris oſſi adhaerens, maxime excavata eſt, & intra capacitatem ſic enatam dicta, mucronata, capiti adhaerens, pars intravit, intra eam fuit mota, ſic ut fractura colli femoris locum habuiſſe videatur, absque ut partes a ſe invicem receſſerint. Transmiſit rariſſimum hoc praeparatum Clar. Rougemont, qui Bonnae Anatomen atque Chirurgiam docet; icones autem dedi notabilis hujus caſus Tab. LXXVIII. Fig. 4. 5. 6. 7.

CCLXXVIII. Os innominatum, & femur ſiniſtri lateris, utrumque, poſt fracturam colli femoris, inſolito plane modo, degeneratum. Tab. LXXIX. Fig. 1. 2. 3. & 4. Innominatum os cum ſacro ancyloſi concretum eſt. Caput oſſis femoris acetabulo inhaeret, atque accrevit firmiter, & cum eo tumorem ſingularis admodum formae componit. Tumor ille, quatuor circiter pollices longus, tres altus, in genere admodum inaequalis eſt; a ſuperiore parte multum prominet, in medio vero

 inſig-

insigniter excavatus est. Pone hunc tumorem, ad marginem foraminis ovalis, inter pubis & ischii ossa inveniendi, incipit sinus, versus interiora tendens, & ad longitudinem duorum circiter pollicum sese retrorsum extendens; ubi olim vasa acetabulum intrarunt. Ad dictum tumorem, ex capite ossis femoris & acetabulo enatum, sese accommodat pars superior femoris, a trochantere majore ad tres pollices cum dimidio insolito modo ampliata, & sinuata, & tum dicta longitudine, tum latitudine trium pollicum, sic sese accommodans degenerato capiti, ut ubi in hoc sinus inveniatur, in illa eminentia, ubi in hoc eminentia, in illa sinus detur, & ossa aliquo modo moveri ad se invicem potuerint. A parte superiore & exteriore ossis femoris per violentiam externam etiam squama secessit ossea, tres circiter pollices longa, & cum osse iterum concreta, sic tamen, ut & a superiore, & ab inferiore parum ab osse distet. Loco parum inferiore similis squama secessit, sed haec dein plenarie cum osse concrevit.

In enarratis fracturarum colli femoris exemplis, caput in acetabulo mansit, cum reliquo osse femoris non concrevit, sed ei subinde vario modo sese accommodavit; in sequentibus fractura sanata est, ast non semper eodem modo.

CCLXXIX. Femur dextrum, fractum, ubi collum ex corpore enascitur. Effuso callo fractae partes concreverunt invicem, sed collum naturalem situm amisit, &, quod a corpore introrsum procedere debebat, caput perfecte retrorsum tendit, ac praeterea dimissiore quam trochanter major loco conspicitur. Tanta autem calli copia effusa est, ut in sede fracturae, ab uno alteroque latere, inaequalitates majores, minores, variae formae dentur, & inter illas sinus & foramina multa; quae ex Tab. LXXVII. Fig. 3. & 4. melius, quam ex descriptione, cognosci possunt.

CCLXXX. Simile os femoris dextri lateris. Per fracturam admodum obliquam caput & collum a reliquo osse sunt separata. Caput multo dimissius trochantere majore; effusa callosa substantia multa, a parte superiore colli ad distantiam quatuor pollicum descendens, & mox infra collum tantopere sese extendens, ut os ibi loci tres pollices crassum sit.

CCLXXXI. Femur sinistrum. Collum fractum fuit. Caput retrorsum tendit. Callus, inaequaliter & magna copia effusus, tumores osseos produxit insignes.

CCLXXXII. Femur dextrum. Collum oblique fractum fuit. Caput retrorsum promotum. A trochantere majore ad minorem, & etiam a parte anteriore callus effusus, inaequalitates magnas, diversae formae, aculeis acutis gaudentes, produxit. Tab. LXXVII. Fig. 5. & 6.

CCLXXXIII. Femur sinistrum. Fractura colli adfuit, sed simul pars de proximo corpore ossis secessit. Caput hinc depressiorem obtinuit locum, & simul retrorsum dimotum est. Effusa inaequali modo callosa materies sursum antrorsumque tendit, & descendendo etiam os hoc in parte sua superiore admodum crassum, inaequale, tuberculosum, reddit. Sectione juxta longitudinem serrae ope facta, constat, caput, collum, cum trochantere minore & parte majoris, a reliquo osse secessisse, &, dum reliqua ossis pars sursum & antrorsum promota est, cum parte inferiore con-

concreviſſe, ſed ſimul retrorſum fuiſſe dimota. Tab. LXXVIII. Fig. 1. 2. & 3.

CCLXXXIV. Femur ſiniſtrum, cujus pars ſuperior in tria fragmenta fuit diffracta, quae verſus interiorem ſuperficiem deſcendunt, & ſingulari vix verbis deſcribenda ratione concreverunt invicem. In fragmenti ſuperioris parte anteriore & inferiore magnum, amplum, foramen eſt, quod tendit in canalem oſſis, medullâ in recenti oppletum.

CCLXXXV. Femur ſiniſtrum. Fractura adeſt partis ſuperioris, quae, a parte exteriore praecipue conſpicienda, ad diſtantiam quatuor pollicum a ſummitate capitis incipit. Superior fracturae portio juxta inferiorem deſcendit, & ibi loci inaequabile tumidum os reddit.

CCLXXXVI. Femur ſiniſtrum. Pars ſuperior & externa, ad diſtantiam ſeptem circiter pollicum a trochantere majore, ſeceſſit a reliquo oſſe per fracturam obliquam, ſed effuſo callo, qui latius & planius ibi os reddidit, iterum concrevit.

CCLXXXVII. Femur dextrum. Fractura obliqua non longe a trochantere minore adeſt. Pars ſuperior verſus latus femoris externum ſeceſſit, inferior ſurſum introrſumque promota eſt, adeo ut a parte interiore & poſteriore ſinus, ab anteriore & exteriore prominentia, detur.

CCLXXXVIII. Femur ſiniſtrum. Pars ſuperior, a collo deorſum, diffracta in multas partes eſt, quae concreverunt omnes invicem, & latitudinem craſſitiemque hac in parte reliquerunt maximam, ut & inaequalitatem ſummam. Poſtquam ſerrae ope, ipſo in fracturae loco, pars altera ab altera erat diviſa, videbantur diſtincta fragmenta adfuiſſe ad minimum quatuor. Collum totum fuiſſe ſeparatum a corpore oſſis, videtur conſtare ex margine firmo, cellularem hujus oſſis partem ab omni alia diſtinguente. Similia ſepimenta diſtinctionem inter reliquas partes faciunt. Tab. LXXX. Fig. 1. 2. & 3.

CCLXXXIX. Femoris dextri pars ſuperior. Oblique hoc os in parte ſuperiore fractum fuit; ſuperior pars ultra inferiorem multum deſcendit, ſic ut os ab anteriore ex duobus cylindris, medio ſinu diſtinctis, componi videatur; a poſteriore autem inaequalitates maximae cernantur.

CCXC. Femur ſiniſtrum. In medio corpore obliqua fractura adeſt, ſic ſanata, ut partes juxta ſe invicem ſint promotae, & os praeternaturalem acquiſiverit craſſitiem.

CCXCI. Femur ſiniſtrum. In medio corpore obliqua fractura adeſt. Serrae ope juxta longitudinem os diviſum eſt, ſic ut duo oſſis canales & ſeptum intermedium cernantur, ac ſimul pateat, quantopere partes diffractae a ſede naturali dimotae ſint.

CCXCII. Femur dextrum. Fractura in parte ſuperiore adeſt, adeo male repoſita, aut plane ſibi relicta, ut pars ſuperior angulum obtuſum cum inferiore faciat, & in loco fracturae craſſities oſſis multum ſit adaucta; callus autem tali pacto effuſus eſt, ut a parte interiore inaequalitates variae conſpiciantur, & prominentes partes diverſae adſint. Foramina nonnulla etiam dantur inter partem ſuperiorem & inferiorem, quorum maximum per productam novam ſubſtantiam oſſeam pene-

penetrat. Quantopere autem pars ſuperior ab inferiore diſtet, & quomodo natura diffractas partes intus rurſus ſanaverit, ſectione facta conſtat.

CCXCIII. Femur dextrum, medio in corpore in tres partes diffractum, quae peſſime repoſitae totum os, ut multo brevius, ſic admodum difforme reddiderunt. Diſtincte tres illae partes dignoſcuntur, ſi oculum ad interiora dirigimus; omnes enim mediis ſepimentis ab invicem ſeparantur. Tab. LXXXII. Fig. 1. 2. & 3.

CCXCIV. Femoris ſiniſtri pars ſuperior. Obliqua fractura adfuit, non ita male ſanata.

CCXCV. Femur ſiniſtrum. Fractura obliqua duplex adfuiſſe videtur medio in corpore; vel ſaltem pars quaedam penitus olim fuiſſe ſeparata, & a ſuperiore & ab inferiore portione. Fragmenta, juxta ſe invicem promota, effuſo callo concreverunt. Superius quidem ſic in ſuo ſitu mutatum eſt, ut caput oſſis multo magis retrorſum tendat, quam in ſano ſtatu ſolet. Os latitudinem duorum pollicum & dimidii acquiſivit, & haec ſeſe ab anteriore retrorſum extendit; craſſities autem multum eſt imminuta. A poſteriore effuſus callus multas eminentias acutas produxit. Interiora & hujus oſſis, facta ſectione, examinari potuerunt; & ſic conſtitit, fragmenta tria adfuiſſe, eaque ſic eſſe concreta, ut fragmentum tertium, a reliquis ſolutum, parti anteriori & laterali externae duorum reliquorum, verſus poſteriora dimotorum, ſupercreverit. Tab. LXXXIII. Fig. 1. 2. & 3.

CCXCVI. Pars ſuperior femoris dextri. Ad diſtantiam transverſi pollicis infra trochanterem minorem obliqua fractura adfuit, ſic ſanata, ut pars ſuperior, antrorſum promota, cum inferiore, quae retrorſum tendit, concreta ſit, adeo ut ab anteriore inſigniter promineat os, a poſteriore ſinus detur inſignis.

CCXCVII. Femur dextrum, medio in corpore obliqua fractura olim diviſum. Per callum, magna copia effuſum, fragmenta concreverunt, ſic tamen, ut pars ſuperior multum infra inferiorem promineat, & tumor ab anteriore femoris enatus ſit, qui circumferentiam habet octo pollicum. Tab. LXXXIV. Fig. 4. & 5.

CCXCVIII. Femur ſiniſtrum, in media diaphyſi oblique fractum. Fragmentum inferius, juxta ſuperius a latere exteriore attractum, cum eo ſic concrevit, ut curvatura magna remanſerit. Fragmentum ſuperius, in apicem acutum deſinens, hoc ſuo apice, ad dimidium & ultra pollicem, diſtat a fragmento inferiore. Canalis oſſis medius hic loci apertura ovata hiat, cujus margines aequabiles videntur oſtendere, ulcus adfuiſſe. Canalis ipſe, ab interiore admodum inaequalis, in trochanterem majorem ſeſe extendit. Tab. LXXXV. Fig. 1. & 2.

CCXCIX. Femur ſiniſtrum, medio loco in tres partes diviſum, quae omnes concreverunt tali modo invicem, ut tumor & ab anteriore & a poſteriore oſſis ſit enatus, totumque os curvaturam inſolitam ſubierit.

CCC. Femur dextrum, ſimili modo poſt fracturam obliquam ſanatum. Tumor, ex concretis oſſibus & effuſo callo in medio corpore enatus, tantae amplitudinis eſt, ut circumferentia novem pollices ſuperet. Tumor ipſe non eſt aequalis, ſed, praeſertim a poſteriore, admodum irregularis, ibique profundus adeſt ſinus,

ſinus, juxta quem procul dubio vaſa deſcenderunt. Intrinſecus pulchro admodum modo concretio ſeſe habet. Pars ſuperior, quae juxta inferiorem deſcendit, effuſo callo, offificato, terminatur margine rotundulo; ſic & inferior pars; diſtantia autem media eſt duorum transverſorum digitorum. Nova ſubnata ſubſtantia reticularis eſt, & non multum differt ab ea, quae offium cava replere ſolet; majora tamen dantur intermedia loca vacua, in quibus nunquam celluloſa adfuiſſe videtur. Tab. LXXXIV. Fig. 1. 2. & 3.

CCCI. Femur dextrum, in parte inferiore oblique fractum. Fractura ſe extendit a dextro latere verſus ſiniſtrum, ſic ut principium ipſius ſit ad diſtantiam quatuor pollicum ſupra condylum dextrum, finis ad diſtantiam unius pollicis ſupra condylum ſiniſtrum. Quatuor & ultra pollices longa, male autem ſanata eſt. Fragmentum inferius juxta partem exteriorem fragmenti ſuperioris ſic attractum, ut condyli verſus exteriora dirigantur, & ſingulari modo flexus eſſe debuerit articulus genu, quod ex figura addita magis, quam ex deſcriptione, cognoſcitur. In ea parte, ubi fragmenta concreverunt invicem, unum alterumque foramen eſt, quod ad interiora usque penetrat. Serrae ope pars diffracta diviſa eſt, & interiores mutationes egregie ob oculos ponit. Tab. LXXXV. Fig. 5. 6. & 7.

CCCII. Femur ſiniſtrum, oblique fractum & conſolidatum. Fragmentum inferius juxta partem interiorem fragmenti ſuperioris adeo multum protractum, ut condyli verſus interiora dirigantur. Eſt etiam a parte poſteriore, ubi concreverunt fragmenta, unum alterumque foramen, quod ad interiora tendit, ſed non penetrat per totam ſubſtantiam.

CCCIII. Femur ſiniſtrum. Per fracturam pars inferior non longe a condylis ſic receſſit a ſuperiore, ut pro parte pone ſuperiorem recondatur, unde a parte poſteriore tumor inſignis eſt; ab anteriore mox ſupra condylos primo ſinus, dein etiam tuber, conſpiciatur. Poſt factam, ſerrae ope, diviſionem, conſtitit, ſeptum medium inter partem ſuperiorem & inferiorem adeſſe, obliquum; tumorem, a parte poſteriore conſpiciendum, intrinſecus cavum eſſe, inter hunc vero & celluларem oſſis ſubſtantiam, dictum ſeptum, quod olim fuit cortex exterior oſſis, ſeſe extendere, ei denique ſubſtantiam antea calloſam, nunc oſſeam, adhaerere. Tab. LXXXV. Fig. 8. 9. & 10.

CCCIV. Femur ſiniſtrum. In parte inferiore fractura obliqua adfuit, quae a condylo interno adſcendit ad altitudinem circiter trium pollicum. Fragmenta concreverunt tali modo, ut pars ſuperior ultra inferiorem multum promineat, & inter fragmenta atque effuſum callum multa majora minoraque foramina relicta ſint.

CCCV. Femur ſiniſtrum, cujus pars inferior, parum ſupra condylos, ad altitudinem quatuor pollicum in multas partes diffracta fuit, quae, callo effuſo, concreverunt invicem, ſic ut os & craſſius & latius ſit, atque inaequalitates, eminentiae diverſae formae, foramina, tum ab exteriore, tum ab interiore, ſint producta.

CCCVI. Pars media femoris, per obliquam facturam olim diviſa. Foramen magnum, inter partes, olim ſeparatas, relictum eſt.

CCCVII. Femur ſiniſtrum, oblique in parte inferiore fractum. Concreverunt fragmenta, ſed tali pacto, ut ſuperior pars ultra inferiorem, ſurſum tractam, multum deſcenderit, & ſupra ſuperficiem inferioris partis ſquamae inſtar acutae promineat, inter quam & dictam partem diſtantia dimidii pollicis eſt. Tab. LXXXV. Fig. 3. & 4.

CCCVIII. Femur ſiniſtrum, medio in corpore fractum. Fractura admodum obliqua. Pars inferior, ad inſignem altitudinem a parte interiore & quodammodo poſteriore ſuperioris, attracta eſt, adeo ut altera pars, ipſi accumbens, & cum inferiore concreta, craſſitiem notabilem & tuber inſigne formet.

CCCIX. Os femoris ſiniſtrum, poſt fracturam circa partem inferiorem ad diſtantiam transverſae manus ab articulo genu mire deformatum. Pars longitudinis ejus circiter tertia inferior, fracta olim, & male repoſita, ita ad poſteriorem fere horizontaliter fertur, ut cum ſuperiore oſſis femoris parte angulum propemodum rectum faciat; anterius vero cum ea tuber magnum, convexum. Tota haec pars inferior praeter naturam craſſa eſt, extrinſecus inaequalis, intrinſecus tota cuniculoſa, & praeter minora quaedam foramina, in latere externo, ad anguli locum, foramen habet admodum magnum & profundum, in quo ſemicanalis oſſeus, craſſus, mobilis haeret. Denique ex anteriore hujus partis regione, inter duos condylos, excrevit collum quaſi oſſeum, forte, craſſum, foraminulentum, quod in patellam definit. Condyli naturalem formam quoque amiſerunt. Praeparatum hoc pertinet ad Supellectilem Rauianam, inter oſſa male affecta, &c. N°. 6. Conf. Muſei hujus pag. 7. Depictum a quoque latere cernere illud licet. Tab. LXXXVI. Fig. 1. & 2.

Interiora hujus oſſis, diviſione ope ſerrae facta, attentionem etiam merentur. Ibid. Fig. 3. Patet enim hoc pacto, quomodo partes ſanatae fuerint, & patella cum corpore oſſis concreverit. Subſtantia oſſis maxime compacta eſt, & intra ipſam cavum quoddam irregulare enatum, in quo pars, de interiore parte canalis oſſei ſeparata, libere haeſit, cujus apex per ſubortum foramen extrinſecus etiam ſeſe manifeſtavit. Ibid. Fig. 1. 2. f. f. Fig. 4. Ab illo cavo deorſum tendunt canales, qui ſe inter condylum & patellam aperiunt.

CCCX. Femur ſiniſtrum, ex cujus medio corpore exſurgit ſquama, ſesquipollicem lata, quae de ſuperficie exteriore hujus oſſis per violentiam externam videtur ſecesſiſſe, poſtea non niſi pro parte cum diaphyſi oſſis concreta. Tab. LXXXVII. Fig. 1. 2. & 3.

CCCXI. Femur ſiniſtrum, in cujus medio corpore, ut in praecedenti caſu, fractura ita dicta ſquamoſa adfuit. A latere ipſius exteriore ſeceſſit lamella, quatuor pollices longa, quae a poſteriore maximam partem cum oſſe concrevit, ſed ab anteriore non niſi pro parte; a ſuperiore quippe cum oſſe cohaerens, ab inferiore ad longitudinem duorum pollicum cum dimidio ab eo diſtat, ſic ut diſtantia intermedia ſit trium linearum. Tab. LXXXVII. Fig. 4. & 5.

CCCXII. Fragmenta duo, ſeparata de parte inferiore femoris ſiniſtri. Ex tertia contignatione domus in terram cecidit Operarius, & praeter contuſiones, artuumque

ſupe-

ſuperiorum fracturas ſimplices, fracturam oſſis femoris ſiniſtri paſſus eſt, ad parvam a condylis diſtantiam. Eo ipſo momento haec duo fragmenta, de oſſe ſeparata, una cum parte medullae, viam ſibi per integumenta fecerunt. Repoſitione partium facta, & deligatione vulneris idonea adhibita, absque ullo ſuperveniente ſymptomate ſanatus eſt. Membrum in juſta extenſione ſemper adſervatum eſt, attamen femur paulo brevius permanſit, ſic ut parum claudicet. Tab. LXXXVII. Fig. 6. 7. 8. & 9.

CCCXIII. Os femoris ſiniſtrum, ex cujus regione interiore, nonnihil ſub trochantere minore, enata eſt Exoſtoſis dura, compacta, ovalis, convexa, longitudinis trium pollicum, & unius quartae pollicis partis; latitudinis in medio circiter pollicis unius cum dimidio; craſſitiëi pollicis circiter. Haec autem ſerrae ope ab oſſe nitide reſecta eſt, ut appareat origo & natura ejus. Pertinet ad Supellectilem Rauianam, & eſt N. 8. inter oſſa male adfecta, &c. Conf. Muſei hujus pag. 7. Tab. LXXXVIII. Fig. 1. 2. 3. & 4. vario adſpectu tum integrum os, tum Exoſtoſis ablata, depinguntur.

CCCXIV. Pars inferior femoris ſiniſtri, ex cujus parte poſteriore & laterali externa Exoſtoſis prodit, duos pollices longa, ſic tamen ut tota ſua longitudine oſſi adhaereat, & non niſi ad ſex octavas pollicis partes ab eo diſtet. Tabulae LXXXVIII. Fig. 5. & 6. haec delineatur.

CCCXV. Pars inferior oſſis femoris dextri, ex cujus interiore parte ſimilis prodit Exoſtoſis, ſed praecedenti paulo minor.

CCCXVI. Os femoris ſiniſtrum. Pars ſuperior per Hyperoſtoſin a ſtatu ſano multum deviat. Haec, quinque cum dimidio pollices longa, ad altitudinem pollicis ſupra caput ſeſe extendit; ambitus ſeu circumferentia eſt novem pollicum & dimidii. Superficies ſatis aequabilis. Intus tota ſubſtantia cavernoſa eſt, ut a parte poſteriore, ubi Hyperoſtoſis pro parte fracta eſt, cernitur. Tab. LXXX. Fig. 4. & 5.

CCCXVII. Os femoris dextrum. Pars media lateralis externa & poſterior hujus oſſis, multo craſſior, compactior, in hyperoſtoſin quaſi extenſa eſt, quae ex multis lamellis, ſquamarum adinſtar, ſibi appoſitis, conſtat.

CCCXVIII. Femur ſiniſtrum, cujus pars inferior, admodum craſſa & mire exeſa, ſinus ſeu excavationes ſatis profundas monſtrat; ſed ſimul adſunt vegetationes quaſi, ſeu eminentiae, multae, longae, verbis vix deſcribendae, ſquamoſae etiam, ſinus latentes bene multos integentes.

CCCXIX. Femur dextrum, cujus pars dimidia inferior ſpina ventoſa laborat. Haec praeter naturam mirabiliter craſſior facta, tota extrinſecus laminas oſſeas, fibras, ſpinas, tubera, magna, parva, inaequalia, aſpera, poſterius praeſertim produxit. Poſterius paulo ſupra condylos, in medio, eſt foramen ovale, magnum, digiti minoris apicem facile admittens, ad interiora tendens, & profunde excavatum. Eſt Supellectilis Rauianae N. 5. ex oſſibus male adfectis. Muſei hujus pag. 6. Tab. LXXXIX. Fig. 1. 2. & 3. exteriora & interiora hujus oſſis ob oculos ponunt. Poſtquam ſerrae ope partem lateralem alteram ſuſtuli, ſic ut facta diviſio tranſierit per

per dictum foramen, constitit, substantiam osseam mutationem subiisse singularem, esse multo magis compactam, durissimam, ferme eburneam, praecipue in medio osse, inde extenuari. Capacitatem medii canalis, in superiore & media ossis parte angustam, sensim latiorem reddi, sed medullosa substantia fuisse oppletam.

CCCXX. Femur dextrum, simili vitio laborans. Fibrae autem, spinae, tubera non adeo magna sunt. Foramen rotundum, ast paulo minus, a posteriore etiam cernitur, & ad hujus partem inferiorem & lateralem externam squama ossi adhaeret, dimidium pollicem longa, lataque, quae, ab osse undique libera, media interna parte cum eo videtur cohaerere.

CCCXXI. Duo ossa femoris sinistri lateris, pariter in tumorem crassum expansa, praesertim versus inferiora. Foramen, quale in duobus praecedentibus adest, nullum conspicitur. Superficies externa autem admodum inaequalis est, fibras, spinas, tubera, majora, minora exhibet.

CCCXXII. Portio ossis cariosa, quae per ulcus, in femore enatum, de ossea substantia separata est, antequam sanatio obtineri potuit.

CCCXXIII. Duo ossa femoris per abscessum periostei vitiata & fracta. Erosa superficies externa a medio corpore versus inferiora; ibique loci excrescentiae osseae bene multae & magnae exsurgunt. Inferior utriusque pars tota consumta, sic ut demum penitus fuerit diffracta. Haec a Clar. Palletta etiam transmissa sunt.

CCCXXIV. — CCCXXXVII. Femoris ossa unius alteriusque lateris, quae hac illave in parte, vel & tota, spina ventosa affecta sunt, superficies inaequales, asperas, fibris spinisque obsessas, habent, & crassitiem notabilem acquisiverunt.

CCCXXXVIII. Femur sinistrum, maxime incurvum, quo ad condylos suos sic mutatum, ut condylus internus insigniter longitudine externum superet, & articulus genu male conformatus fuisse videatur.

CCCXXXIX. Femur dextrum. Caput non plane naturale est. Corpus ad distantiam quatuor pollicum a trochantere minore incipit mutari; latescit adeo insigniter, ut non longe a condylis inter internam externamque partem distantia sit duorum pollicum cum dimidio. Condyli ipsi etiam a statu sano recedunt.

CCCXL. Femur dextrum. Condyli multum degenerant. Internus ad distantiam circiter duorum pollicum ultra externum sese extendit, sed aëris injuria sic mutati sunt, ut veram degenerationem exacte describere non liceat.

CCCXLI. Femur sinistrum junioris rachitici, transversim divisum, ut externam ossis lamellam tenuissimam esse constet.

CCCXLII. Femoris os adulti, maxime incurvum, serrae ope juxta longitudinem divisum, qua sectione patet, interiora prout in sano statu se habere.

CCCXLIII. — CCCLXXVII. Femoris ossa unius alteriusque lateris, diversimode, magis minusve, ex praegressa rachitide incurva.

CCCLXXVIII. Femur sinistrum, flexo parum genu, cum tibia concretum. Condyli femoris cum finibus, qui in tibia sunt, confluxerunt. Relictum foramen medium. Ancylosis hujus icones exhibitae sunt Tab. XC. Fig. 3. & 4.

CCCLXXIX.

CCCLXXIX. Femur ſiniſtrum, ad angulum rectum cum tibia concretum. Tibia verſus exteriora e ſede ſua naturali dimota fuit, ſimulque retrorſum converſa, ſic ut criſta ipſius tota verſus partem externam ſit directa.

CCCLXXX. Femur dextrum, ſimili modo cum tibia per ancyloſin connatum.

CCCLXXXI. Femur ſiniſtrum, ad angulum circiter rectum cum tibia concretum. Et condyli femoris & caput tibiae magnam mutationem ſubierunt; condylus internus ultra externum multum prominet; tibiaque ſic poſita eſt, ut ſuperficies ipſius, quae condylum externum admittit, retrorſum decurrat, unde tibiae pars anterior verſus externum dirigitur, & ea pars, quae fibulam reſpicit, perfecte a parte poſteriore invenitur. Condylus externus figuram ſuam plane amiſit, & tibia, pone eum retrorſum ſe ſuo capite extendens, margine, qui mox ſupra nexum fibulae eſt, rotundulo, intra ſinuatam femoris partem recipitur. Ex parte media tibiae, quae inter duas ſuperficies, condylos ſano in ſtatu admittentes, datur, oſſea ſubſtantia adſcendit, quae cum proximo femore pone condylum internum confluit. Tab. XC. Fig. 1. & 2.

CCCLXXXII. Siniſtrum femur, ad angulum obtuſum cum tibia concretum. Condyli duo totaque tibiae pars ſuperior degenerarunt, &, ut in ſpina ventoſa, inſigniter tument. Obliquam ſedem figuramque caput tibiae habet. Patella cum femore non longe a condylo externo concrevit. Tab. XCI. Fig. 1. & 2.

CCCLXXXIII. Dextrum femur cum tibia concretum. Condylus internus penitus cum tibiae ſuperficie confluxit; externus una cum parte illa tibiae, ad quam olim movebatur, ſic mutatus eſt, ut in utraque hac parte dentur eminentiae & ſinus, qui invicem ſeſe recipiunt. Patella per eminentiam oſſeam cum femoris oſſe concrevit.

CCCLXXXIV. Femur dextrum ope duorum condylorum cum tibiae capite concretum, relicto intermedio eoque maximo foramine. Patella femori accreta eſt. Talus praeterea cum inferiore parte tibiae penitus confluxit. Genu ſic mutatum cernere licet Tab. XCI. Fig. 3. & 4.

CCCLXXXV. Siniſtrum femur cum tibia & patella concretum. Tibia ſic verſus anteriora converſa eſt, ut fibula non a latere ſed a parte poſteriore ſit, & ſinus tibiae externus, recipiendo condylo oſſis femoris deſtinatus, multum ultra hunc condylum retrorſum extendatur. Condylus interior a tibia maximam partem liber eſt. Patella cum condylo externo praeſertim concrevit, parvo loco cum tibia. Donum eſt Clar. Pallettae.

CCCLXXXVI. Tibia ſiniſtra. Fractura parum obliqua non longe a capite ſuperiore adfuit. Fragmentum inferius ad latus interius ſuperioris parum adſcendit. Callus a parte poſteriore non admodum aequalis.

CCCLXXXVII. Dextra tibia, in parte ſuperiore fracta. Fractura obliqua. Serrae ope juxta longitudinem ad medium corpus os diviſum eſt, ſic ut conſtet, canalem partis ſuperioris a canali portionis inferioris medio ſepimento fuiſſe diviſum.

CCCLXXXVIII. Pars ſuperior tibiae dextrae. Obliqua fractura a parte exteriore introrſum deſcendit. Fragmenta juxta ſe invicem ſic promota ſunt, & callo unita, ut craſſities oſſis multum ſit adaucta.

CCCLXXXIX. Pars ſuperior tibiae dextrae. Fractura in medio corpore obliqua adeſt. Segmentum ſuperius cum latere interiore inferioris ſic concrevit, ut ibi inſigniter promineat, in obtuſum mucronem deſinat, ſegmentum vero inferius verſus latus externum parte ſua inferiore promotum ſit, & figuram, verſus exteriora multum excavatam, acquiſiverit.

CCCXC. Pars tibiae, cujus pars inferior oblique in tres fracta fuiſſe videtur partes, quae concreverunt.

CCCXCI. Tibia ſiniſtra, medio in corpore oblique fracta. Fragmentum inferius a latere exteriore ſuperioris multum adſcendit. Callus regularis, aequalis, craſſitiem oſſis inſigniter adauxit.

CCCXCII. Tibia dextra, in parte inferiore corporis oblique fracta. Fragmentum inferius juxta partem exteriorem ſuperioris adſcendit, adeo ut longitudo oſſis multum imminuta ſit. Utrumque fragmentum in apicem acutum, a reliquo oſſe ſatis diſtantem, deſinit.

CCCXCIII. Tibia dextra, ſimili fractura, eodem in loco, laborans. Inferius fragmentum pariter juxta exteriorem partem ſuperioris adſcendit, & in apicem acutum, multum a ſuperiore fragmento remotum, deſinit. Superius fragmentum cum inferiore, effuſo callo aequali, concrevit, nec apex ipſius prominet.

CCCXCIV. Tibia ſiniſtra. Fractura non adeo obliqua in parte inferiore conſpicitur.

CCCXCV. Tibia dextra. Similis adeſt fractura in parte inferiore, ſed multo magis obliqua.

CCCXCVI. Tibia dextra. Fracturae obliquae fragmentum inferius multum adſcendit juxta latus externum ſuperioris, ſicque cum eo concrevit. Foramen conſpicitur, quod in canalem partis inferioris penetrat.

CCCXCVII. Dextra tibia, cujus pars inferior fracturam obliquam, quatuor pollices longam, ſubiit. Adeſt in parte anteriore inter duo fragmenta, callo unita, ſemicanalis, qui ducit ad partis inferioris interiora.

CCCXCVIII. Tibia dextra. In parte inferiore fractura obliqua eſt, duos pollices cum dimidio longa. Fragmentum inferius juxta partem interiorem ſuperioris adſcendit. Utrumque in apicem acutum, pungentem, ultra oſſis ſubſtantiam prominentem, deſinit.

CCCXCIX. Siniſtra tibia. Similis, ac in praecedenti, adeſt fractura. Inferius fragmentum juxta latus externum ſuperioris adſcendit. Serrae ope juxta longitudinem totum os diviſum eſt, ut interiora pateant.

CCCC. Pars media tibiae ſiniſtrae. Fractura admodum obliqua adfuit. Altera pars cum parte exteriore alterius concrevit, ſic tamen, ut hiatus notabilis ſuperſit, media eminentia in duas partes diſtinctus. Superior duas habet aperturas, quae communicant cum cavo interno oſſis. Inferior ſimilem, ſed praeterea foramen, quod per totam oſſium ſubſtantiam penetrat.

CCCCI. Tibia ſiniſtra fibulaque ejusdem lateris. Tibia in parte inferiore oblique fracta eſt. Fracturae pars inferior juxta exterius latus ſuperioris adſcendit, ſicque

ficque ibi prominet, ut fibulam attingat. Fibula plane libera eſt, haec autem non longe a capite ſuperiore fracturam ſubiit obliquam, callo inaequabili ſanatam.

CCCCII. Tibia & fibula ſiniſtrae mediis corporibus invicem concretae. Et in tibia & in fibula paulo infra mediam partem fractura obliqua adfuit. Calloſa ſubſtantia effuſa, ad diſtantiam trium pollicum inter duo oſſa invenienda, eadem invicem connectit.

CCCCIII. Tibia & fibula dextri lateris non longe a partibus inferioribus concretae, poſt tibiae fracturam obliquam ſatis bene ſanatam.

CCCCIV. Tibia cum fibula ſiniſtri lateris, poſt fracturam in parte ſuperiore oſſis obliquam, ſimili modo concreta.

CCCCV. Dextri lateris tibia & fibula hominis proceri, per ligamenta exſiccata adhuc cohaerentes. Tibia obliqua fractura, quae fiſſuram repraeſentat, in duas partes feceſſit, iterum unitas. Fractura a capite incipit, illud adfeciſſe etiam videtur; deſcendit oblique ferme ad medium corpus; tota ergo pars lateralis interna ad dictum locum feceſſit. Per effuſum callum concretae illae partes ſunt, tali autem modo, ut ab anteriore & a poſteriore, praecipue ab anteriore, ſulci notabiles relicti ſint, & foramina, per totum os tranſeuntia, conſpiciantur. Mutarunt autem partes hae ſitum ſuum tali modo, ut caput tibiae verſus inferiora & anteriora converſum ſit, & praeterea introrſum deorſumque inclinet, ſic ut nexus cum fibula non in loco ſolito detur. Magnam degenerationem ſubierunt ſinus, qui cum condylis oſſis femoris per articulum nexi fuerunt, & irregulares, inaequales, asperi redditi ſunt. Caries praeterea conſumſit mediam oſſeam ſubſtantiam, tum ab anteriore, tum, & praecipue, a poſteriore. Tab. XCII. Fig. 1. 2. & 3.

CCCCVI. Tibia & fibula ſiniſtri lateris. Tibia in medio corpore oblique facta eſt; fibula in eadem altitudine, ſed praeterea in loco inferiore. Concreverunt fragmenta, ſed ſic, ut difformia oſſa ſint.

CCCCVII. Dextri lateris eadem oſſa, poſt fracturam in parte inferiore, eodem modo nexa.

CCCCVIII. Tibia & fibula ſiniſtri lateris. Ambo oſſa facta ſunt. Tibia in parte inferiore, inferius fragmentum ſurſum tractum eſt verſus fibulam, ſic autem ſuperiori accrevit, ut ſeſe calloſa materies ſimul extenderit ad fibulam, & oſſa duo copulaverit. Fibula in parte ſuperiore non longe a nexu cum tibia facta eſt oblique, ſed ſic, ut per fracturam pars oſſis poſterior ab anteriore feceſſerit. Diſtat hinc illa plaga, ſeu ſuperficies, quae nexum cum tibia perficit, aliquantum ab hoc oſſe; & fibula, cum pars inferior tibiae ſurſum tracta ſit, ultra tibiam prominet. Facta ſectio docet, quomodo intrinſecus diſtincti canales formati ſint, & media ſubſtantia inter tibiam & fibulam producta. Tab. XCIII. Fig. 1. 2. & 3.

CCCCIX. Tibia & fibula dextrae, ſingulari ratione fractae, & iterum conſolidatae. Fibula, ligamentorum exſiccatorum ope cum tibia cohaerens, a parte ſuperiore cum ipſa concrevit; ſic facta eſt, ut in tria feceſſerit fragmenta; inferius ſurſum & introrſum tractum eſt; ſuperius, inferius non niſi pro parva parte attingens, juxta ipſum

ipſum deſcendens, apice ſuo ab illo multum diſtat; tertium fragmentum, a poſteriore conſpiciendum, obliquum ſitum acquiſivit, & tum cum inferiore tum cum ſuperiore fragmento nectitur, ſic tamen, ut apice ſuo ſuperiore ab oſſe multum iterum recedat, & diſtantia inter illas partes relinquatur magna. Tibia, loco altiori, etiam in tres partes diffracta eſt. Pars inferior multum verſus interiora receſſit a ſuperiori, & ad inſignem altitudinem attracta obliquo ductu cum parte ſuperiore cohaeret, ſic ut ſuperior haecce pars oblique verſus inferiorem fibulae partem dirigatur. Tertia portio tibiae, a poſteriore tantum conſpicienda, & cum parte inferiore & cum ſuperiore per callum concrevit, pro parte autem ultra inferiorem prominet, ibique craſſitiem oſſis, cui quaſi impoſita eſt, inſigniter auget. Tab. XCIV. Fig. 1. & 2.

CCCCX. Tibia & fibula dextri lateris. In tibia & in fibula, ad diſtantiam transverſae manus a malleolis, obliqua fractura adfuit. Effuſus callus utrumque os nectit, ſed ipſe longitudinem vix pollicarem habet.

CCCCXI. Tibia & fibula ſiniſtrae, tum ſuperioribus partibus tum inferioribus concretae. Fibulae caput a capite tibiae receſſit, ſed infra illam ſuperficiem, quae huic nexui inſervit, a parte poſteriore in tumorem ſpongioſum excrevit, qui ſeſe non tantum ad caput tibiae, quod etiam degeneravit, extendit, ſed cum eo etiam cohaeret. Pars lateralis externa capitis tibiae videtur fuiſſe fracta. Ex latere oppoſito exoſtoſis, pollicem longa, prodit. In parte inferiore videtur fractura adfuiſſe, & ibi fibula & tibia per effuſum callum concreverunt.

CCCCXII. Tibia & fibula fractae & concretae. Ad diſtantiam trium & ultra pollicum ſupra malleolum internum oblique fracta tibia eſt. Fibula autem ad diſtantiam duorum pollicum a ſuo malleolo, & ibi fibula cum tibia concrevit.

CCCCXIII. Tibia & fibula dextrae. Utrumque os ad altitudinem trium transverſorum digitorum ſupra malleolos fractum eſt. Partes, quae ſeceſſerant, verſus anteriora ſic promotae ſunt, ut angulum obtuſum forment cum partibus ſuperioribus. Cohaerent invicem per intermediam ſubſtantiam oſſeam, & tali pacto ſunt intortae, ut malleolus externus, quem fibula format, anterior, internus poſteriot ſitu ſit; qualis itaque pedis contorſio locum habuerit, ſponte ſequitur. Tab. XCIV. Fig. 3. & 4.

CCCCXIV. Tibia & fibula ſiniſtrae, concretae invicem poſt fracturam obliquam, in parte inferiore tibiae, ſic ſanatam, ut fragmentum inferius, verſus fibulam promotum, cum utroque oſſe variis in locis concreverit, inter quae tamen, praecipue a parte poſteriore, notabiles fiſſurae relictae ſunt.

CCCCXV. Concretae ad longitudinem duorum & ultra pollicum, tibia & fibula ſiniſtrae, ad diſtantiam trium pollicum a parte inferiore, ubi laeſa antea haec oſſa fuerunt, licet in neutro vera fractura adfuiſſe videatur. Fibulae caput inferius cum tibia praeterea ancyloſi nexum.

CCCCXVI. Fibula & tibia ſiniſtrae concretae, poſt fracturam fibulae, non longe a capite ipſius inferiore.

CCCCXVII. Tibia & fibula ſiniſtrae. Fractum fuit medio circiter loco utrumque os, & dein concretum, ſic ut verſus interiorem partem multum promineat.

CCCCXVIII. Tibia & fibula ſiniſtri lateris. Partes inferiores tibiae fibulaeque concretae ſunt invicem, absque ut ſitus partium aut earum craſſities mutationem notabilem ſubierint.

CCCCXIX. Tibia dextra. Concrevit cum ea ad diſtantiam duorum & ultra pollicum fibulae pars inferior, quae ibi loci fracturam obliquam ſubierat.

CCCCXX. Poſt Fracturam capitum inferiorum tibiae atque fibulae, & luxationem tali, tria haec oſſa dextri lateris penitus concreta.

CCCCXXI. Tibia, fibula, talus, firmiter concreta invicem. Pes extremus luxatus fuit, & talus e ſede ſua adeo verſus interiora dimotus, ut caput ipſius cum malleolo interno concreverit. Articulatio genu etiam male ſeſe habuit, ſed hac parte oſſa non integra ſunt, ſic ut veram degenerationem deſcribere non liceat. Fracta a parte ſuperiore fuiſſe tibia videtur.

CCCCXXII. Tibia & fibula dextrae cum talo penitus concretae. Fractura, luxatio, caries, in uno eodemque hoc praeparato concurrunt. Fibula partim a ſuperiore, ſed praecipue circa medium, & partem inferiorem, intumuit, & cortice ſquamoſo, ſpinoſo, tegitur; pars ejus inferior non longe a malleolo fracta fuit, ſic etiam vicina tibia. Talus ſedem naturalem reliquit, a malleolo interno, qui in deforme tuber ſquamoſum & aſperum degeneravit, receſſit, ſed tamen cum eo, cum fibula, cum ſubſtantia oſſea, quae tibiam fibulae nectit, concrevit, per diverſas, a ſe invicem ſeparatas, lamellas oſſeas, inter quas foveae inſignes, magna etiam foramina, dantur. Tab. XCIV. Fig 5. & 6.

CCCCXXIII. Tibia & fibula dextri lateris, poſt fracturam in parte inferiore concretae. Malleolus externus multum receſſit a tibia, unde ſinus, qui articulationi cum talo inſervit, aliam, quam ſolet, figuram monſtrat.

CCCCXXIV. Tibia, fibula, talus, calcaneus, dextri lateris, miro modo difformes. Fibula, a parte poſteriore interiore & media, craſſitiem praeternaturalem acquiſivit, & cortice ſquamoſo ac ſpinoſo obſeſſa eſt. Tibiae inferior pars inſigniter intumuit, & ab anteriore, & a poſteriore, in tumorem, magnum, inaequalem, aſperum deſinit, concrevitque cum parte inferiore fibulae, ſimili modo degenerata. Talus & calcaneus, ſede naturali relicta, cum fibula, tibia, & inter ſe ſic concreverunt, ut maſſam, admodum irregularem, vix deſcribendam, & ex figuris melius dignoſcendam, ſiſtant. Parum ſupra caput tali, in parte inferiore tibiae, foramen magnum ovale adeſt, cujus margines ſatis aequales ſunt, & ad altitudinem ſesquipollicis per ipſam oſſis ſubſtantiam adſcendit, in ſinum admodum amplum penetrans, in quem etiam deſinunt duo canales, quorum orificia minora loco ſuperiori ſeſe manifeſtant, alterum in parte anteriore & exteriore tibiae, alterum majus a parte poſteriore. Adeſt & aliud foramen, inter degeneratum fibulae caput, proximam tibiam & talum, quod pariter cum dicto ſinu communicat. An vulnus ſclopetarium huic degenerationi anſam dedit? Dijudicent illi, qui talia ſaepius obſervà-

varunt, & comparationem inſtituant cum Fig. 1. 2. 3. & 4. Tab. XCV.

CCCCXXV. Tibia & fibula ſiniſtri lateris, quae, partibus inferioribus admodum tumidae, concreverunt non tantum invicem, ſed & cum talo, qui verſus partem interiorem feceſſit. Qualis difformitas inde fuerit enata Fig. 7. & 8. Tab. XCIV. ſatis oſtendunt.

CCCCXXVI. Tibia ſiniſtra, ex cujus corpore medio, non longe a criſta, principium Exoſtoſis enaſcitur.

CCCCXXVII. Tibia ſiniſtra, ex cujus parte laterali externa Exoſtoſis acuta, ſesquipollicem longa, ſenſim magis & magis ab oſſe recedens, procrevit.

CCCCXXVIII. Tibiae fibulacque ſiniſtrae partes cum tarſo & metatarſo pueri, paedarthrocace affecti, & ex hydrope dein mortui. Calcaneus praecipue ab interiore totus conſumtus & carioſus eſt, nec plane libera vicina oſſa ſunt.

CCCCXXIX. Tibia & fibula ſiniſtri lateris, quae a naturali ſpecie penitus receſſerunt, & mire carioſae ſunt. Craſſities oſſis inſigniter adaucta; ſuperficies admodum inaequabilis. Septem magna in tibia foramina adſunt, per quae intus canalis oſſeus, amplus, fortis, hinc inde interruptus, mobilis; per totam fere tibiae oſſis longitudinem exporrectus, cernitur. Poſtquam os hoc a parte poſteriore eſſet apertum, canalis dictus egregie in conſpectum venit, & eximi commode potuit, ſic ut, & canalis ipſe, & ſedes ubi haeſit, egregie pateſcant; ut docent additae Tab. XCVI. Fig. 1. 2. 3. 4. Tab. XCVII. Fig. 1. & 2. Egregium exemplum morbi illius, quem Necroſin oſſium dicere ſolent. Pertinet ad Supellectilem Rauianam N. VII. inter oſſa male adfecta, &c. Conf. Muſei hujus pag. 7.

CCCCXXX. Miro modo degeneratae tibiae atque fibulae partes inferiores, Tab. XCVII. Fig. 3. & 4. expreſſae, huc referendae videntur. Tibia applanata, inaequalis, ſquamoſa, deſcendendo inſigniter craſſeſcit, ſic tamen ut cruſta tantummodo ſuperſit ſatis craſſa, & interior pars, quae ut in praecedenti exemplo videtur penitus fuiſſe libera, omnis perierit. In illa cruſta, quae extrinſecus tota ſquamoſa & ſpinoſa, adſunt foramina multa, majora, minora; magni defectus. Intumuit pars inferior fibulae etiam in tumorem oblongum, ſquamoſum, aſperum.

CCCCXXXI. Tibia & fibula ſiniſtrae. Tibia notabili necroſi laborat. Tab. XCVIII. Fig. 1. 2. 3. & 4. Caput quidem & pars inferior ſana ſunt, ſed pars media anterior longe maxima, tota quanta emortua, ſeparari poteſt ex canali, quem portio poſterior formavit. Haec pars admodum carioſa eſt. A latere cernuntur margines craſſi, tumiduli, qui videntur monſtrare, quomodo hoc in morbo ſenſim oſſea ſubſtantia circumdet partem, plane ſolutam. Poſterior ſuperficies ejusdem hujus partis mediae, quae dimidium hunc canalem format, eſt admodum inaequalis, & in ea apparent duo foramina ampla, alterum ſuperius, illudque maximum, alterum inferius, & per haec foramina transparent partes oſſis intermedii, penitus ſoluti. Hoc autem ſolutum os ab anteriore ſatis aequabile eſt, ſed a poſteriore penitus arroſum, ſic ut etiam foramina & ſinus admodum profundi conſpiciantur, quemadmodum etiam anterior ſuperficies dimidii canalis, quo dictum emortuum os fuit contentum, ſimili modo adfecta eſt.

CCCCXXXII.

CCCCXXXII. Tibia & fibula dextrae. Tibia necroſi laborat, conſpicienda praecipue a parte poſteriore. Pars oſſis emortua nondum penitus ſoluta eſt, ſed a parte inferiore adhucdum cum reliquo oſſe cohaeret. Nova ſubſtantia ſeſe multis in locis ſupra emortuam extendit, eamque quaſi comprehendit, ac retinet.

CCCCXXXIII. Tibia dextra. In parte inferiore corporis ad diſtantiam trium transverſorum digitorum a ſinu, qui tali corpus admittit, notabilis adeſt Caries. Haec incipit in parte laterali interna, quae ſolis integumentis integitur, & duos cum dimidio pollices longa ad dictum locum definit. Ovatam formam habens, medio quam maxime excavata, multum introrſum ſeſe extendit, marginesque admodum inaequales monſtrat; exterior margo non multum ultra criſtam ſeſe extendit, & non adeo craſſus eſt, interior vero & latitudinem & craſſitiem inſignem habet, praecipue a parte inferiore. Tab. XCII. Fig. 4.

CCCCXXXIV. Tibia dextra, ex cujus parte anteriore & laterali interna exſurgit tumor amplus, tres pollices & dimidium longus, duos latus, medio ſinu aequabili, partim duplici, in duas partes majores tertiamque minorem diviſus. Superficies admodum inaequalis eſt, multis eminentiis finibusque gaudens, quaſi carioſa. Serrae ope diviſus tumor eandem ſubſtantiam internam exhibet, quam reliquum os. Tab. LXXXVII. Fig. 10. 11. & 12.

CCCCXXXV. Tibia dextra admodum craſſa, ponderoſa, ultra mediam partem inſigniter tumens. Superficies aſpera, inaequalis, foraminulenta, praecipue in parte poſteriore.

CCCCXXXVI. Tibia dextra ſimili vitio laborans. Degenerat intumeſcit totum caput cum corpore fere toto. Sinus, qui condylos admiſerunt, ampliores, & inaequabiliores. Totum os ponderoſum, ſingulari ratione incurvatum, ſuperficiem admodum inaequabilem & aſperam habet.

CCCCXXXVII. Tibia dextra, in parte ſuperiore admodum tumens, ac ſimul craſſitiem notabilem habens. Poſt ſectionem, ſerrae ope factam, eburneam quaſi duritiem monſtrat. Videtur abſceſſus in medulla delituiſſe.

CCCCXXXVIII. Tibia & fibula ſiniſtrae, invicem cohaerentes. Tibiae pars ſuperior crasſisſima, tota quanta mutata. Craſſum etiam & diverſis eminentiis acutis inſtructum caput fibulae. A parte poſteriore tibiae, non longe ab ipſius capite, foramen magnum rotundum adeſt, ad interiora tendens.

CCCCXXXIX. Tibia ſiniſtra cum adhaerente ipſi maxima parte fibulae. Tota ferme fibula, magna etiam pars tibiae, craſſa ſed ſimul leviſſima, ſquamis & ſpinis bene multis obſeſſa eſt, & inter illas veſtigia cernuntur vaſorum, quae juxta haec oſſa deſcenderunt.

CCCCXL. Tibia & fibula ſiniſtri lateris, per magnam diſtantiam invicem concretae. Utrumque os in tumorem ſpinoſum inaequalem exſurgit. Spinae & ſquamae, praeſertim a parte poſteriore admodum conſpicuae, ultra ſuperficiem oſſis multum prominent. Intermedii ſinus, juxta quos vaſa olim decurrebant, ſunt admodum profundi.

CCCCXLI. Tibia & fibula ſiniſtrae, totae quantae, ſed praeſertim verſus partem mediam, maxime expanſae, & in laminas, ſpinas, aculeos, adſurgentes. Laminae admodum magnae & inaequabiles ab uno oſſe ad aliud ſeſe extendunt, ut diverſis in locis plane cohaereant.

CCCCXLII. Tibia & fibula dextrae, craſſae & ponderoſae, ſimilibus laminis, ſpinis, aculeis gaudentes. Adſunt autem hae praecipue in fibula, quae hac de cauſa ab inferiore craſſitiem habet, qualem in ſana tibia obſervare ſolemus. Diverſis in locis haec oſſa per illas laminas & ſpinas concreverunt.

CCCCXLIII. Tibia & fibula ſiniſtri lateris. Caput fibulae, quod malleolum externum format, ſolito magis tumidum, cum proxima tibiae parte concrevit. Sinus autem tibiae, cum quo talus cohaeſit, praeternaturalem formam habet.

CCCCXLIV. Tibia, fibula, talus, calcaneus, dextri lateris, concreta invicem. Oſſa haec praeterea ſimili tumore, ac praecedentia, expanſa ſunt, & eorum ſuperficies hac de cauſa admodum inaequales ſunt.

CCCCXLV. — CCCCLXXIV. Tibiae unius alteriusque lateris, vel in parte quadam, vel totae, magis minusve, nonnullae maxime, tumefactae, ſpina ventoſa, aut carie externa affectae. Plurimae extrinſecus cruſtam ſpinoſam habent. Nonnullae ſerrae ope diviſae ſunt, ut mutatio, quam vel cortex oſſis, vel media & interior pars, ſubiit, conſpiciatur.

CCCCLXXV. Portio notabilis tibiae ex juvene ſeptendecim circiter annorum. Quintum & decimum aetatis annum agens, hactenus vix unquam proſpera valetudine gaviſus, in febrim incidit. Morboſa materies ad brachium & praecipue ad crus dextrum delata. Intumuit utraque pars, praecipue vero crus. Natus ad tibiam abſceſſus, quo aperto carioſum deprehenſum os. Caries admodum alte proſerpebat, & ſesqui anno elapſo, dum interea quotidie magna purulentae materiëi copia evacuabatur, a natura ſeparata magna haecce eaque media tibiae pars, cujus in locum natura ſubſtantiam, oſſi analogam, reſtituit, tantae firmitatis, ut commode incedat, modo tibiali coriaceo paulo fortius adſtricto membrum ſuſtineat. Tumor brachii, pariter ſuppuratus, penitus etiam ſanatus eſt, poſtquam fragmenta varia oſſea prodierunt. Firma ſanitate poſtea gaviſus eſt.

CCCCLXXVI. Portio tibiae dextrae, quae poſt fracturam complicatam penitus de reliquis partibus ſeceſſit, & emortua ſponte naturae ſeparata eſt.

CCCCLXXVII. Fragmentum oſſeum de media tibia ſeparatum poſt ulcus male curatum, & neglectum.

CCCCLXXVIII. Simile fragmentum tibiae.

CCCCLXXIX. Fragmentum multo majus, de tibia ſeparatum, poſt enatum ulcus magnum, quo os ad notabilem diſtantiam fuit denudatum.

CCCCLXXX. Simile fragmentum, ſimili in caſu ſeparatum.

CCCCLXXXI. Partes variae ſatis longae, carioſae, quae de tibia hominis adulti ſunt ſeparatae.

CCCCLXXXII. Tibia & fibula ſiniſtri lateris ex puella, ab abſceſſu fiſtuloſo, poſt variolas enato, exeſae, carioſae.

CCCCLXXXIII.

CCCCLXXXIII. Pars inferior tibiae fibulaeque dextrae. Maxima pars lamellae externae utriusque offis periit, & caries ſeſe tum ab anteriore tum a poſteriore manifeſtat. Adeſt etiam fibulae pars ſuperior. Videtur haec medio in corpore fuiſſe fracta. Superior enim pars ab inferiore, inferior a ſuperiore, in obtuſum mucronem praeternaturalem deſinunt, in qualem mutari ſolent fragmenta, ſi multum a ſe invicem receſſerunt.

CCCCLXXXIV. — DX. Tibiae utriusque lateris, praegreſſa rachitide; maxime incurvae. Curvatura in aliis alia, magis vel minus inſignis. Sunt nonnullae notabili ratione inter latera compreſſae.

DXI. Tibia & fibula ſiniſtrae, invicem concretae. Fibulae caput a tibia receſſit, ſed, ubi ſuperficies, quae in fibula obſervatur pro nexu cum tibia, deſinit, oſſea ſubſtantia conſpicitur, ultra pollicem longa, quae fibulam cum tibia nectit. Omni reliqua parte fibula libera eſt, etiam qua parte ad tibiam rurſus accedit, malleolum externum formans.

DXII. Fibula, cujus caput ſuperius in tumorem maximum membranaceo-cartilagineum abiit, pugni ad minimum magnitudinem aequantem, & verſus exteriora disruptum.

DXIII. Fibula, quae prope partem ſuperiorem obliquam fracturam ſubiit. Videntur tria adfuiſſe fragmenta, quae, effuſo callo, lato, inter anteriorem & poſteriorem partem ſeſe multum extendente, coaluerunt.

DXIV. Fibula ſiniſtra, cujus pars inferior oblique fracta fuit; fragmentis, quae juxta ſe invicem promota ſunt, callo iterum unitis.

DXV. Fibula, cujus pars ſuperior pariter in varia fragmenta ſeceſſit, dein callo inaequabili unita.

DXVI. Fibula, ex cujus parte poſteriore & ſuperiore Exoſtoſis ſingularis figurae prodit.

DXVII. Fibula, cujus media pars aſpera, inaequalis, in multas ſpinas acutas adſurgit.

DXVIII. — DXXIII. Fibulae, vel totae, vel maximam partem, admodum tumidae, cortice ſquamoſo & ſpinoſo obſeſſae.

DXXIV. — DXXXIII. Fibulae, ex praegreſſa rachitide, vario modo incurvatae.

DXXXIV. Talus & calcaneus per ancyloſin concreti.

DXXXV. Ancyloſis oſſium omnium tarſi, & metatarſi quatuor poſteriorum. Figuram ſuam omnia ſervarunt, diſtingui itaque facile poſſunt. Ex ſuperficiebus aequabilibus tali ſatis patere videtur, motum totius pedis in articulo cum crure ſatis fuiſſe facilem.

DXXXVI. Tarſi oſſa omnia, & metatarſi pollicis atque digiti primi, inter ſe per ancyloſin firmiter concreta.

DXXXVII. Naviculare, tria cuneiformia, & cubiforme, tarſi oſſa, metatarſi digiti primi & ſecundi, eodem modo coalita.

DXXXVIII. Os ultimum pollicis pedis hominis adulti, in quo Exoſtoſis notabilis. Pertinet ad Supellect. Albinianam. P. 2. N. CCCLXI. Conf. Muſei pag. 87.

DXXXIX. Ultimum os metatarſi, necroſi adfectum, & ſeparatum.

DXL. Pedes duo, ſponte de corpore delapſi. Puella, viginti annos nata, nunquam menſtruata, a longo tempore abdominis artuumque doloribus vexata, dolorificam ſenſationem in plantis pedum percepit; hi ſenſim nigrum colorem contraxerunt, vero ſphacelo correpti ſunt, ſic ut, ſi ad invicem alliderentur, ſonus, qualis a concuſſis lignis produci ſolet, perciperetur; deinde ad diſtantiam transverſae manus ſupra malleolos crena eſt enata, ſeparationis vivae partis a mortua initium; ſuborta ſuppuratione, integumenta, muſculi, jam vita privati, a ſanis partibus ſeceſſerunt, ſic ut praeter nuda oſſa omnino nihil ſuperfuerit; haec demum, ſola agitatione in lecto, ſunt disrupta ſeu fracta ſupra malleolos, & toti cecidere pedes. Soli naturae morbus fuit commiſſus. Haec narravit aegra, confirmavit mater. Puella pallida, emaciata, febre hectica, cum illam vidi, laborabat. In neutro crure denudata erant oſſa, ſed calloſa quadam ſubſtantia obducta, ſic ut altiori loco ſeparata viderentur oſſa, quam carnes; in altero crure ab attactu nullum percipiebat dolorem, ſed alterius attactum non tantum non perferre potuit, verum ſanguis, magna etiam copia, mox atque linteum, quo crus involutum erat, tollebatur, aut leviter contrectabatur membrum, prodibat. Pedes ipſi ſequenti modo ſeſe habent. Siniſter integerrimus eſt, verae Mumiae adinſtar exſiccatus, ſic ut oſſibus, facillime diſtinguendis, caro & integumenta ſicca agglutinata videantur; tibia ad diſtantiam quinque pollicum ſupra malleolum eſt diffracta, & ad eandem altitudinem fibula; contracta maxime, & duriſſima planta, curvati digiti. Fractura in utroque oſſe inaequalis anguloſa eſt, & tibia atque fibula nudae, albae, pro parte ultra carnem & integumenta prominent. Cum ſiniſtro multum convenit pes dexter. Hic pariter nigerrimus, exſiccatus; plantam tamen pro parte exederunt vermes; ſed reliqua plantae pars contracta, ſicca, digiti vero non adeo incurvati, ſed magis ſurſum directi; tibia & fibula ſimiliter inaequaliter fractae ſunt, ad diſtantiam quatuor pollicum & dimidii, ſic ut, ſi pedes juxta ſe invicem ponantur, ſiniſter dextrum longitudine ſuperet. Magis denudata oſſa ſunt in loco fracturae, praecipue tibia, a partibus mollibus, ſic ut haec ferme ad diſtantiam pollicis promineat. Supervixit aegra per integrum annum.

DXLI. Scapula ſiniſtra, cujus ſummi humeri mucro diſtincto oſſe conſtat, quod interventu cartilaginis cum reliqua parte cohaeret.

DXLII. Scapula hominis adultioris, cujus proceſſus coracoïdei radix cum proxima cervice exeſa per paedarthrocacem. Pertinet ad Supellect. Albinianam P. 2. N. CCCLIX. Icones conſpiciuntur Tab. XCIX. Fig. 5. & 6.

Hic loci inſerenda deſcriptio ſingularis degenerationis ſcapulae & oſſis humeri dextri lateris, cujus icones poſſidet Theatrum, quas huic operi addendas putavi Tab. XCIX. Fig. 1. 2. 3. & 4.

Scapulae cavitas glenoïdea tota difformis, duos pollices longa, ſesquipollicem & ultra lata, margine inaequali, ſcabro, verſus proceſſum illum, qui ſummus humerus dicitur, reflexo, & in tuberculum notabile deſinente, cincta, per mediam eminentiam, a ſuperiore parte deſcendentem, in duas ſuperficies diſtincta, maximam partem glaberrima eſt. Ex ejus parte ſuperiore prodit proceſſus coracoïdeus, maxime in-

incurvus, ſesquipollicem longus, ab interiore & media parte glaberrimus, verſus marginem & apicem extenuatus, extrinſecus inaequabilis. Huic ſcapulae mutato ſinui & proceſſui coracoïdeo accommodat ſe caput oſſis humeri, forma ſua inſigniter a naturali recedens. Planities ipſius, duos pollices longa, totidem lata, maximam partem glaberrima ſuperficie gaudens, in duas partes dividi poteſt, quarum altera poſterior, magis excavata, qua ſcapulam reſpicit, inaequabilis & quaſi arroſa, verſus inferiora in mucronem definit, aliquantum a ſcapula & ab oſſe humeri diſtantem; verſus ſuperiora autem quaſi reflectitur, & in marginem terminatur, inaequalem, tuberculatum, partim proceſſui coracoïdeo ſubjectum. Altera eaque anterior pars, qua ſcapulam reſpicit, glaberrima, polita quaſi ſuperficie gaudet, qua vero verſus truncum dirigebatur, in tuberculatam, variis eminentiis & finibus gaudentem, prominentiam definebat.

DXLIII. Scapula, cujus cavitas glenoïdea a naturali forma recedit. Margo ipſius inferior & poſterior, admodum altus & inaequalis, ſinum reddit longe profundiorem, quam eſſe ſolet. Summus humerus praeterea admodum longus, inaequalis, variis tuberculis obſeſſus.

DXLIV. Clavicula, quae medio in corpore fuit fracta, & inſolitam hinc obtinuit figuram.

DXLV. Clavicula dextra, cujus pars poſterior, cum proceſſu ſcapulae, quem ſummum humerum dicunt, olim nexa, poſt fracturam ſic ſanata eſt, ut cum reliqua parte angulum ferme rectum conſtituat.

Hic memoranda etiam clavicula, cujus figurae in Tab. XLVIII. loca inter delineatas coſtas vacua occupant. Haec ad diſtantiam duorum pollicum ab extremitate ſuperiore ſic fracta eſt, ut, & verſus latus externum & verſus inferiora, ſuperius fragmentum ſeceſſerit, fragmentum vero inferius ſurſum ſit tractum. Praeter nonnullas inaequalitates ſpinoſas, ab interiore & inferiore, laevigata quodammodo ſuperficies cernitur, quae videtur proceſſui coracoïdeo fuiſſe appreſſa.

DXLVI. Tumor oſteo-ſteatomatoſus, ut videtur, capitis ſuperioris & vicinae partis oſſis humeri. Praeparatum hoc dono dedit Doct. Ranieri, cum ante aliquot annos, oculorum morbos curandi gratia, iter per Hollandiam faceret, addiditque ſequentem morbi hiſtoriam. Homo, quinquaginta & octo annorum temperamenti atrabilarii, poſtquam exanthematibus, ex cauſa, ut videtur, venerea, aliquamdiu laboraverat, & remediis nonnullis veroſimiliter repercutientibus ſanatus erat, per lapſum contuſionem nactus eſt in ſummo humero ad nexum oſſis humeri cum ſcapula. Dolores ſucceſſerunt, & tumor dicti capitis, qui ſenſim fuit adauctus, dum ſimul pro ratione magnitudinis tumoris dolor increvit, & magis acutus fiebat. Tumor erat durus, color autem integumentorum naturalis. Hoc in ſtatu per tres menſes manſit. Interea temporis frictiones mercuriales fuerunt adhibitae, ſed tumor tunc non ſolum increvit, verum color naturalis in lividum mutabatur. Sub axilla tum alius comparuit tumor, qui ſimilem colorem habebat. Dolor de die in diem acutior erat; totumque brachium oedematoſum. Tertio menſe, poſtquam tumoris magnitudo magis adhuc erat adaucta, inflammatio acceſſit, dolor & tumor hinc inſigniter

niter increſcebant, omnia ſymptomata adaugebantur; ſub axilla veſiculae parvae ſeſe manifeſtabant, quae ruptae notabilem lymphae ichoroſae quantitatem fundebant, tumoris color obſcurior gangraenoſus erat; disrumpebatur demum, cum intolerabili foetore, & vitam cum morte commutabat homo. Sectione facta conſtitit; os humeri per cariem eſſe ſeparatum a ſuo capite, quod in tumorem enormem erat expanſum, qui, ut in praeparato cernere licet, ex cortice non admodum craſſo, inaequali, partim oſſeo partim membranaceo, conſtat, intra quem alia materies fuit contenta, mollior, quae macerando periit. Non cohaerent partes omnes tali modo inter ſe, ut figuram ac magnitudinem, quam habuit, determinare certo modo liceat, multo minus exactam delineationem dare, quam ſane mereretur caſus, profecto ſingularis, a dicto viro in Noſocomio Romano obſervatus. In arteria brachiali aderat ſaccus aneurysmaticus.

DXLVII. Os humeri ſiniſtrum, cujus caput a forma naturali recedit, ſic ut articulus humeri non bene conſtitutus fuiſſe videatur. Pars etiam inferior laborat.

DXLVIII. Dextri lateris os humeri. Caput inhaeſit cavitati ſcapulae diſformi, hinc ipſum etiam mutatum eſt. Superficiem rotundulam, ſolito majorem, partim glabram, partim inaequalem, & multis foraminibus pertuſam habet. Margo ultra collum multum prominet. Capitis inferioris ea pars, quae caput radii admittit, ſua cartilaginea cruſta orbata, carioſa quaſi exiſtit, & a parte poſteriore in eminentiam acutam deſinit altera ex illis ſuperficiebus, ad quas caput ulnae flectitur, & extenditur.

DXLIX. Lateris dextri os humeri. Pars inferior, quae ad articulum cubiti concurrit, praeternaturalis eſt. Sinus, in quem, flexo cubito, proceſſus ulnae coronoïdeus intrat, aliam figuram habet. A latere ipſius ſuperficies ovata conſpicitur, ad quam caput radii ſine dubio appreſſum fuit. Sinus, praecedenti oppoſitus, in quem, extenſo cubito, olecranon intrat, maximam partem ſubſtantia oſſea oppletus eſt.

DL. Os humeri dextrum. Pars ipſius inferior, praegreſſa luxatione, miro modo a ſolita forma receſſit; in duos quaſi condylos deſinit, medio ſinu diſtinctos, quorum quisque diverſas ſuperficies habet, ad quas oſſa cubiti, quorum capita praeternaturalem pariter habuiſſe formam, ex hoc oſſe conſtat, olim mobilia fuere.

DLI. Os humeri, ulna, radius dextri lateris. Poſt fracturam partis inferioris oſſis humeri, mutati tantopere condyli ſunt, qui cum radio & ulna conjunguntur, ut verbis vix deſcribi poſſint. Quae cum radio connectebatur pars, penitus diffracta, cum reliquo oſſe non coaluit, ſed ſeparatum, irregulare, os ſiſtit, quod glabram habet ſuperficiem, ubi admittit caput radii, aliam, cui accubuit portio alia ſeparati oſſis, & tertiam, quae convenit cum ſimili, in ulna invenienda. Pars reliqua inferior humeri ſeſe accommodavit ad ulnam, cujus caput, etiam inſolitum, varias habet ſuperficies, cum quibus os humeri, radius, & ſeparata officula conveniunt. Olecranon apicem amiſiſſe videtur, ſed verſus latus, quod reſpicit radium, ſupra ejus nexum, aliquantum excrevit. Radii caput multo majus, ſuperiore parte planius. Parvum praeterea adeſt officulum, cujus vera ſedes rite determinari nequit. Tab. C. Fig. 1. 2. 3. 4. 5. 6. & 7.

DLII.

DLII. Ulna, radius, & pars ima offis humeri. Officula quatuor juxta articulum cum radio undique libera inventa ſunt. Pertinent ad Supellectilem Albinianam & P. 2. N. CCCLX. deſcribuntur. Conf. Muſei hujus pag. 87.

DLIII. — DLVI. Oſſa humeri, vel tota, vel pro parte, admodum tumida, cortice ſquamoſo, ſpinoſo, obducta. Unum ex his ſerrae ope diviſum eſt, ut interiora pateant.

DLVII. Pars inferior offis humeri, ulna & radius, hominis, qui fungo articuli, ad omnia remedia rebelli, laboravit, & amputationem feliciſſime ſuperavit. Hanc inſtituit Doct. Chirurgus Balthaſaar, praeſente Clar. F. B. Albino, eique operationi non ſolum, ſed & ſectioni brachii anatomicae, a ſummo viro inſtitutae, adſtiti, vidique, carnem muſculoſam a parte interiore brachii fuiſſe ſanam, reliquam vero mutatam in ſubſtantiam albam, fibroſam, maxime compactam; ligamenta articuli, cartilagines offium, penitus eſſe deſtructas, ſuperiores radii & ulnae inferioresque offis humeri partes carie adfectas, & adeo molles, ut, praecipue ulna, digitis cederent. Quomodo depurata oſſa ſeſe habeant, patet ex Fig. 8. 9. 10. 11. 12. & 13. Tabulae Centeſimae. Caſum vero deſcripſit ſupra nominatus Chirurgus in peculiari libello, anno 1765. in lucem emiſſo, dein in Heelkundige Waarneemingen, pag. 68. ſeq.

DLVIII. Ulna & radius dextri lateris inſigniter tumentes, & ſuperficie inaequali, praecipue ad caput ulnae, ſquamoſa, ſpinoſa, notabiles.

DLIX. Simili modo affecta ulna. Superficies offis inſigniter quidem tumet, non autem aut ſquamoſa, aut ſpinoſa, eſt, ſed innumeris parvis foraminibus pertuſa.

DLX. Pars offis humeri ſiniſtri carioſa, quae per abſceſſum, poſtea ſanatum, prodiit. Juvenis de ſummo dolore in humero conquerebatur. Membrum immobile, ponderoſisſimum erat, & intumuit inſigniter. Abſceſſus ſubortus eſt ad ſuperiorem Deltoïdis muſculi partem, eoque aperto, carie affectum os eſſe, conſtitit. Separabatur ſenſim totum os a ſuo capite, extrorſum protrudebatur, &, poſt longum temporis ſpatium, nexu ipſius ab inferiore libero, totum os ſponte excidit, alia ſubſtantia ejus locum occupavit, ſanatumque ulcus eſt. Manu poſtea uti omni modo potuit, eaque pondus, ſat grave, attollere, modo cubiti altitudinem non ſuperet locus, verſus quem illud eſt dimovendum. Humerum non niſi una cum tota ſcapula movere poteſt; dextrae tamen manus ope ſiniſtram attollit, & capiti imponit. Siniſtrum brachium multo brevius dextro. Tab. CI. Fig. 1. 2. & 3.

DLXI. Pars notabilis offis humeri carioſa, quae feceſſit de brachio infantis quinque annorum & dimidii. Vix duos annos natus, per novem menſes, febre intermittente, tertiana, dein quartana, laboraverat. Secundo Februarii 1784. intumuit brachium, & abſceſſus enatus eſt, quo aperto conſtitit, vitiatum eſſe os. Omnia remedia, externa, interna, in uſum vocata ſunt, quae videbantur indicari, ut humores corrigerentur, vitium, in oſſe latens, ſanaretur, ſed incaſſum omnia; menſe Decembri a chirurgo dilatata apertura. Proximo anno ſimilia vitia ad ſcapulam, coſtas, ſternum, ſeſe manifeſtarunt. Die 23. Novembris 1786. maxima pars offis humeri feceſſit, ſoluta de capite, ſoluta de partibus inferioribus, quae ad componendum articulum cubiti concurrunt: in locum autem offis reſtituta videtur alia ſubſtantia, quae formam non

non tantum ſervavit, ſed & permiſit, ut infans brachium ſatis bene movere potuerit. Idem malum aliis in locis ſeſe de tempore in tempus manifeſtavit, & tandem hydropicus periit infans. Tab. CI. Fig. 4. 5. 6. 7. 8. & 9.

DLXII. Pars de oſſe humeri, non longe ab articulo cubiti, ſerrae ope ablata in infante, qui, ex ſecunda contignatione domus in plateam lapſus, praeter contuſionem capitis, fracturam humeri complicatam, & contuſionem totius artus, praecipue articuli cubiti, paſſus erat. Prominebat ſtatim fragmentum ſuperius oſſis toto ſuo ambitu extra vulnus, eoque ablato, debitaque cura adhibita, perfecte ſanatus eſt.

DLXIII. Dextrum os humeri, non longe a capite fractum, & ſic ſanatum, ut totum os quaſi intortum ſit.

DLXIV. Os humeri ſiniſtrum. Fractura obliqua, tres pollices longa, prope partem ſuperiorem adfuit. Partes ſic concreverunt, ut os formam naturalem amiſerit. Diviſio hujus fracturae, ſerrae ope facta, docet, fragmenta, ſuperius & inferius, ſibi appoſita, & concreta, quo ad canales ſuos medios non convenire, ſed diſtinctum adeſſe oſſeum ſepimentum.

DLXV. Siniſtri lateris os humeri. Fractura obliqua, longa, in parte inferiore adeſt. Fragmentum inferius juxta latus externum ſuperioris multum adſcendit, deſinitque in apicem acutiſſimum, ad magnam diſtantiam a reliquo oſſe dimotum.

DLXVI. Siniſtri lateris os humeri. In medio corpore fractura obliqua tres pollices longa eſt. Fragmentum inferius juxta latus internum ſuperioris adſcendit, pro parte cum eo concrevit; pro parte a fragmento ſuperiore diſtat, in apicem acutiſſimum deſinens.

DLXVII. Ulna & radius dextri lateris. Mediis in corporibus fractura adfuit, ſatis bene ſanata, ſic etiam, ut libera haec oſſa manſerint.

DLXVIII. Siniſtrum os humeri. Ex parte poſteriore capitis lata Exoſtoſis prodit. Tab. CII. Fig. 8. & 9.

DLXIX. Dextrum os humeri. E collo, non longe a capite, duae prodeunt Exoſtoſes, quarum altera ſimplex acuta eſt, altera definit in tres mucrones, a ſe invicem remotos, acutiusculos. Tab. CII. Fig. 10. & 11.

DLXX. Siniſtri lateris os humeri, magna Exoſtoſi difforme. A latere interiore oſſis, ad diſtantiam duorum transverſorum digitorum a capite, Exoſtoſis prodit, ampla baſi inſtructa, & in duas majores totidemque minores eminentias adſurgens. Subſtantia interna tota cellularis eſt; margo autem exterior oſſis multum extenuatus eſt. Tab. CII. Fig. 5. 6. & 7.

Notabiles etiam duae ſunt Exoſtoſes, quarum figuras dedi Tab. CII. Fig. 1. 2. 3. & 4. Altera Fig. 1. & 2. non multum diſtat a capite oſſis humeri. Ex latere ipſius exteriore provenit, baſis ſatis lata eſt, non vero craſſa; antrorſum & extrorſum vergit, a poſteriore excavata quaſi, media eminentia in duas ſuperficies diviſa, ab anteriore rotundior, aequabilior eſt. Altera Fig. 3. & 4. ex media ferme & interiore oſſis humeri parte provenit, & duplex quodammodo dici poteſt; altera pars de pedunculo dependet, caeterum ab oſſe libera, ſic tamen ut ab inferiore cavitati oſſis quaſi ſit impreſſa; pars altera tuberculata, minor, tota quanta cum oſſe cohaeret, & non multum ab altera parte diſtat.

DLXXI.

DLXXI. Os humeri dextrum, ancyloſi cum ulna & radio, ad angulum rectum flexis, junctum. Radius ſupra ulnam inſigniter promovetur.

DLXXII. Os humeri per ancyloſin cum ſola ulna, ad angulum rectum, penitus concretum.

DLXXIII. Pars inferior oſſis humeri dextri cum ulna & radio, quae cubiti oſſa per ancyloſin ſunt concreta. Solus radius fuit luxatus, & ultra ulnam ſuo corpore verſus interiora ſic promotus, ut ſupina manus reddi non potuerit. Caput ſolius ulnae, ubi inflectebatur & extendebatur cubitus, ad os humeri moveri potuit, hinc hujus pars inferior, radii caput non amplius admittens, capitulo deſtituitur, ad quod ille moveri ſolet. Meretur hoc praeparatum latius exponi. Cohaeret radius cum ulna firmiter, & oſſa haec partibus ſuis ſuperioribus concreta ſunt. Radii capitulum verſus olecrani partem anteriorem totiusque oſſis latus exterius receſſit, vix parvam oſſis humeri partem attingens. Figura ergo capituli tota periit. Collum, complanatum, anteriori parti ulnae maxime appreſſum eſt. Tum vero inſigniter lateſcit os, cum ulna per magnam diſtantiam concretum. Dum autem capitulum radii totum ab oſſe humeri receſſit, & ſola ulna cum humero articulata permanſit, caput ulnae & inferior oſſis humeri pars a ſano ſtatu multum recedunt. Latus prius verticis inferioris capitis ulnae tam inſignem acquiſivit amplitudinem, ut totam inferiorem oſſis humeri partem admittere potuerit. In hac autem extremitate oſſis humeri nec diſtincta rotula, quae caeterum ſolam ulnam admittit, nec diſtinctum capitulum eſt, cum quo vertex capitis radii cohaeret; latus prius rotulae humeri ferme totum evanuit; capitulum naturali in ſtatu gibbum, ovatum, oblique verſus latus prius rotulae deſcendit, ac de illo latere nil niſi parva eminentia ſupereſt, ſic ut ex rotula & capitulo rotula unica, ſed major, formetur, media eminentia rotundula, in duas partes diviſa, dum ad partem anteriorem, ex degenerato capitulo & latere priore rotulae factam, latus prius verticis inferioris capitis ulnae, ſolito majorem amplitudinem nactum, ſolum accedebat. Cum vero flectendo cubitum vertex capituli radii, quippe ab humero remoti, non amplius incurrere poterat in ſinulum illum, qui ſupra capitulum humeri pro articulatione cum radio eſt, hic confluxit cum majore ſinu, qui ſupra rotulam eſt, ut ſic, flectendo cubitum, latus prius verticis inferioris ulnae, multo amplius, locum inveniret, in quem commode recipi poſſet. Dicta illuſtrant Fig. 1. 2. & 3. Tab. CIII.

Eadem vero hac in Tabula Fig. 4. 5. 6. alterum exemplum talis ancyloſis ulnae & radii, poſt luxationem ſolius radii, enatae delineatur.

Radius ultra ulnam dimotus eſt, ut fit, quando manum ſupinam pronam reddere volumus. Hoc in ſitu dum permanſit, pars inferior colli, tuberculum, cui tendo bicipitis muſculi ſeſe affigit, & proximum corpus radii cum parte anteriore & interna ulnae penitus confluxerunt, usque ad & ultra illam plagam triangularem, verſus inferiora paulo anguſtiorem, ſed hic etiam inſigniter mutatam, cui brachialis internus affigitur; colli ſuperior pars magis verſus anteriora & ab ulna receſſit, ſic ut capituli vertex, qui recipitur a capitulo humeri, quod juxta rotulam eſt, plane mutatus ſit, & oblique extrorſum deorſumque tendat, ſuperficiemque ſuam media linea eminente

nente diviſam habeat in partem, quae dictum humeri capitulum adhuc admiſit, aliamque, quae ad humerum pertingere non niſi in ſumma inflexione potuit. In capite ſuperiore ulnae verticis inferioris latus prius non adeo anguſtum eſt, quam caeterum eſſe ſolet, ſed latitudinem majorem acquiſivit, & pene confluxit cum illa obliqua verticis radii ſuperficie, quae cum humeri oſſe adhuc cohaeſit. Ut in parte inferiore radii, quae cum oſſibus carpi nectitur, ſinus lateralis maxima pars periit, quae cartilaginoſam ſuperficiem capituli ulnae olim recepit, ſic ejusdem capituli ulnae forma tota praeternaturalis evaſit, proceſſus ſolito longior exiſtit, eaque pars, quae a radio antea recipiebatur, tota inaequalis evaſit, & tuberculata.

DLXXIV. Radius dexter oſſa carpi & metacarpi quatuor ancyloſi ſic concreta, ut carpi oſſa omnia in unum os deforme abierint. Pertinent ad Supellectilem Rauianam, inter oſſa affecta N. IV. Conf. Muſei hujus pag. 6.

DLXXV. Radius dexter cum oſſibus carpi, ſubrotundo excepto, & metacarpi quatuor, per ancyloſin concretus. Ab exteriore omnia, quae adſunt, carpi oſſa facile diſtinguuntur, minus ab interiore, praeter multangulum majus & cuneiforme, cujus unciformis proceſſus etiam integerrimus eſt. Superficies radii, cum qua cohaeſit ulna, etiam naturalis non eſt.

DLXXVI. Pars inferior radii cum oſſibus carpi & metacarpi quatuor ancyloſi concreta.

DLXXVII. Radius dexter, cum nonnullis oſſibus carpi, & duobus metacarpi, ſimili vitio laborans.

V

PARTES MOLLES MORBOSAE.

PARTES MOLLES MORBOSAE.

Praeparata, phialis in idoneo liquore contenta.

N°. I. Durae matris pars ſuperior variis fungis obſeſſa. Recens caput feminae, ad meum Theatrum delatum, extrinſecus nullam labem manifeſtabat, mox vero atque integumenta de oſſibus frontis verticisque ſeparabantur, ſub pericranio tumores varii diverſae magnitudinis, non admodum elevati, ichoroſo ſanguine diſtenti, conſpiciebantur; hi ad attactum molles ab interioribus videbantur provenire, & viam ſibi per oſſeam ſubſtantiam formaſſe. Ex iis, quae alii de fungis durae matris memoriae prodiderunt, & figuris illuſtrarunt, videbar naturam praeſentis morbi divinare poſſe, & ſtatuebam, ſimiles hic latere fungos, qui ſenſim oſſeam ſubſtantiam conſumſerant; horizontalem itaque cranii ſectionem inſtitui, &, ſuperiore parte conceptaculi cerebri ab inferiore ſeu baſi ſublata, fungoſam omnino duram matrem eſſe luculenter patuit. In utroque latere dura mater admodum erat inaequalis, & a latere dextro praecipue duo majores, pluresque minores, a latere ſiniſtro quatuor majores, minores multi, cernebantur fungi, qui, pro ratione ſui voluminis ultra ſuperficiem durae matris prominentes, oſſeae cranii ſubſtantiae adeo firmiter inhaerebant, ut absque adhibita majori, quam ſolet, vi ſeparari cranium non potuerit, & tunc etiam fungi pro parte ſint lacerati. Cernuntur illi fungi hoc in praeparato, praecipue prior dextri lateris, qui foveam ſui ſatis profundam impreſſerat ſubſtantiae cerebri, quales foveae aliae minores aderant, factae per fungos alios. Mirum tunc temporis mihi videbatur, nullam notabilem ſubiiſſe cerebrum mutationem, imo malum ad piam matrem non penetraſſe, ſed illam in fundo illarum fovearum aeque integram ſanamque eſſe, ac in omni loco alio. Sed exemto cerebro, examinatis oculorum foraminibus, maxilla inferiore, conſtitit, latere in omnibus

nibus ossibus mali fontem, haec venerea lue fuisse exesa, acrem materiem adfecisse duram matrem, hanc tunc in fungos degenerasse, qui procrescentes sine dubio sese foraminibus, in osse jam tunc praesentibus, accommodarunt, & sensim sensimque foramina majora reddiderunt. Similia etenim vitia aderant in locis, ubi nulla dura mater subjecta est, eodemque malo latus dextrum maxillae inferioris, Atlas & Epistropheus, fuere correpta. Plexus choroïdei obsessi erant singularis naturae tumoribus oblongis, majori in altero, minori in altero latere, ovatis, non admodum duris. Vasa praeterea multis hydatidibus erant obsessa. Conf. dicta ad Sect. IV. N. XXXV. pag. 152. & 153. Fungi autem delineati sunt Tab. XXV. Fig. 1. & 2.

II. Fungus durae matris insignis magnitudinis; inventus in cranio strenui potatoris, qui, varia passus mala, demum apoplecticus mortuus erat. Ossis frontis degeneratio erat notabilis, ut constitit inter morbos ossium N. XX. pag. 142. & 143. Fungi hujus, una cum dicti ossis, icones datae sunt Tab. XIII. Fig. 6. 7. 8. & 9.

III. Durum, ferme cartilagineum, corpusculum, quod nervo auditorio adhaesit. Adnectebatur non tantum firmiter parti inferiori dicti nervi, sed & cohaerebat cum proxima medullae oblongatae parte, unde septimum hoc nervorum par egreditur, sese pariter insinuans foramini, in parte interiore partis petrosae ossis temporis obvio, quod dictus nervus intrat. Longitudo hujus corpusculi erat sex linearum; latitudo in parte latiore quinque, in parte minus lata trium; crassities quatuor lineas circiter aequabat. Superficies valde inaequabilis erat, praecipue in illa parte, quae conceptaculi cerebri basin respiciebat, & in varia majora minoraque tubercula adsurgebat. A nervo separari absque laesione non potuit, ex foramine etiam, quod nervus intrat, non plane liberari, facilius a parte medullae oblongatae. Dissectum hoc corpusculum corticem, seu partem exteriorem, exhibuit duriorem, interiorem substantiam molliorem quidem, sic tamen, ut particulae duriores essent interspersae. Qualia mala a compressione talium corpusculorum oriri possint, olim ostendi Observat. Anatom. Patholog. Lib. 1. cap. 9. pag. 118. seq.

IV. Scirrhus insignis cerebelli ex infante. Est Supellectilis Doeverenianae P. 1. N. CCXIII. Conf. Musei hujus pag. 111.

V. Tumor notabilis Parotidis ante & pone aurem, ipsi adhuc adhaerentem, sese extendens, magnitudine caput infantis aequans.

VI. Mamma enormis molis, cujus pars inferior in ulcus pessimae notae degenerarat. Feminam aliquoties ipse vidi, examinavit autem eam de tempore in tempus dexterrimus Chirurgus Haver, qui Historiam morbi sequentem communicavit. Mense Septembri 1784. vidua, sexaginta & novem annos nata, sese obtulit, cujus mamma dextra insigniter a statu naturali recedebat & magnitudine & colore. Erat temperamentum aegrae sanguineo-phlegmaticum, animus hilaris, sanitas satis perfecta, sic ut optime appeteret, digereret, & evacuationes etiam legi naturali obedirent. Somnus satis erat tranquillus, quantum nempe permittebat tumoris moles. Nunquam morbo quodam notabili laboraverat; octies felicissime pepererat, omnesque infantes proprio lacte nutriverat. A puerperiis citissime refecta ad solitos eosque duriores labo-

labores redire potuerat. Domos aliorum depurare, veſtimenta lavare, per totum diem aſſueta, verſus noctem domum redux, ſua domeſtica negotia curare coacta erat, ut panem ſibi ſuisque lucraretur. Circa annum 1777. primum mali initium perceperat; aderant tunc parva tubercula in parte inferiore mammae; licet ipſa haec vix attenderet, attamen lintea calefacta, ex conſilio alius feminae, ipſis impoſuit, eo effectu, ut diſparuerint, uno excepto, omnia, quod, magnitudinem grani hordei habens, a latere exteriore papillae remanſit. Vix dolores in hoc tuberculo animadvertebat, hi tamen ſenſim adaugebantur, aucta ſimul magnitudine, tuncque calefacta linteamina nullum amplius levamen attulerunt. Anno 1781., quando mammae volumen jam maxime erat adauctum, chirurgi auxilium imploravit, qui nulla adhibenda eſſe remedia cenſuit. Ovi gallinacei magnitudinem tumor tunc acquiſiverat, & illius conſilio fidens nulla etiam in uſum vocavit medicamina. Praeter pondus vix ullum incommodum percipiebat, licet de tempore in tempus moles adaugeretur, & ſolito operi vacaret quotidie. Increſcebat vero tantopere, ut verſus finem anni 1783. ab opere deſiſtere coacta fuerit, poſtquam aliquamdiu ſuſpenſorio pondus ſublevare conata eſſet. Initio anni 1784. alius exploravit conſilium, mamma tunc virile caput magnitudine ſuperabat. Quum ille, praeter palleativa remedia nulla cum fructu adhiberi poſſe, ſtatueret, hoc ipſi edixit, rogavitque, ut ipſam de tempore in tempus examinarem, curamque ipſius gererem. Attamen non, niſi menſe Septembri inſequente, ut ſupra dictum, me petiit. Tumor mammae tunc erat enormis, inaequalis, nonnullis in locis admodum durus, & tumidus, aliis mollior, depreſſior, quamdam fluctuationem digito offerens. Vaſa admodum erant tumida, & nonnulla a clavicula verſus mediam mammam deſcendebant, quae craſſitie digitum ſuperabant. Integumenta a ſummo collo, propter pondus tumoris, admodum erant expanſa, unde ſummum exoriebatur incommodum. Satis hilaris & caeterum ſana potum cibumque avide aſſumebat, naturalesque erant evacuationes; ſomnus tamen erat inquietus, quoniam non, niſi in latere, decumbere poterat, ſic ut ſimul pulvinari mamma ſuſtineretur. Commode ſatis ſedebat, quoniam mamma genubus tunc incumbebat. Linteamina pura tumori tantum adplicabantur, diacta ſervabatur exacta, omnis preſſio evitabatur, & tunc ſpatio quatuor menſium vix ulla obtigit mutatio, praeterquam quod magnitudo inſenſibiliter adaugeretur. Poſtea vero, verſus finem Januarii 1785. ſymptomata alia ſeſe obtulerunt, dolores nempe lancinantes, coloris mutatio, incrementum notabile, ſomnolentia, appetitus proſtratus, ſitis, febris, & haec omnia ſenſim adaugebantur; principio martii maculae hic illic cernebantur purpureae, quae linteis, aqua vegeto-minerali Goulardi imbutis, tegebantur; eodem menſe verſus finem vergente exaſperabantur omnia ſymptomata. A principio tumoris parum infra claviculam ſupra papillam ad abdomen diſtantia erat circiter triginta pollicum, a latere corporis ad ſternum pollicum viginti & ſeptem. Nec ſubſtitit ab eo tempore tumoris incrementum, donec disrumperetur. Monſtraverant ſeſe jam ſubinde maculae gangraenoſae, epidermis in veſiculas adſurrexerat, quae materiem nigricantem, foetidam, continebant. Hae apertae fundum gangraenoſum, putridum, monſtra-

ſtrabant. Ulcus ſic natum eſt, quod maxime ſeſe extendebat, tantamque amplitudinem acquirebat, ut pugnum facillime admitteret. Suborta tunc haemorrhagia inſignis. Ad ſuperiorem mammae partem duae etiam erant exulcerationes putridae, quarum ambitus quotidie ſeſe extendebat. Foetor tunc erat intolerabilis, & dolor ſummus. Initio Aprilis bis notabilis ſuborta haemorrhagia ex disrupto magno vaſe. Debilitas hinc inſequuta ſumma; febris, ſomnolentia, dolor, foetor, ſitis, vix erant tolerabiles; accedebant aphthae, quae ſubinde ſeparabantur, ſic tamen ut deglutitio difficillima, ſaepe plane non poſſibilis, eſſet. Animo tamen conſtabat patientiſſima aegra, vires ſenſim imminuebantur, exulceratio de die in diem adaugebatur, &, licet jam ab aliquo tempore ne corpus quidem erigere valuerit, ſed ſemper eodem in ſitu decumbere debuerit, licet vix ulla aſſumeret alimenta, vixit tamen ad decimum quintum Maji, qui miſerrimae vitae impoſuit finem. Conf. Tab. CIV.

VII. Cor & pulmones ex foetu immaturo, vario ſenſu morboſo. Fabrica hujus cordis admodum ſingularis eſt. Cum dextro ventriculo communicat arteria aörta & pulmonalis; dexter ventriculus praeterea cum ſiniſtro, ſic ut hic ventriculus quatuor habeat oſtia, primum, quo ex ſinu venoſo ſanguinem accipiebat, ſecundum & tertium, per quae in arterias ſanguinem propellebat, quartum quo ambo ventriculi communicabant. Aörta tamen communicat cum ventriculo ſiniſtro, habetque duo orificia, alterum majus, in dextrum ventriculum hians, alterum minus, ex ſiniſtro ſanguinem accipiens. Orificium arteriae pulmonalis non admodum amplum & duabus tantum valvulis inſtructum. Canalis arterioſus admodum anguſtus, omnino tamen pervius, non arteriae pulmonalis continuatio, ſed rami ſiniſtri ramulus videbatur.

Foetus, in cujus cadavere deſcriptum cor inveni, ſeptimo graviditatis menſe in lucem erat emiſſus, & varia alia notatu digna exhibuit.

Longitudo totius corpuſculi erat circiter duodecim pollicum. Caput, lateribus maxime compreſſum, a mento ad ſummitatem quatuor pollices & dimidium altum erat; diſtantia ab una aure ſupra verticem ad alteram ferme ſeptem pollicum. Aurium forma non naturalis. Verticis oſſa ſeſe retrorſum deorſumque multum extendebant, ſic ut occipitis os, parvum admodum, ferme transverſim poneretur, & ſolus apex ipſius, ad angulum ferme rectum reflexus, ſuperiora ſpectaret, quod in depurato cranio, a me ſupra pag. 164. deſcripto & Tab. XXXII. Fig. 6. & 7. delineato, melius cerni poteſt. Collum vix ullum aderat. Thorax extrinſecus non male conformatus, ſolito tamen magis compreſſus. Abdomen morboſum. Umbilico quippe inhaerebat tumor, circumferentiam ſeptem pollicum cum dimidio habens, hepar, inteſtina, partesque alias, per tranſparentem membranam quodammodo conſpicuas, continens. Diſtabat funis a margine cutaneo lateris dextri quinque pollices, ſic ut linea, ab uno latere in oppoſitum ducta, ſex pollicum longitudinem haberet, dum illa, quae ſeſe a ſuperiore ad inferiorem partem extendebat, ſeptem pollicibus aequalis deprehendebatur. Infra tumorem venter admodum complanatus, contractus, erat. Penis rite quidem formatus erat, ſed nulli in ſcroto deprehendebantur teſtes. Femoris oſſa, ſuperiore parte cum innominatis rite articulata, ſenſim verſus

verſus inferiora una cum cruris oſſibus ſic contorta erant, ut non genu, ſed poples, ab anteriore conſpiceretur, & pedes mirandam formam ſingularemque haberent ſitum. In dorſo hiatus erat, tres pollices longus, ſuperiore parte non adeo latus, ſed in medio & ultra illud lateſcens, deorſum anguſtatus. Margines hiatus lividi, interiora omnia rubicunda erant. Suprema in parte veſicula conſpiciebatur, humore plena, infra illam hiatus ſpinae digitis percipiebatur, tum vero prominebat inſigniter os ſacrum. Veſicula formabatur a medulla ſpinali, in tumorem parvum exſurgente, tota degenerata, ſanguinolenta, nec ultra hunc locum ſeſe extendente. Integebat hiatum totum tenera membrana, qua ſeparata dictus medullae finis demum apparuit. Partes laterales oſſeae vertebrarum multum ab invicem receſſerant, conſumta cartilagine, quae illas caeterum nectit, & in proceſſum ſpinoſum tempore procreſcit.

Tumor abdominis, inter ſemotos, & rotundulum marginem formantes, muſculos rectos exiſtens, conſtabat peritonaeo, maxime elongato, & in principium funiculi umbilicalis protruſo, ſic tamen, ut hoc magis verſus dextrum, quam verſus ſiniſtrum, latus eſſet extenſum. Ut funis gelatinoſa flava ſubſtantia plenus erat, ſic ſimilis inveniebatur inter expanſam funiculi radicem & peritonaeum, etiam quoad craſſitiem degeneratum, ſic ut integumenta haec tumoris eſſent admodum turgida.

Aperto tumore mox in conſpectum venit hepar, maximam tumoris partem occupans. Hoc, ex ſede ſua protruſum, adhaerebat, ligamenti lati ope, illi peritonaei parti, quae tumorem formabat, ſic ut extrinſecus etiam conſpiceretur, per integumenta tumoris tranſparens. Lieni, ſolitum latus occupanti, adpoſitus erat parvus alius, vaſi arterioſo & venoſo adhaerens. Inter hepar & lienem parva ventriculi portio ſeſe offerebat. Infra dicta viſcera inteſtina tenuia apparebant, quae deſinebant in coecum, ſiniſtrum latus occupans. Adhaerebat ileo diverticulum vel appendix, in latere dextro ſeſe exhibens, communicans cum tubo inteſtinali, & aërem, inteſtinis immiſſum, admittens in mucronem usque, qui incurvatus, ſolidus, tuberculatus.

Hepate una cum liene & inteſtinis reclinato, ventriculus conſpiciebatur, qui irregularem habebat figuram. Primo in ſaccum dilatatus, dein contractus, tum iterum dilatatus, porro contractus, ad pylorum, extrinſecus ſeſe optime forma annulari monſtrantem, deſinebat. Renes ſuccenturiati, exemtis reliquis viſceribus oculis ſeſe exhibentes, integebant corpora, magna, tumida, &, ut videbatur, contento humore turgida, renum locum occupantia; infra haec alia ſimilis naturae aderant. Sequebantur in quoque latere teſtes cum ſuis vaſis, dein veſica urinaria tumida; pone hanc inteſtinum rectum, & juxta eandem arteria umbilicalis, ad urachum, ex ſuperiore parte veſicae urinariae, nunc parum antrorſum & deorſum promotae, enaſcentem, accedens. In vaſis per abdomen decurrentibus extraordinarii nihil detexi, praeterquam quod unicam tantum umbilicalem arteriam, ex iliaca interna enatam, viderim. Renes vero ſingulari ſeſe habebant modo. Dexter, ſesqui pollicem longus, ejusdem circiter latitudinis deprehendebatur; ſiniſter, duos pollices longus, duos circiter latus erat; uterque admodum tumidus, in ſaccum expanſus, cujus ſuperficies inaequa-

quabilis tuberculata erat. Quisque unam arteriam, unam etiam venam, accipiebat; & in quoque latere haec vasa in duos findebantur ramos, antequam renes attingebant, seseque per externam eorum partem (substantia enim interna tota consumta erat) distribuebant. De pelvi nihil distincti cernebatur, cum toti renes quasi expansae pelves essent, in quoque tamen latere, ibi loci ubi vasa intrabant, vesicula quaedam conspiciebatur, eodem humore, quem continebant renes, distenta. Inde producebantur ureteres. Horum dexter mox insigniter dilatabatur, sic ut ab anteriore circiter pollicem latus esset, circumferentia autem duos pollices excederet; sic aliquamdiu progressus, sensimque capacitate imminutus, tandem adeo contrahebatur, ut canalem hujus naturae ex adulto homine aequaret, porro iterum, non tamen tantopere ac in parte superiore, expansus, demum vesicae urinariae sese inserebat. In sinistro latere principium ureteris maxime erat contractum, dein nunc contrahebatur, nunc dilatabatur, sic ut quoad capacitatem inter hunc atque dextrum insignis daretur differentia. Cohaerebant renes partibus inferioribus. Vesica urinaria, supra pelvim multum adsurgens, contento humore tumida, a posteriore tres exhibebat prominentias, quae, aperto postea lotii receptaculo, totidem appendices erant, intus cavae, distinctis ostiis cum capacitate vesicae communicantes. Superiori vesicae parti impositus urachus rotundulam quasi vesicam offerebat, & aperto ostio cum vesica communicabat, quod quidem orificium dictarum appendicum aperturas superabat.

Sternum insolitum Sect. IV. N. CXC. pag. 179. descriptum est, & cartilaginum costas ipsi adnectentium defectus notatus. Cor vero, in principio hujus articuli memoratam, rarissime ab aliis visam, conformationem exhibuit. Quae omnia latius exposui, & figuris illustravi Observat. Anatom. Patholog. Lib. 3. cap. 1.

Licet autem merito rarissimam illam cordis conformationem vocare possim, tamen similis antea sese mihi obtulit casus in infante duodecim annorum, qui hic loci omnino videtur inserendus.

Sanis parentibus procreatus, sanus in lucem emissus die 17. Nov. 1764, infans non matris sed nutricis ubera traxit, nutricis, quae, convulsivis symptomatibus obnoxia, ultra sex septimanas eundem lacte alere non valuit; alia dein, saniissima, hilaris, optimo lacte abundans, per integrum annum ipsi mammas praebuit, sic ut bene crescceret, & primum aetatis annum ferme impleverit saniissimus, nulloque morbo correptus.

Sed, primo aetatis anno vix ac ne vix quidem elapso, sese terribilium symptomatum, quae postea adeo gravarunt miserum, monstrarunt initia. Digitorum quippe unguiumque livor, non continuus, sed nunc magis nunc minus visibilis, parentum attentionem in se traxit, praesertim quum nulli compressioni vestimentorum, quae incusanda videbatur, adscribi posset; tantus tamen hic non erat, ut Medici consilium aut & auxilium imploratum sit, quum caeterum sanus videbatur infans, & sensim pedibus inniti non tantum, sed & incedere incipiebat, sic ut, secundo aetatis anno nondum elapso, solus obambularet.

Tum vero de lassitudine conquerebatur insigni, mox atque corpus moveret, etiamsi

etiamſi vix tantum, quantum ſolent illius aetatis infantes. Acceſſit catarrhus, gravi anxia tuſſi ſtipatus, &, dum praeſcriptum ab ordinario medico remedium pertinaciter recuſavit, ſubſequente die in facie detegebantur maculae plurimae; primum rubrae, deinde lividae. Tuſſis de tempore in tempus vexabat, motus ſenſim erat moleſtior, &, ubi ſeſe defatigaverat, facies, manus, pedes livescebant inſigniter, imo tunc labiorum & linguae color ad nigrum ſaepe vergebat, quiete rurſus in naturalem mutandus; & hae viciſſitudines ferme quotidie obſervabantur. Interea longitudo corporis augebatur multum, appetitus ſatis vigebat; & non niſi de laſſitudine, dolore preſſorio in ſuperiore parte capitis, de anxietate, praeſertim tempore hyemali, de frigore tanto, interno etiam, ut focus hyeme vix calidum corpus redderet, aut aeſtate ardentiſſimi ſolis radii naturalem non praeſtarent effectum, multo minus ſudores elicere poſſent, conquerebatur.

Initio Martii 1767. venaeſectio eo effectu inſtituta, ut & anxietas & preſſorius capitis dolor pro tempore imminuerentur. Sanguis tunc craſſus ater fuit, &, frigefactus poſtquam fuerat, craſſamentum ſeſe a ſero non ſeparavit.

Eodem anno ad finem vergente variolas ſuperavit facile, anxietate tunc temporis non adaucta; paucis menſibus elapſis, morbillis, deinde variolis ſpuriis, laboravit, iisque princeps malum neque adauctum neque imminutum fuit. Ab hiſce autem reſtitutum morbis ſymptomata dicta vexarunt, mox atque corpus moveret, praeſertim anxietas, quam tunc & ſaepe poſtea vehementes adeo cordis palpitationes concomitabantur, ut oculis perſpici imo & audiri enormes cordis ictus potuerint. Equitatio tum propoſita, ut absque defatigatione corpus moveretur, neque utilitatem adtulit, neque diu perferri valuit.

Clar. Gaubius, anno 1769. in conſilium vocatus, motum, qui absque defatigatione fieri poſſet, omnino neceſſarium duxit, balneumque frigidum bis de die eſſe adhibendum ſuaſit, ſic ut aqua primo die ad genua, ſecundo ad abdomen, pertingeret, ſequentibus altiora loca peteret, donec ad collum perveniſſet; eoque per quadrantem horae adhibito, inſtituendum motum, hoc vero impoſſibili, infantem lecto imponendum, corpusque ſedulo fricandum, abſtinendum autem eſſe ab hoc remedio, ſi forte moroſus infans reluctaretur, monuit. Tale vero balneum non ſaepe fuit adhibitum, quum enim thorax aquae ſemel fuerat immerſus, tantis anxietatibus fuit correptus, ut aquam cum tranquillitate intrare recuſaverit penitus. Leni itaque motu, repetita de tempore in tempus venae ſectione, malum ſuperare aut tolerabilius reddere, conati ſunt, ſed absque fructu. Permanſit in eodem ſtatu. Anxietatem, ubi haec ad ſummum gradum devenerat, concomitabatur tuſſis ſicca, tolerabilior, quando anxietas imminuebatur. Oris halitus tunc temporis fuit inſolitus, comparandus cum eo, qui ex ovo recenti cocto & ſtatim aperto exire ſolet.

Triſtis haec malorum ſeries nunc magis nunc minus infantem vexavit ad annum 1774., tunc vero anxietas adeo adaucta eſt, palpitationes tam vehementes fuere, ut gradu praecedentes omnes acceſſus hic longe ſuperaverit; leipothymiae, dolor capitis preſſorius, tumor venarum jugularium, illarumque undatio ſeu pulſatio, ob-

 fer-

ſervata ſunt. Equitatione plane impoſſibili, ne ab omni abſtineret motu, curru quotidie vel altero die vehebatur. Sectâ menſe Majo venâ anxietas rurſus imminuta, corpusque ad motum alacrius redditum, ſic ut ſubinde per horam obambulaverit absque magna defatigatione, & ſpem recuperandae ſalutis ſuſciperent parentes. Verum autumnali tempore omnia ingraveſcebant ſymptomata; ſicca & anxia tuſſi ſputa ſanguinolenta, ſubinde purus ſanguis, ejiciebantur, quamobrem menſe Novembri, quatuor dierum ſpatio, bis ſanguis e corpore detractus fuit. Perſiſtebat tamen anxietas, imo haec ſubinde tanta erat, ut mors propinqua videretur, & infans ipſe perciperet, ſe non diu ſuperfuturum, ſaepiſſime adfirmans, malum, quo laborabat, omnibus omnino incognitum, incurabile eſſe, neminemque comprehendere poſſe, quid ipſe in ſede cordis perciperet. Decimo quarto Decembris iterum inſtituta venae ſectio levamen aliquot dierum attulit, ſed gradatim rurſus in pejus vergebat malum, adeo ut hyems, ipſi infanti ferme intolerabilis, parentibus etiam ſummas crearet moleſtias.

Inſequenti menſe Aprili, ut & Julio, repetitae venae ſectiones, decocta aperientia depurantia largiter epota, & totum hunc ſupervixit annum, absque ut vel ullum perciperet levamen. Febris per totum morbi decurſum vix unquam animadverſa.

Quae, initio anni 1776. infantem examinans, Clar. Hahn praeſcripſit, levamen pro tempore attulerunt, ſenſim tamen malum in pejus vergebat, motus plane reddebatur impoſſibilis, &, ſi corpus vel parum exercebat, inſignem aquae copiam ore demittebat, leipothymia corripiebatur, & per aliquod temporis ſpatium nil omnino videre poterat. Quaecunque tunc adhibebantur media fruſtranea fuerunt, anxietates augebantur inſigniter, praeſertim cum lectum petebat, quae antea placebant, jam nihil amplius ipſum adficiebant, intumeſcebat facies, oedemate corripiebantur pedes, miſerrimamque traxit vitam ad diem octavum Martii 1777., quo, ſumma anxietate correptus, vivere deſiit.

Quae ultimo anno fuerunt animadverſa, Clar. Hahn mecum humaniſſime ſequentibus verbis communicavit.

„ Puerum caeruleatum, de quo varii per urbem rumores ferebantur, primum vidi inter initia anni 1776. Agnovi protinus morbum, cujus famam & admirabilitatem, quod ſaepius evenit, praeſentia aegri minuebat. Aſthmaticus enim erat puer, & poſt leviſſimum corporis motum adeo difficiliter ſpirabat, ut facies ac manus, velut in ſtrangulato, liverent, & ſubinde coeruleo pigmento tinctae viderentur.

Sed cauſa tanti tamque diuturni aſthmatis obſcura erat; & ne quidem de initio mali conſtabat. Aſſerebant Parentes, confirmabat Medicus, ſanum in lucem prodiiſſe puerum, nec primo aetatis anno male adfecti pectoris indicia ulla dediſſe; altero demum anno caerulantem colorem & ſigna aſthmatis apparuiſſe, nec malum fuiſſe aſſiduum, ſed modo gravius modo levius, ſic tamen ut progreſſu aetatis una cum creſcente corpore incrementa caperet.

Species pueri & forma erat decora; ſtatura pro aetate procera; juſta membrorum proportio, ſpirandi ſemper aliqua difficultas, etiam ſecundum quietem, praeſertim

ſertim tempeſtate aquilonari; ſed longe major poſt corporis motum. Facies quoque ſemper aliquantum turgida; oculi protuberantes, ſtabiles, moleſtiae alicujus teſtes; color & habitus faciëi urgente aſthmate talis, qualis in hominibus per hyemem adverſo vento diu & acriter ambulantibus conſpici ſolet. Tunc genae, naſi apex, auriculae, item manus, digiti, ungues livebant; labia, lingua, oris interiora erant ſubinde atro-purpurea. Carotidum pulſatio eminus conſpicienda; pulſus arteriarum ad carpos varius & fallax.

Animus ingenioſi pueri valde mutabilis, plerumque difficilis & quaſi indignabundus, ſubinde ad breve tempus hilaris, ſic tamen ut ſubridentis frons & oculi inhaerentem aegritudinem declarare pergerent. Redibant protinus querelae varii generis; de cephalalgia, maxime ſecundum ſuturam ſagittalem, de otalgia, de dolore pectoris & hypochondrii ſiniſtri, de nauſea, de dolore ventris ad pubem interdum extenſo, de ſenſu frigoris, aliisque moleſtiis.

Et ſane ut phaenomena diverſis temporibus diverſa ſpectabantur, ſic querelarum cauſae variae erant. Conſtantia & perpetua haec vidi.

1. Magnam ſpirandi difficultatem poſt corporis motum, & ſpectabiles vaſorum in collo pulſationes.

2. Faciem pleniorem, quam proportio carnium in artubus ferebat, eandemque inter anhelitus liventem, oculis turgidis, & ſanguine interdum ſuffuſis.

3. Urinam ſemper ſaturato colore, ſine ſedimento.

4. Alvum tardiſſimam, non modo tempore anorexiae, ſed etiam vigente cibi appetitione.

5. Aſſiduum frigoris ſenſum, etiam calente ad tactum cute, qui puerum non deſerebat, niſi in lecto poſt plenam corporis calefactionem; nam & hyeme juxta focum ſedens de horrore & algore querebatur, & per aeſtatem ardentiſſimos ſolis radios aut ignem culinarem deſiderabat.

Denique & hoc conſtanter vidi, mollem ventrem, & ſanguinis e naribus fluxum, qui per intervalla incidebat, magnum identidem levamen attuliſſe.

Phaenomena abunde docebant, ſanguinis deſcenſum a capite, ejusque per pulmones tranſitum eſſe impeditum; ſed quod, quale, ubi obſtaculum eſſet, certis indiciis nequaquam conſtabat. Difficultatem inveſtigationis augebat Parentum & Medici amici affirmatio; malum connatum non eſſe. Quo aſſumto haud abſurda mihi videbatur haec conjectura: pernicioſos prunarum halitus tenerum pulmonem in prima infantia vitiaſſe, & pertinaci aſthmati occaſionem dediſſe, cum viderim aliquoties a prunis non bene exuſtis, in cubiculo perflatum nullum habente per hyemem poſitis, perennia pectoris mala inducta.

Pericula feci varia, partim ad detegendam mali cauſam & ſedem, partim ad minuendam ſymptomatum moleſtiam. Vana fuerunt pleraque, neque remedia quicquam profecerunt, praeter haec tria.

1. Hirudines ad collum & pone aures adhibitae dolores capitis notabiliter ſedabant.

2. Cum lingua valde ſordida, ſpiritus oris foetidiſſimus, anorexia, inflatio praecordiorum ſolito major, fuerint, lene emeticum evidenter profuit, & ad plures dies.

3. Prae-

3. Praecipuam tamen opem praeſtabant pilulae catharticae, ea moderatione datae, ut alvus mollis ſervaretur, nec tamen liquida fieret." Hactenus Hahnius.

Inſtituta a me fuit, rogatu Parentum, Cadaveris ſectio die 10. Martii omni cum cura. Solum pectus cum collo fuit apertum, quum, malorum omnium fontem atque originem in eo deliteſcere, ſymptomata abunde probaverant.

Color integumentorum licet non adeo lividus fuerit, quam in vita, ſtagnante quippe maxima ſanguinis in corde aut vaſis majoribus parte; horum tamen & ſubjectorum muſculorum ſeparatio taedioſa erat, tantum enim in vaſis, minoribus etiam, adhuc aderat ſanguinis, ut continuo efflueret, & maximo eſſet impedimento, adeoque multum temporis fuerit inpendendum, antequam oſſa penitus eſſent denudata, & thorax aperiri potuerit. Tunc autem ſternum, a claviculis liberatum, ſeparatis musculis, diffractis in quoque latere ſex ſuperioribus coſtis, ad abdomen reflexum fuit.

Aperta ſic thoracis capacitate, unica maſſa conſpiciebatur, totum ferme cavum adimplens, & pulmones quam maxime comprimens. Haec autem maſſa pericardium erat, continens diſtentum maxime, & ſanguine repletiſſimum, cor. Extendebat ſeſe a diaphragmate (quod in dextro latere ad coſtam quintam, in ſiniſtro tantum ad ſextam adſcendebat) ad locum medium inter primam ac ſecundam coſtam, ac laterales thoracis partes tantopere replebat, ut pulmonis dextri portio tantum anterior, margo nempe lobi ſuperioris & medii, conſpiceretur, ſiniſtri vero non niſi exigua pars a parte laterali ac ſuperiori ſeſe manifeſtaret. Supra pericardium vena cava ſuperior una cum ſubclaviarum principiis, parte thymi adhuc tectis, conſpicua, ſanguine atro intumeſcebat.

Pericardio diſſecto aquae copia quaedam effluxit, neutiquam vero tanta, quin ſaepe in cadaveribus, nullo hydrope adfectis, talis imo longe major detur.

Cor autem, a ſacco ſuo liberatum, turgidiſſimum erat, non tamen ambo ventriculi ad eundem gradum erant diſtenti, ſed dexter ventriculus, una cum ſinu atque aure ipſi adpoſitis, inſigniter, & multo magis quam ſiniſter, ſanguine turgebat, venaeque omnes, per externam cordis ſuperficiem incedentes, coronariarum rami, ad minutiſſimos ferme fines adeo dilatatae erant, ut feliciſſima etiam injectio illas diſtinctiores reddere neutiquam potuiſſet.

Venae ex ſubclaviis enaſcentes, praeprimis jugulares, enormiter ſanguine repletae erant, tenui, atro. Cava ſuperior, ubi intra pericardium haeret, capacitate naturalem non multum exeedebat, inferior vero ſolito magis erat expanſa. Pulmonales turgidae quidem, ſed non ultra modum. Aörta magis quam ſolet in principio dilatata, ſed arteria pulmonalis eo loco, ubi ex corde oritur, tantopere contracta erat, ad bifurcationem ferme usque, ut omnium in ſe traheret attentionem. Canalis arterioſi, ſeu potius hac aetate ligamenti, ex pulmonali arteria in aörtam tendentis, olim pervii, nullum adfuit veſtigium.

Pulmones extrinſecus nullam manifeſtabant labem; parvi tamen, compreſſi, non admodum extenſiles, ſatis docuerunt, officio ſuo, omni ſenſu, rite fungi non valuiſſe.

Vel externa cordis contemplatio, mali ſedem omniumque ſymptomatum unicum fon-

fontem in ipſo deliteſcere, docebat. Hoc itaque, ligatis vaſis omnibus, tum quae a trunco accipit aut ipſi tradit, tum quorum ope cum pulmonibus cohaeret, a trunco, a reſpirationis organis liberatum, ulteriori examini fuit ſubjectum.

Apertus primo ſinus dexter cum aure fuit, ut, copioſo tenui atro ſanguine emiſſo, capacitas haecce primo luſtrari valeret. In pariete inter dextrum atque ſiniſtrum ſinum obvio foramen ovale aperturam monſtravit, quae craſſiorem ſtilum admittebat.

Digitus, ventriculo dextro immiſſus, dein apice incurvatus, ac verſus orificium arterioſum pulmonalis arteriae, ſolito more ex hoc ventriculo enaſcentis, promotus, illud orificium nullo modo detegebat, verum absque omni difficultate in alterum, illudque capaciſſimum, admittebatur. Sed quanta adſtantium, quanta pariter mea fuit admiratio, ubi vidimus, apicem digiti in arteriam aörtam, nullam omnino, juxta conſtantes caeterum naturae leges, cum ventriculo dextro communicationem alere ſolitam, pertingere.

Ventriculus eapropter dexter in loco, oppoſito illi valvulae, pone quam aditus ad orificium arterioſum eſt, ad apicem usque findebatur, atque tunc digitus non tantum verum oculus, ſublata parumper dicta valvula, orificium capax aörtae detegebat, una cum margine glabro, ultra quem propulſus & deorſum tunc promotus digitus in alterum, ſiniſtrum, cordis ventriculum pertingebat. Secta, ad ſufficientem a valvulis ſemilunaribus diſtantiam, arteria aörta & examinata, eundem illum marginem monſtravit, quo orificium dividebatur in partem majorem, cum ventriculo dextro communicantem, in minorem, ventriculo ſiniſtro adſcribendam.

Arteria itaque aörta enaſcebatur ex ventriculis ambobus, & ſanguinem omnem ex utroque accipere debebat. Hoc autem notatu digniſſimum magnae arteriae principium, alia ſectione facta, tanto melius oculis ſeſe exhibuit; luſtrato prius arteriae pulmonalis orificio.

Haec arteria, ſupra valvulas abſciſſa, has parvas admodum, ferme concretas, & ſubſtantia quadam granuloſa, carneas excreſcentias referente, obſeſſas exhibuit, ſic ut non niſi exiguum relinqueretur ſpatium, quod, apicem tenuioris ſtili admittens, huic aditum ad ventriculum dextrum praebebat, eundem vero difficilius a ventriculo ad arteriam transmittebat. Loco inter duas valvulas medio apertum hoc orificium poſtquam fuerat, duas tantum valvulas vidimus, diſformes, pro parte dicta granuloſa ſubſtantia obſeſſas, qualis in arteria ſupra valvulas ſeſe etiam exhibuit.

Diſſecta tunc ſinus dextri illa parte, quae aörtae propinqua eſt, una cum arteria ipſa, in illo orificio integrae duae valvulae, pone quas coronariarum arteriarum orificia dantur, ſeſe monſtrarunt, tertia medio loco ſecta erat. Margo glaber, rotundus, viam verſus dextrum & ſiniſtrum ventriculum diſtinguens, parietem, inter duos ventriculos medium, in ſuperiore parte terminans, pulchro ſeſe exhibuit modo, ac nullum omnino dubium reliquit, quin arteria magna communicaret cum dextro aeque ac ſiniſtro ventriculo.

Sinus ſiniſter apertus, parvus, praeter aperturam foraminis ovalis, nihil exhibuit. Ventriculus etiam ſiniſter nil inſoliti oſtendit, praeter dictum marginem in principio arte

arteriae aörtae. In craſſitie ventriculorum tanta non animadvertebatur differentia, quanta plerumque locum habere ſolet, ſed dexter, ſi non craſſior, aequalem craſſitiem ac ſiniſter habebat. Nullibi polypoſa concretio obſervata.

Qui pleniorem rariſſimi hujus caſus explicationem deſiderant, evolvant Obſervat. Anatomico-Patholog. Lib. 1. cap. 1. Lib. 4. cap. 10. pag. 106.

VIII. Cor, cum parte oeſophagi, arteriâ aörtâ, ulceratâ, & disruptâ, ſic ut ſanguis omnis in oeſophagum ſit effuſus. Morboſa haec partium diſpoſitio viſa in cadavere feminae, anno 1787. diſſectae. Aperto abdomine ventriculus, turgidus admodum, ad umbilicum ferme deſcendebat. Exemtis inteſtinis, cum ligatura duodeno injiceretur, offerebat ſeſe ſanguis, qui, compreſſo ventriculo, ad maximam quantitatem evacuabatur. Coagulatus quidem erat, ſed videbatur longe alius naturae, quam eſſe ſolet is, qui ex viſceribus abdominalibus ventriculo non raro infunditur, & vomitu cruento (morbo eo tempore admodum frequenti) ſaepe rejicitur; fontem vero hujus ſanguinis detegere non licebat, & ventriculus intrinſecus videbatur ſanus. Aperto vero thorace, & examinatis viſceribus, quorum ſedes hoc in cavo eſt, viſa eſt arteria aörta, quo loco oeſophago accumbit, ulceroſa, & penitus disrupta. Ulcere etiam adfectus erat vicinus oeſophagus. Videbatur morbus, ut frequenter locum habet, ſubortus in hoc canali. Ulcus, in eo enatum, ſine dubio arroſit, conſumſit, ipſius tunicas, vicinam aörtam, cum qua concreviſſe videbatur oeſophagus, pariter adfecit, ſenſim tunicas ejus deſtruendo, donec pervenerit ad internam, quae vim irruentis ſanguinis ſuſtinere impotens demum huic vi ceſſit, & disrupta lethali eventu omnem omnino ſanguinem transmiſit, qui itaque in oeſophagum, & per eum in ventriculum deferri debuit. Sic ſeſe rem habuiſſe, examen accuratum partium demonſtrare videbatur, ulcus enim ſatis late ſeſe extendebat per oeſophagum; externa aörtae ſuperficies quidem ad diſtantiam duorum pollicum cum dimidio arroſa erat, ſed praecipue profundum ulcus aderat, pollicem longum, cujus margines craſſi admodum erant, & intra illud propendentes cernebantur lamellae, cum interna tunica aörtae cohaerentes, & ea parte, qua cavum hujus canalis reſpexerant, glaberrimae, quae, in locum ſuum repoſitae, non niſi parvam relinquebant fiſſuram, rupturae, ibi obviae, manifeſtum indicium. Scolioſi laboraverat etiam femina, & ſpina dorſi, ubi ad formandum thoracem concurrit, notabilem curvaturam habet, ut latius expoſui ad N. CCIX. Sect. IV. pag. 181. Tab. CV. & CVI. Fig. 1. aörtae & oeſophagi morboſus ſtatus delineatur. Ovarium dextrum in notabilem tumorem, aqua flava plenum, erat expanſum. Conf. hujus Sectionis N. LVIII. & Tab. CIX. Fig. 3.

IX. Arcus arteriae aörtae apertus, cujus interna ſuperficies partim eroſa, inaequalis, partim tuberculata, exiſtit.

X. Aörtae diviſio in iliacas, maximam partem oſſificata.

XI. Aörtae ſteatoma. Eſt portio inverſa arteriae aörtae deſcendentis, in qua tumor notabilis apparet, quae internam tunicam vaſis maxime attollit, ac ea propter intra cavum vaſis inſigniter prominet. Eſt Albini Supp. Anat. P. 1. N. CCXCIII.

XII. Arcus aörtae, ex quo rami quatuor inſolito modo originem trahunt. Prodit

dit quippe primo carotis dextra, dein carotis ſiniſtra, porro ſubclavia ſiniſtra. Subclavia vero dextra, ex parte poſteriore aörtae in latere ſiniſtro orta, pone aſperam arteriam atque oeſophagum decurrebat, atque ſic ad axillae dextrae cavum pertingebat. Finis ductus thoracici hoc in cadavere erat etiam praeternaturalis. Solita quippe ratione ex cyſterna lumbari originem trahens, inter aörtam & oeſophagum adſcendebat, ſed, ſenſim verſus latus dextrum vergens, ſubclaviae venae hujus lateris inſerebatur. Tab. CVI. Fig. 2.

XIII. Pars aſperae arteriae, multis induratis glandulis obſeſſa. Quas bronchiales vocare ſolent, hae degenerarunt in tubercula varia duritiei diverſae.

XIV. Larynx cum proxima parte aſperae arteriae, pharynge, atque oeſophago. Pharynx & oeſophagus tali modo ſunt aperti, ut notabilis gulae exulceratio, per diverſa loca in aſperam arteriam penetrans, pateat. Matrona, quae jam quinquageſimum & primum attigerat annum, ab ipſa juventute conqueſta erat de difficili cibomum per oeſophagum depulſu, ſic ut ſubinde neceſſe fuerit, bolum, ad inferiora colli ſubſiſtentem, cum ulterius depelli non poſſet, inſtrumento, faucibus immiſſo, deprimere. Licet autem ſemper anguſta via eſſet, ſubinde tamen facilius cibum, ſemper commodius potum, depellebat. Accedebat quandoque nimia uvulae elongatio, quae, moleſtiſſima, continuo ſic irritabat fauces, ut deglutitionis nixum edere cogeretur, etiamſi, quod deglutiri poſſet, adeſſet nihil. Cum autem ſenſim ſenſimque malum in pejus rueret, & demum nihil ſolidi depellere poſſet, ne minimam quidem panis micam, aut & pulticulam, ſolito potu ſpiſſiorem, me in conſilium vocarunt. Fauces examinans nil inſoliti vidi, niſi uvulam laxiorem & longiorem, linguam ſordidam, muco tenaci, cruſta ſaepe nigerrima, obſeſſam. Glandulae colli, praecipue in dextro latere, tumidae & induratae erant. Depulſio ſolidorum non tantum incommoda, ſed plane non poſſibilis, potulentorum paulo facilior, modo partyam ſimul ore ſumeret copiam. Thyreoïdea glandula ab induratione etiam non plane erat libera. Ex iis, quae videram ipſe, quae ex obſervatis aliorum & ſectis cadaveribus cognoveram, ſiniſtrum eventum praedixi, monuique, vereri me, ne tota via ſimilibus glandulis eſſet obſeſſa, quales in collo ſeſe manifeſtabant, has, a longo tempore morbo adfectas, reſolvi non poſſe, ſed debere vel majores durioresque reddi, vel degenerare in ſubſtantiam, mollem quidem, ſed peſſimae indolis, quae, conſumendo partes vicinas, nova mala jam paſſis adderet, adeoque praeter palleativa remedia nulla praeſcribi poſſe, a quibus ſanatio expectari poſſet, praecipue, quoniam febris lenta jam aderat, quoque die exaſperans. Eadem in opinione verſabatur Medicus, qui ſemper curam ipſius geſſerat. Per totum menſem, quo aegram ſubinde vidi, malum in pejus ruebat, muci tenaciſſimi copiam quotidie ore emiſit, ſolidi nihil deglutire valuit, quin ſtatim rediret, ſummamque produceret moleſtiam, anxietatem, & qualia, blandiſſima etiam, fuerint excogitata, quae, pulticulae formam habentia, videbantur poſſe tranſire, nulla omnino depellere potuit. Senſim de anxietate conqueri coepit, eamque inſequuta eſt moleſta tuſſis, qua in principio vix quicquam expellebatur, dein vero ſputa ſanguinolenta, amurcoſa, foetida, tuncque ne

ne minimam liquidi copiam adſumere potuit, quin mox moleſtiſſima excitaretur tuſſis; vires ſenſim fuere imminutae; alvus, tardiſſima, non, niſi clyſtere immiſſo, ſollicitari potuit; & vel hoc pacto vix quicquam evacuabatur, cum nil ſolidi corpus intrabat. Anxietas magis magisque adaucta eſt, & tandem placide exſpiravit.

Quum & mater & ſoror ſimili morbo dicebantur laboraſſe, ſaltem difficillima ciborum depulſione vexatae fuerant, cadaveris ſectionem non modo permiſit, ſed & rogavit maritus, eamque ipſe inſtitui.

Integumentis colli ſeparatis, multo major, quam quae expectari potuit, pinguedinis copia ſeſe obtulit. Glandula, quae a latere dextro colli ſeſe manifeſtaverat, & ultimis vitae ſeptimanis aegrae videbatur disparere, ſaltem minus dura erat, magnitudinem tamen habebat nucis juglandis, venae jugulari internae firmiter accreverat, ſic ut haec absque laeſione non potuerit ſeparari. Ad attactum mollior, diſſecta amurcoſam, granuloſam, pultaceam, materiem continebat. Quae ad inferiora colli dantur glandulae, induratae, & multum tumefactae erant. Submaxillares autem & ſublinguales in utroque latere videbantur ſaniſſimae.

Aperto thorace in conſpectum venit thymus, inſignis longitudinis, rariſſime in adulta aetate tali modo inventus; inſolitam autem non habebat duritiem. Muſculis magis ſeparatis, ſublatis, denudatis etiam & ligatis vaſis, quae a corde per collum ad caput partesque vicinas tendunt, aut inde ad cor redeunt, & aſpera arteria & oeſophagus commode examinari potuerunt.

Thyreoïdea glandula in quoque latere, ubi ab iſthmo medio ſuis cornubus adſcendit, durior non tantum, ſed vere tuberculata erat. Oeſophagus, juxta aſperam arteriam deſcendens, ad attactum in parte ſuperiore durior videbatur; ibi autem loci, ubi de dolore ſemper conqueſta erat aegra, ubi obſtaculum in depulſione alimentorum ſeſe obtulerat, quod cum ponticulo, quem transſcendere deglutita debebant, ſolebat comparare, & magis expanſus erat oeſophagus, & lividum colorem offerebat. Hic locus ſeſe extenderat praecipue dextrorſum, & cum degenerato oeſophago arteria innominata, praecipue prodiens ex ea ſubclavia, cohaerebant firmiter, ipſaeque, ut partes abſceſſui propinquae ſemper ſolent, a ſtatu ſano recedebant multum. Tunicae oeſophagi erant tenuiſſimae, &, ſcalpello vel leviter attactae, emittebant foetidiſſimam, ſubcruentam, materiem, illi ſimilem, quam poſtremo vitae tempore tuſſi rejicere ſolebat aegra. Oeſophago hoc in loco ulterius aperto, patuit, ejus interiora arroſa, conſumta, oppleta eſſe ſimili materie. Ulcus in pharyngem ſeſe extendebat, ad altitudinem cartilaginum arytenoïdearum, & ea pharyngis pars, quae poſteriora laryngis inveſtit, ſimili modo non tantum erat adfecta, ſed inferior cartilaginis cricoïdeae margo, totus nudus, in oſſeam ſubſtantiam degeneraverat, ac infra eundem apertura conſpiciebatur, quae ſurſum intra laryngem adſcendebat; praeterea duo aderant foramina in parte poſteriore membranacea aſperae arteriae, quae ad ipſius interiora penetrabant, & eandem illam transmiſerant materiem, ſine dubio etiam potum, & adſumta medicamina, quae omnia vaſa pulmonum aërifera ſic oppleverant, ut pulmones, aperto thorace, ne minimum collaberentur, ſed eandem

reti-

retinerent figuram, quam ſaniſſimo in ſtatu habent; quamdiu nullus aër inter ipſos pleuramque ſe inſinuavit. In vaſis aëreis viſa non tantum eadem materies, ſed, diſciſſa aſpera arteria, compreſſis vel leviter pulmonibus, inſignis ipſius copia exiit, pectorisque capacitatem adimplevit. Tab. CVI. Fig. 3.

XV. Gula hominis adulti, ſupra reſecta infra pharyngem; infra reſecta proximo ventriculo, per longitudinem inciſa & explicata. Supra ventriculum contractior, inaequabilis, veluti calloſa. Homini huic aſſumti depulſio non erat poſſibilis. Quod deglutiebat, haerebat circa ventriculum, redibatque in os cum ſpuma. Vid. Albini Suppel. Anat. P. 1. N. CCXCV. Tab. CVI. Fig. 4.

XVI. Gula hominis adulti, ſupra reſecta a pharynge, infra non longe a loco, ubi tranſit per diaphragma. Ab anteriore aperta eſt, ut cernatur ulcere maximam partem conſumta ſuperficies ejus interna, eaque poſterior. Arroſa pro parte etiam erat vicina arteria aörta, cujus tunicae hac de cauſa erant tenuiſſimae. Tab. CVI. Fig. 5.

XVII. Orificium ſuperius ventriculi, induratis circumcirca & tumefactis glandulis, maxime arctatum.

XVIII. Glandula colli major facta & tota degenerans. Membrana externa craſſior eſt, ſubſtantia interna tota degeneravit. Vid. Albini Sup. Anat. P. 1. N. CCXCVII.

XIX. Glandula colli hominis adulti, quae degeneravit. Diſſecta eſt media. Extrinſecus verſa in membranam craſſam, inſtar folliculi, quem implebat materies mollis cum vaſorum ramentis, quae etiam intus adhaerent folliculo. Ibid. N. CCXCVI.

XX. XXI. Portiones duae celluloſae, quae cum muſculis abdominalibus nectit peritonaeum, maxime degeneratae, variis tumoribus obſeſſae. Oſtendunt quomodo in hydrope peritonaei haec membrana degenerare poſſit. Mulier quinquaginta circiter annorum, non diu poſt quintum & ultimum partum, qui ante octo annos inciderat, hydrope laborare incepit. Quum medicamentorum ope collectae aquae e corpore expelli non potuerint, ad paracentheſin confugere neceſſe fuit; hac inſtituta prodiit inſignis gelatinoſae aquae copia, & multum levaminis percepit, ſed intra bienium eadem repetenda fuit operatio, & in dies ſic adaucta aquae copia, ut quarto quovis, dein tertio, menſe, facta ventris compunctione, ipſi exitus fuerit conciliandus. Mollius, emiſſa aqua, abdomen tactu exploratum varia tubercula, quodammodo mobilia, offerebat, quae, duriſſima, inaequalia, maximam producebant molestiam, quorum vera natura & ſedes latebant, quae reſolvi, imminui, potentiſſimis etiam hujus generis remediis, non potuerunt, ſed potius una cum aqua de tempore in tempus inſigniter increverunt, ſic ut nonnulla caput infantis, immo adulti etiam hominis, viderentur magnitudine aequare. Repetita octo annorum ſpatio ſepties & decies operatio, & hoc pacto educta incredibilis aquae copia, quae ſemper ejusdem gelatinoſae naturae & flavi coloris fuit. Per totum illud temporis ſpatium, praeter enormem ventris tumorem, gravitatem inde natam, difficiliorem reſpirationem, vix aliis ſymptomatibus vexata fuit, functiones primarum viarum juſto modo vigebant, de ſiti non adeo querebatur, urinam ſolita copia excernebat. Corpus tamen de tempore in tempus emaciabatur, & vires demum ſic imminutae ſunt, ut vitam cum morte commutaverit.

Etiamſi biduo ante mortem, paracentheſi inſtituta, ſexaginta circiter librae aquae eſſent evacuatae, abdomen tamen, in cadavere examinatum, inſigniter erat expanſum, & aquae fluctuantis motus non difficulter percipiebatur; praeprimis vero tactui ſeſe offerebant in omni ambitu tumores diverſae magnitudinis, praecipue in latere dextro, quod quidem ex tumore inaequabili, &, ut videbatur, ex multis compoſito, enormi turgebat modo. Cum dextra illa abdominis pars aperiebatur, non longe a criſta oſſis ilium, culter non niſi difficulter penetrabat, & videbantur durae, ferme cartilagineae, partes diſcindi. Prodiit tunc aqua ſubflava, praeſertim compreſſo abdomine, adeo gelatinoſa, tenax, ut, in ſuppoſitum vas deſcendens, craſſum filum, non interrumpendum, ſiſteret. Ad minimum viginti libras aequabat; menſura tamen exacta haberi non potuit. Dictis tumoribus, duriſſimis, craſisſimis, videbatur totum ferme abdomen impletum. Sectione a ſcrobiculo cordis ad pubem inſtituta, dividi commode quidem integumenta potuerunt, & muſculorum maxime extenuatorum aponeuroſes, ſed craſſior atque durior membrana ſub iis detegebatur, ea tamen cultro diviſa, & a variis tumoribus, quibuscum firmiſſime concreverat, liberata, inſtituta etiam ab umbilico ad quodque latus ſectione, tumores, magis denudati, commode examinari potuerunt. Erant hi innumeri, & ſuperiorem ventris partem, lateralem ſiniſtram, ſed praecipue dextram, occupantes, a magnitudine nucis juglandis ad capitis virilis molem expanſi, ſuperficiem monſtrabant admodum inaequabilem; in dextro latere maximus aderat, qui, ex pluribus, invicem cohaerentibus, compoſitus, duritiem diverſis in locis diverſam habebat, in aliis cartilagineam, in aliis ferme oſſeam, in nonnullis molliorem, & haec loca diſſecta effluere ſinebant vel talem gelatinoſum humorem, qualis paracentheſi fuerat evacuatus, vel multo ſpiſſiorem. Omnes tumores adhaerebant illi membranae, quae mox ſub muſculis ſeſe exhibuerat, & prominebant intra cavum quoddam, cujus natura nondum cognoſci poterat.

Tumoribus verſus unum alterumque latus reclinatis, nullum abdominale viſcus conſpiciebatur, verum partem poſteriorem ſacci conſtituebat membrana, ad inferiora usque ſeſe extendens, oſſibus iliis pubisque adhaerens, rubicunda, vaſis multis ſanguine turgentibus repleta. Hac inciſa, mox tenuia prorumpebant inteſtina, quae, parum protracta, ſana videbantur, ſano meſenterio adhaerentia. Eadem membrana, cujus craſſities transverſi pollicis erat, & ab oſſibus pubis, & in quoque latere a ſuo nexu liberata, ſurſumque reflexa, omentum, a ventriculo & colo deſcendens, ventriculus, hepar, lien, verbo viſcera abdominis omnia, naturali in ſitu deprehendebantur, & in ipſo abdominis cavo, quod nunc demum vere apertum erat, vix notabilis aquae quantitas aderat, quae longe alius deprehendebatur naturae, quam illa fuerat, quae ſaccum adimpleverat hydropicum. Quae ſaccum a cavo abdominis diſtinguebat, membrana degeneratum erat peritonaeum, aqua ergo fuerat collecta inter degeneratum peritonaeum, & celluloſam, quae peritonaeum in ſano ſtatu cum muſculis abdominalibus nectit, nunc vero a ſtatu illo maxime receſſerat, & craſſa, compacta, dictis tumoribus, qui cum atheromatibus non male comparari potuerunt,

runt, obſeſſa erat. Totum tamen peritonaeum dicto modo non erat mutatum. Ad diſtantiam enim transverſae manus infra cartilaginem enſiformem durum quidem erat, ſed non in ſaccum extenſum, & ſectio, ibi loci facta, mox in ſuperiorem cavitatis abdominis partem penetrabat.

Poſtea in alio cadavere hydropem peritonaei etiam obſervare licuit. Vir, quadraginta annorum, temperamenti phlegmatici, & corporis conſtitutionis admodum laxae, hernia inguinali in ſiniſtro latere laborans, ſeſe mihi ſiſtebat, ut, quid ad ſanandam herniam faceret, conſulerem. Herniam non adeo vetuſtam, liberam, facile reponendam, ſed, erecto corpore, mox ſeſe manifeſtantem, non niſi applicato bracherio retineri poſſe, cenſui; curavit etiam, ut bracherium pararetur, ſed, elapſis aliquot ſeptimanis, rediit una cum eo, qui bracherium paraverat, conqueſtus de tumore ſcroti inguinisque ſiniſtri, ac dolore in iis partibus ſatis moleſto; in locum adfectum inquirens, appoſitum inveni bracherium, valide conſtrictum, herniam vero elapſam, & ſeſe ferme ad inferiora ſcroti extendentem, hoc, elapſasque partes admodum duras; bracherium, quippe hac ratione multum damni adferens, non ſolum ſolvendum, ſed penitus rejiciendum eſſe, monui, partes autem fovendas liquore emolliente, reſolvente, interea aegro eſſe decumbendum, ut, mox atque durities eſſet reſoluta, elapſa inteſtina reponi poſſent. Voto reſpondit eventus, & reduci poſtea hernia ſat commode valuit. Quum vero per longum temporis ſpatium lecto ſeſe contineret, a ſolito motu & labore abſtinens, ſenſim in hydropem incidit, cujus morbi ſeminium a longo tempore aderat. Ordinarii medici auxilium per aliquot tempus ſecutus demum & meum imploravit. Abdomen praecipue in parte anteriore maxime expanſum inveni, fluctuationem manifeſtam percepi, & quum optima remedia, quibus collecta aqua e corpore eliminari ſolet, a medico jam eſſent in uſum vocata, nonnulla, recentius laudata, & inter haec oxymel colchicum, tentavimus, ſed absque ullo effectu; diureſis promoveri nullo potuit modo, alvus laxa quidam erat, aut forte adſtricta ſolvebatur talibus etiam purgantibus, quibus vim magnam in hydrope adſcribere ſolent, ſed inde nullum levamen; hinc propoſita abdominis paracentheſis, & haec in latere dextro inſtituta eſt; mox ac penetraverat cannula, aqua tenuis, inodora, flava, limpida, magna vi prorupit, ſed inopinato fluxus ſiſtebatur, etiamſi cavum non penitus videretur vacuum, &, licet immiſſus ſtilus nullum detegeret obſtaculum, quamvis omni modo mutaretur ſitus aegri, tamen vix quicquam aquae ulterius prodibat. Poſt operationem idonea adhibita faſciatio eſt, confortantes, reſolventes, diſſipantes, fotus abdomini adplicati, continuatus interim diureticorum aliorumque remediorum uſus, ſed nihilominus cito inſignis aquae quantitas iterum collecta, ſic ut denuo paracentheſi evacuari debuerit, haec operatio octies fuerit inſtituta, & quaque vice evacuatae aquae multae pintae; cum autem ex collecta aqua, impedito diaphragmatis deſcenſu, reſpiratio difficilior reddebatur, & maxime anxius erat aeger, inter poſteriores paracentheſes brevius temporis ſemper fuit intervallum, evacuatae hinc aquae copia etiam erat minor. In omni autem operatione idem evenit, quod de prima monui. Interea temporis appetitus ſemper optime

optime vigebat, alvus erat laxa, foeces autem ejectae plerumque tenues, & viridis coloris; ſenſim oedematoſe intumuerunt pedes; disparuit autem hernia, quae in principio hujus morbi libere intrabat, taxi inſtituta, ſed mox tuſſi, clamore, vel ſola loquela, aut motu corporis, ſeſe iterum manifeſtabat. Videbantur mihi ſymptomata obvia docere, hydropem eſſe ſaccatum, aquam vero non in proprie dicta abdominis capacitate haerere, ſed extra peritonaeum. Figura tumoris, vigens quam maxime appetitus, concoctio bona, phaenomena in paracentheſi animadverſa, & ſingularis dolor, de quo ultimis vitae ſeptimanis continuo conquerebatur, hoc videbantur confirmare. Cum enim poſt octavam paracentheſin, ob ſummam aegri debilitatem, eandem repetere non liceret, aqua vero de die in diem colligeretur, verſus utrumque latus ad ſpinam dorſi usque tumorem ſeſe extendere, conquerebatur, & dolorem talem ſeſe ſentire, ac ſi partes vi quadam a ſe invicem ſepararentur, quod hoc modo explicui, ut putaverim, aquam, quae hactenus in anteriore tantum abdominis parte haeſerat, nunc verſus latera ſeſe etiam recipere, & peritonaeum ulterius a muſculis ſeparare, quam conjecturam nullatenus falſam fuiſſe, cadaveris ſectio poſtea probavit. Haec ut adminiſtraretur, & ipſe petierat aeger, cui, ut & medico atque chirurgo, meam de natura morbi opinionem, & impoſſibilem ſanationem, hac ſultam, ſaepius expoſueram, eamque, poſtquam ſummopere emaciatus perierat aeger, ipſe inſtitui. Acceſſerat ultimis diebus rubor, dolor, & ardor tantus abdominis, ut manus, etiam ad aliquam diſtantiam, inſolitum calorem perciperet.

Antequam ſectio abdominis inſtituebatur, acus cannulatae ope evacuata collecta aqua; haec primo pura exiit ad talem quantitatem, ut ſolitae magnitudinis matulam ferme impleverit, tum vero una cum aqua filamenta prodierunt alba, dein verum pus, cujus notabilis etiam erat copia. Separatis & diſſectis integumentis, in conſpectum venit ſaccus, qui ab oſſibus pubis ſeſe extendebat ad diſtantiam trium quatuorve transverſorum digitorum ſupra umbilicum, & verſus latera inter muſculos atque peritonaeum retrorſum ad ſpinam dorſi usque. Interna hujus ſacci ſuperficies erat obducta cruſta purulenta, tenaci, non facile ſeparanda, poſterior autem pars inſigniter prominebat. Rite examinata membrana, quae ſaccum hunc formabat, conſtitit, eam partem, quae, poſterior ſitu, viſceribus abdominalibus accumbebat, peritonaeum eſſe, a muſculis ſeparatum, anteriorem vero partem celluloſam degeneratam, quae in ſtatu ſano peritonaeum muſculis alligaverat. Prominens poſterior pars, prudenter diſſecta, concreta inveniebatur cum inteſtinis tenuibus, & craſſis, quae, tympanitice expanſa, inter ſe etiam concreta, exinde in rotundam maſſam quaſi compacta erant, quia aqua peritonaeum ferme circumcirca a muſculis ſeparaverat, illudque una cum contentis antrorſum multum promoverat. Veſica urinaria, admodum contracta, caeterum ſana videbatur, quemadmodum etiam non multum a ſano ſtatu recedebant viſcera, quae ſuperiorem abdominis cameram occupant, & ad quae ſaccus aqua repletus ſeſe tantum extenderat. Moles vero dicta ea urſerat maximopere ſurſum, ſic ut capacitas thoracis inſigniter eſſet imminuta. Hoc vero in cavo contenta viſcera ſana videbantur, ſaltem praeter aquae non adeo magnam quantitatem, vix praeternaturale

turale quicquam viſum eſt. Peritonaeum tantopere videtur fuiſſe ſurſum tractum, ut ſacci hernioſi reliquias detegere non licuerit, quae etiam ratio fuit, quod ultimis vitae hebdomadibus, ſacco hydropico maximopere expanſo, hernia diſparuerit. Conf. de hoc hydrope peritonaei Exercit. Acad. Lib. 2. cap. 10. pag. 101. ſeq.

XXII. Meſenterium adulti hominis, cujus glandulae in magnitudinem nucis juglandis excreverunt, & admodum durae redditae ſunt.

XXIII. Portio hepatis, ſteatomatibus variis obſeſſi. In homine, qui ictero laboraverat, maximum detegebatur hepar, quod marginem oſſeum thoracis dextri lateris non tantum multum verſus exteriora propulerat, ſed & ſeſe ſiniſtrorſum deorſumque adeo extendebat, ut, ad magnam ultra umbilicum diſtantiam pertingens, marginem oſſis ilei adtingeret, imo ad pelvim deſcenderet, ventriculum & inteſtina, quorum vix quicquam conſpici poterat, multum comprimens. Externa ſuperficies maxime inaequabilis erat propter varia majora minora flavi coloris tubercula. Ubi oeſophagus juxta ſulcum, prope finem ſiniſtrum hepatis ſemper obvium, deſcendit, non tantum canalis hic firmiter cum hepate concreverat, verum externae ipſius parti, multum degeneratae, induratae & ferme cartilagineae, accumbebat abſceſſus, materie amurcoſa, griſea, foetidiſſima, repletus, & profunde in ſubſtantiam hepatis penetrans. Hepar, ab omni nexu liberatum, inſolitam formam monſtrabat, verſus ventriculum enim & duodenum in tumorem admodum gibbum erat expanſum. Pondus erat decem librarum, longitudo in latere dextro undecim pollicum, in ſiniſtro novem, latitudo undecim pollicum, craſſities inter partem, ſpinae accumbentem, & partem, coſtis appreſſam, quinque. Dicta tubercula non tantum in exteriore comparebant ſuperficie, ſed & in interiore, imo intrinſecus in ipſa ſubſtantia hujus viſceris ejusdem naturae tumores conſpiciebantur. Omnes materiam ſpiſſam flavam continebant, illi, quae in ſteatomate obſervari ſolet, non abſimilem, in aliis haec ſubſtantia compactior, in aliis fluidior erat, in paucis purulenti aliquid adeſſe videbatur. Quae alia cadaver hoc exhibuit, videre licet Exercitat. Acad. Lib. 1. cap. 8.

XXIV. Magna pars hepatis ſcirrhoſi. Eſt Supell. Doeverenianae P. 1. N. CCXXII.

XXV. Inteſtini ilei Appendix connata. Ex parte illa inteſtini, quae meſenterio oppoſita eſt, diverticulum enaſcitur amplo admodum oſtio, in coecum finem deſinens, ejusdem circiter capacitatis, ejusdem craſſitiëi, quoad tunicas, ac inteſtinum ipſum, facillime aërem admittens, illoque diſtentum, apice incurvatum. Ex illo apice filum enaſcitur tenue, ad ſuperiorem meſenterii partem tendens, illique hoc diverticulum adnectens. Figuram hujus appendicis olim dedi Obſervat. Anatom. Patholog. Lib. 1. Tab. 8. Fig. 8. & latius de ea ſimilibusque egi ib. cap. 10. Poſtea diverticulum ſimile connatum in foetu, vario ſenſu morboſo, obſervavi Obſervat. citat. Lib. 3. cap. 1. pag. 11. Tab. 4. Fig. 2. Conf. Muſei hujus pag. 235.

XXVI. Inteſtini Ilei appendix. Haec inventa in cadavere infantis quatuor circiter annorum. Appendix, pollicem & ultra longa, ejusdem capacitatis eſt atque inteſtinum ipſum.

XXVII. Inteſtini tenuis portio, variis in locis majoribus minoribusque ulceribus obſeſſa, quibus tunica interna penitus conſumta eſt.

XXVIII. Principium inteſtinorum craſſorum ex eodem homine, ſimilibus ulceribus vitiatum.

XXIX. Renes a ſolita forma multum recedentes. In cadavere viri in ſiniſtro latere nullus detegebatur ren, in dextro autem latere maſſa, quae ſecretioni urinae inſervierat, admodum longa, & inſolitae formae. Aderat quippe ren, ultra quinque pollices longus, duos cum dimidio latus, vaſa arterioſa & venoſa admodum multa accipiens, pelvimque ſuam ab anteriore ſibi impoſitam habens; hic ad infimam lumborum vertebram ſeſe extendens cohaerebat, tenuiori tamen nexu, cum alio rene, ſuperiori parti oſſis ſacri appoſito, quatuor pollices longo, tres lato, in quem pariter diverſa ſeſe inſerebant vaſa, & cui etiam extrinſecus appoſita erat pelvis, unde enatus ureter ſiniſtram veſicae urinariae partem petebat, dum ureter dextri lateris verſus dextrum pariter receptaculi dicti latus ſeſe recipiebat. Aörta, emiſſa coeliaca & meſenterica ſuperiore, renalem dabat dextram, haec bifida ſuperiorem renis dextri partem intrabat, dein ſpermaticas, meſentericam inferiorem, aliam renalem, quae ſurſum curvata mediam ſimulque poſteriorem dicti renis partem petebat, tum renalem tertiam, pariter dextro reni, ſed parti ipſius inferiori, inſertam; dividebatur dein in iliacam dextram & ſiniſtram, ſed inter illas, ipſa hac in bifurcatione, inſignis prodibat ramus, in quatuor minores fiſſus, quorum unus dextro reni tres reliqui infimo reni inſerebantur; denique ex iliaca ſiniſtra, parum ſupra ipſius diviſionem in externam & internam, originem trahebat arteria, qui infimi renis inferiori parti ſanguinem praebuerat. Vena cava emittebat venas renales tres; ſuprema, ſtatim bifida, comes primae arteriae, renis ſuperiorem petebat partem; ſecunda, multo capacior primâ ramum dabat, qui ante ſuperiorem pelvis ramum deſcendens, cum prima vena communicans, in venam ſpermaticam dextram deſinebat, ramo prius ad mediam partem renis demiſſo, dein haec ſecunda vena a latere interiore pelvis deſcendebat, & in hoc decurſu unum alterumque ramum reni dabat, petebat vero ipſa renem inferiorem, in quem diverſos in ramos fiſſa terminabatur. Tertia vena pariter ſatis craſſa, in duos ramos fiſſa, ad dextrum pertinebat renem. Inferior vero ren accipiebat venam ex iliaca ſiniſtra. Tab. CXIII. Fig. 1.

XXX. Ren unicus dexter in cadavere feminae inventus, quinque pollices longus tres latus. In ſiniſtro latere ſolus Ren ſuccenturiatus cernebatur. Ad Renem unica arteria & vena, ſic & ad ſuccenturiatum ſiniſtri lateris tendebant.

XXXI. Ren ſiniſter, ad quem ſolito plura vaſa decurrunt. Arteriae adſunt duae, altera eaque ſuperior, craſſa admodum, finditur non longe ab ortu in duos ramos, quorum ſuperior bifidus ad renem ſuccenturiatum tendit, alter inferior in bene multos ramos finditur, antequam renem adtingit; altera arteria tenuior inferiora hili renis petit. Vena unica quidem eſt, ſed ſingulari & inſolito modo finditur, ubi ad renem tendit.

XXXII. Renes duo inſignis molis. Alter isque ſiniſter ſex pollices longus tres latus; dexter, minor, tres pollices & dimidium longus, duos latus eſt. Ad dextrum tendunt arteriae duae, venae totidem: ad ſiniſtrum arteriae tres ſed unica vena.

XXXIII.

XXXIII. Renes partibus inferioribus concreti, ſeu ren unicus ſemilunaris, functione duplex. In cadavere puellae, paucas ſeptimanas natae, ren dexter ſiniſterque, inferioribus partibus ad ſe invicem incurvati, confluebant, & unum continuum corpus conſtituebant. Ren ſiniſter magnitudine dextrum ſuperabat; maſſa intermedia, craſſa admodum, prominebat ultra renum ſubſtantiam. Quisque a parte anteriore, qua cavum abdominis reſpiciebat, exſectus eſt, ibique conſpiciuntur pelves, quae terminantur, quaeque in ſuum ureterem, ſic ut pelves & ureteres non ſolito more ex parte poſteriore renum egrediantur, ſed ureteres renibus ab anteriore incumbant. Arteriae, ſolitis plures, ad renes hos connatos tendunt. Ex latere dextro aörtae prodit ramus, qui in glandulam ſuprarenalem & partem ſuperiorem renis dextri terminatur. In latere ſiniſtro adeſt primo ramus, ad glandulam ſuprarenalem ſiniſtram pertinens, dein ſecundus, qui, bifidus, in renem deſinit. Emiſſis ſpermaticis, ex quoque latere aörtae ramus prodit, qui verſus dextrum & ſiniſtrum renem vergunt, eodemque circiter loco, parum tamen inferiori, alius, qui in maſſam, qua duo renes cohaerent, evaneſcit. Aörta, tum pone renem deſcendens, demum infra eundem rurſus ſe monſtrat, ibique duae arteriae, ex aörta ad renem adſcendentes, conſpiciuntur. Vena cava verſus quodque latus unum dat ramum, quorum ſiniſter multo altiori prodit loco, quam dexter. Hic, vix diviſus, renem ſui lateris intrat; ſiniſter, emiſſa ſpermatica, primo bifidus, dein in minores ramos fiſſus, per partem ſiniſtram ſeſe dispergit. Conf. Obſervat. Anatom. Patholog. Lib. 3. cap. 7. Tab. 8. Fig. 6.

XXXIV. Ren ſiniſter, cujus pelvis ramis plane diſtinctis quinque ex rene prodit. Anterior hujus renis ſuperficies, peritonaeo accumbens, maxime exſecta eſt. Sinus itaque ab anteriore conſpicitur, & hunc intrant vaſa arterioſa, hoc egrediuntur venoſa, & rami pelvis. Arteria duplex eſt, altera, ſolito loco ex aörta enaſcens, in duos majores ramos, in plures minores fiſſa, ſuperiorem renis partem ingreditur; altera, ex aörta, infra meſentericam inferiorem, originem ducens, ad inferiorem renis partem pertinet. Vena, ex cava producta, recto tramite ad mediam circiter renis partem vergit, ante ingreſſum tamen venam emittens ſurſum ad renem ſuccenturiatum, alteram deorſum, quae incurvo ductu partem inferiorem renis petit, emiſſa prius vena ſpermatica. Pelvis renis in anteriore parte tota nuda conſpicietur, ſic ut incumbat ſinui, inter ſuperficiem anteriorem & poſteriorem relicto; inſignis haec pelvis magnitudinis eſt, quinque ramos ſuos, ex rene inter venoſa & arterioſa vaſa egredientes, nudos exhibet, dein ureteri ſolito more originem praebet. In Obſervat. Anatom. Patholog. Lib. 1. cap. 5. ulteriorem deſcriptionem & Tab. 4. Fig. 1. delineationem dedi.

XXXV. Ren ſimilis conformationis. Exſecta eſt anterior hujus renis ſuperficies, & ſinus adeſt, dum poſterior renis ſuperficies ultra anteriorem multum prominet. Pelvis, magna ſatis, tota non tantum ultra renis ſubſtantiam ſeſe monſtrat, ſed quinque oſtendit, eosque ſatis capaces, ramos, dum ipſa in ureterem deſinit. Conf. Obſervat. Anat. Patholog. lib. cit. pag. 85.

XXXVI. XXXVII. Renes duo notabilis magnitudinis, ex eodem homine. Pelves erant ampliſſimae, & in tumorem inſignem extra renum ſubſtantiam adſurgebant. Ureteres ſolito capaciores erant. Veſica, admodum diſtenta, intrinſecus inflammata arroſa erat. Peritonaeum in hoc cadavere crasſisſimum duriſſimum fuit, & abdominalia viſcera, ferme omnia, erant concreta. Latius notabilem hunc caſum deſcripſi Obſerv. Anatom. Patholog. Lib. 3. cap. 5.

XXXVIII. Ren dexter ex cadavere feminae, duplici pelvi, duplici uretere, gaudens. Pelvis, ſitu ſuperior, capacitatem non adeo inſignem habet, craſſitie digitum annularem refert, & ſenſim contracta in ureterem deſinit. Pelvis inferior, multo capacior, forma ſua cum pelvi bene conſtituta conveniens, ſuum pariter emittit ureterem, praecedenti craſſiorem. Ambo ureteres diſtinctis oſtiis intra veſicae cavum aperiebantur. Conf. Obſervat. citat. Lib. 2. cap. 7. & Tab. 8. Fig. 3. & 4.

XXXIX. Ren hydropicus. Hic, ultra quinque pollices longus, tres cum dimidio latus, & admodum expanſus, preſſioni cedens, ſingularem in cadavere mulieris & pelvis & totius corporis ſui monſtrabat diſtenſionem, vere hydropicam. Ab anteriore parte pelvis, ultra duos pollices lata, tres longa, in varias eminentias inaequaliter expanſa erat, propter vaſa venoſa & arterioſa, juxta pelvem ad renis ſubſtantiam tendentia, pelvemque ſic comprimentia, ut locis intermediis maxime exſurgere debuerit. Vaſa haec, capaciſſima, ſenſim imminuta, in ipſam ſubſtantiam tendebant. Subſtantia renis in ſex adſurgebat tubercula. Poſterior renis hujus ſuperficies pelvis partem, ſolo arterioſo vaſe tectam, ejusdem quidem longitudinis, ſed paulo minus latam, viſui offerebat. Ureter, hoc in ſitu magis conſpicuus, ſuperiori quidem in loco parum prominulus, ſed dein contractus, ac quaſi contortus erat, ad veſicam ſanam deſcendens, & toto hoc in tractu minime expanſus, verum potius contractus, non tamen tantopere, quam ſuperiori in loco, ubi haec conſtrictio tanta erat, ut, compreſſo maxime rene, non niſi paucae liquoris flavi urinoſi prodirent guttulae. Subſtantia renis ſimili ratione, ac in ſuperficie anteriore, rotundulo margine ad pelvem terminata, etiam ſeptem monſtrabat tubercula. Fiſſo uretere, ſectaque pelvi, & ſuperiora & inferiora verſus, contractus maxime ureter & ferme occluſus apparuit, ubi ex pelvi originem trahit. Prodiit ex hac capacitate ingens liquoris tenuis flavi copia, totusque ren non niſi ſaccum irregularem ſiſtebat. Subſtantia enim evanuerat omnis, & vix ultra duas lineas craſſa ſaccum formabat, cui ſeptem alii minores quaſi appenſi erant; hi, liquore urinoſo turgidi, ſeptem in poſteriore & anteriore ſuperficie conſtituerant tubercula. Orificia illorum, quibus cum ſacco majori communicabant, per medias adſurgentes membranas diviſa, & ab invicem diſtincta erant. Pelvis certe cum omnibus ramis, per contentum & ſenſim copia adauctum liquorem, ſic expanſa eſt, ut renis ſubſtantia, multum compreſſa, evanuerit omnis. Conf. Obſervat. citat. Lib. 4. cap. 4. & Tab. 8. Fig. 1.

XL. Genitalia vetulae. Ex orificio vaginae prominet tumor vere hernioſus, herniam inteſtino-vaginalem ſiſtens. Venter cadaveris erat admodum complanatus, & dorſi ſpina non tantum tactu percipi, ſed & prominentia ejus per integumenta abdominis

oculis

oculis cognoſci potuit. Tumor in vagina, ad attactum mollis, ſaltem non ultra modum tenſus, ex parte poſteriore vaginae proveniebat, digitusque ſupra illum infra aperturam urethrae propulſus uteri orificium attingebat. Repulſus & repreſſus tumor mox ſeſe reſtituit, partesque intra tumorem contentae, compreſſione intra abdominis cavum promotae, illa ceſſante rurſus deſcendebant. In abdominis cavo vix inteſtina inveniebantur. Ex duodeno enaſcens jejunum maxime detractum erat, ileum autem totum in pelvi deliteſcebat; hujus vero maxima pars, inter uterum atque rectum inteſtinum deſcendens, foramen quoddam ingrediebatur, quod facile admittebat digitum, juxta tractum inteſtini protruſum, tantaeque erat amplitudinis, ut inteſtina retrahi, & in abdominis cavum reduci commode potuerint. Tumor, vaginam antea occludens, imminuebatur, retracto inteſtino, foramini autem immiſſus digitus, & ad vaginam propulſus, tumorem rurſus extendebat. Protruſum erat peritonaeum, & ab eo formatus ſaccus, qualis in omnibus herniis adeſſe ſolet, niſi rariori exemplo peritonaeum fuerit disruptum. Vera ergo hic aderat hernia inteſtini, elapſi inter uterum & rectum inteſtinum, quae parietem poſteriorem vaginae ſic protruſit exteriora verſus, ut anteriorem parietem contingeret, vulvamque omnino clauderet.

Quum olim hunc caſum inter alias anatomico-pathologicas obſervationes communicarem, Lib. 1. cap. 4. de hac rariori herniae ſpecie non tantum ſed & de aliis lacutius egi. Herniam autem inguinalem congenitam, in puero viſam, peculiari opuſculo deſcripſi, & iconibus, quae 1781. prodierunt, illuſtravi; quum vero poſtea talem herniam in juvene obſervare, cadaveris ſectionem inſtituere, potuerim, & nitidiſſimae icones hujus caſus in noſtro Muſeo Anatomico adſerventur, non abs re eſſe putavi, ſi hunc huic loco inſererem, morbumque ipſum Tabulis CXI. CXII. depingerem.

Rogatus die 11. Martii 1786. ut juveni, periculoſe decumbenti, conſilio adeſſem, voto ſatisfeci, atque Medicum, & Chirurgum, qui hactenus curam ipſius geſſerant, praeſentes offendi. Hi autem narrarunt, juvenem, jam viginti & duos annos agentem, a nativitate fuiſſe hernioſum, herniam, quae ſeſe in latere dextro manifeſtabat, nunc majorem nunc minorem fuiſſe, nunquam autem plenarie potuiſſe reduci, ipſum ſemper bracherium geſtaſſe, conſtrictam ſubinde fuiſſe herniam, ſed, impoſito emolliente cataplasmate, magnitudinem fuiſſe imminutam, repulſis tunc, ut chirurgo videbatur, inteſtinis. Jam vero die 5. dicti menſis de novo fuiſſe conſtrictam herniam, aegrum ſymptomatibus omnibus fuiſſe vexatum, quae concomitari ſolent, vomitu, ſingultu, alvo adſtricta; cataplasma tunc iterum eſſe impoſitum, tumoris molem rurſus fuiſſe imminutam, die 7. alvum depoſuiſſe aegrum, ſed ab eo tempore dolorem in inguine, abdomine, circa ſcrobiculum cordis, fuiſſe adauctum, vomitum continuaſſe, & etiamſi venae ſectio inſtituta, decocta purgantia propinata, clysmata ejusdem naturae immiſſa eſſent, tamen neque hactenus ad diem nempe 11. reſpondiſſe alvum, neque ſymptomata ceſſaſſe, vomitus fuiſſe perpetuos, ſic & ſingultum, dolores intolerabiles, abdomen tympani adinſtar fuiſſe tenſum,

ſum, die 10. evanuiſſe dolorem, jam autem tranquille ſatis decumbere aegrum. Ipſe tunc, hernioſum examinans, tumorem ab inguine ad inferiora ſcroti ſeſe extendentem vidi, ad attactum mollem, non dolorificum, juxta funem ſpermaticum deſcendentem, & omentum, ut attactus docere videbatur, continentem; Magnitudo tumoris prudenti lenique taxi inſtituta imminui nihil potuit; ſupra annulum ad diſtantiam ad minimum pollicarem rotundula, pollicem craſſa, prominentia cernebatur, non multum, aliquantum tamen, dolens; abdomen enormi modo erat expanſum & duriſſimum; de dolore tenſivo circa ſcrobiculum cordis conquerebatur. Pulſus parvus erat, &, licet non intermittens, tamen vacillans, frigebant artus, ſingultus aderat, & quicquid deglutiebatur, mox per vomitum rejiciebatur, facies perfecte erat Hippocratica. Miratus, cum per tot dies hernia conſtricta fuerat, cum omnia ſymptomata fatalem eventum praedixerant, nunc demum auxilium meum implorari, ingenue faſſus ſum, putare me, omnia ſymptomata omnino ex hernia conſtricta eſſe derivanda, licet huic cauſae a medico non adſcriberentur, omentum herniam facere, ſed ſine dubio partem etiam inteſtini ſacco contineri, operationem, ſi in tempore fuiſſet inſtituta, forte potuiſſe ſervare aegrum, nunc vero, cum omnia ſymptomata, praecipue dolorum abſentia pulſus parvus & vacillans, inſtantem imo jam praeſentem gangraenam indicare videbantur, operationem non eſſe commendandam, quippe verendum eſſe, ne inter operationem ſuccumbat; credere me, mortem proxime inſtare, & ab arte in desperato hoc caſu nullum amplius auxilium expectandum eſſe. Tentata tamen adhuc varia ſunt, ſed incaſſum; quod praedixeram evenit, & vix ſedecim, ex quo aegrotum videram, horis elapſis placide occubuit.

Conceſſerunt lubenter parentes, ut in naturam herniae inquirerem. Eodem itaque die Cadaveris ſectionem inſtitui. Abdomen tympani adinſtar maxime erat tenſum; tumor hernioſus ad inferiora ſcroti ſeſe extendebat, major videbatur, quam vivente aegro, ſed non admodum tenſus erat; ſupra locum, ubi in inguine originem trahebat, integumenta videbantur paulo magis elevata. Ab umbilico ad ſuperiora penis integumenta & celluloſam incidi, inde ad inferiora ſcroti, ea tunc a muſculis a ſacco hernioſo ſeparavi, & verſus latus dextrum reclinavi, ſic ut ſaccus optime pateret. Fiſſura obliqui externi erat admodum ampla, imo digiti apicem ante tumorem admittebat, repelli tamen elapſae partes, quas ad omentum pertinere attactus adfirmabat, non potuerunt; ſaccus itaque fuit apertus, hic, omenti magnam portionem continens, dividebatur in partem ſuperiorem & inferiorem, per mediam quamdam ſtricturam, ſic ut ab inguine canalis quaſi deſcenderet, ad longitudinem pollicis, deinde canalis hicce, cujus apertura inferior paulo arctior erat, dilataretur in ſaccum, oblongum quidem, ſed multo ampliorem. Interna ſacci ſuperficies glaberrima erat, a contentis omnino libera; omentum nigricans vaſa atro ſanguine turgida monſtrabat, magnamque pinguedinis induratae copiam continebat. Remoto parum verſus dextrum latus omento, ejusque parte inferiore ſublata, nudus apparebat teſtis, ſic poſitus, ut rotundulo ſuo margine oblique verſus inferiora vergeret, epididymis

dymis a ſuperiore & laterali dextra parte poneretur, vaſa vero ſpermatica pone ſaccum, intra eundem tamen quodammodo prominentia, ab inguine ad hunc teſtis locum deſcenderent. Haec autem cuncta maxime reflexo omento melius oculis ſeſe offerebant; omenti degeneratio & vaſorum turgeſcentia in parte ipſius poſteriore cernebantur tunc non ſolum, ſed ſimul illa ſtrictura apparebat, per quam ſaccus in partem ſuperiorem & inferiorem dividebatur; ut autem conſtare poſſet, quomodo illa ſtrictura ſeſe haberet, ea ab anteriore erat diſcindenda, tuncque ad fiſſuram obliqui externi usque attolli omentum valuit, undique, etiam in orificio ſuperiori ſacci liberum; ubi autem abſciſſum prope dictam fiſſuram fuit omentum, ſaccus melius examinabatur. Erat hic peritonaei vera continuatio, illa productio, quae, ante nativitatem aperta, cum teſte deſcendit, & tunicam ipſius vaginalem format, ſed ibi loci, ubi dicta ſtrictura aderat, pone plicam paulo craſſiorem, diverticulum quoddam cernebatur, quod apicem digiti admittebat facile.

Tumore, qui ſeſe obtulerat, hoc pacto examinato, abdomen aperui; erumpebant mox magna vi inteſtina tenuia, enormem in modum expanſa, omento tecta; hoc quippe a ventriculo, qui multum detractus, anguſtiſſimus, plane vacuus erat, ante tenuia deſcendebat ad pelvim, praecipue vero in latere dextro, & hujus lateris margo durus admodum, pollicem craſſus, ruberrimo atroque colore variegatus erat, ſimulque deſcendens verſus inguen dextrum fiſſuram obliqui externi tranſierat, ſicque in ſcrotum deſcenderat. Quum vero parum attrahebatur, absque ulla notabili difficultate ex orificio ſacci liberabatur omenti portio, hactenus in eo relicta, ſicque inteſtina ipſa apparebant. Haec una cum omento herniam formaverant; ileum nempe, anteriorem partem abdominis gyris ſuis, cum maxime expanſis, totam adimplens, & aëre turgidisſimum, parte quadam ſui, meſenterio oppoſita, principium ſacci hernioſi intraverat, quod ad pollicem circiter ſupra fiſſuram obliqui originem ex peritonaeo trahebat, ſic ut ab hoc loco canalis quaſi ad inguen deſcenderet, qui, contentis diſtentus, prominentiam, antea memoratam, ſupra fiſſuram illam produxerat. Portio illa ilei parti poſteriori ſacci firmiter accreverat, &, nexu illo ſoluto, ſaculum quemdam repraeſentabat, cujus orificium margo circumdabat nigerrimus, quaſi filo hoc in loco firmiſſime fuiſſet conſtrictus. Inter duodeni finem, ex meſenterio exeuntem, & in jejunum productum, & dictum ilei locum conſtrictum, adeo amplus erat inteſtini canalis, ut adulti hominis cubitum prope manum adaequaret; quomagis vero appropinquaret locum conſtrictum, eo color rubicundior fiebat, donec demum in nigerrimum tranſiret; gangraenoſus etenim ille tractus erat, ſic ut, dum removere inteſtina vellem, omnia disrumperentur, & foeculenta materies effunderetur. Ultra locum conſtrictum, id eſt intra eundem & coecum, tenuiſſima & admodum flaccida erant inteſtina; coecum ipſum totumque colon adeo contracta videbantur, ut capacitate ſua illam, quam tenuia ſano in ſtatu habere ſolent, non ſuperarent.

XLI. Fungus inteſtini recti, ex virgine nobili exſectus. Eſt Supellect. Anatom. Doeverenianae P. 1. N. CCXXII.

XLII.

XLII. Vesica viri, ab ischuria mortui. Superficies interna intra rugas minima calculorum fragmenta recondit. Prostata notabilem magnitudinem ac duritiem habet. Historia morbi & sectionis anatomicae haec est.

Senex, qui octuagesimum & quartum aetatis annum attigerat, quadrato robusto corpore habituque obeso gaudens, qui in coelibatu semper castissimus vixerat, nec ullo unquam vitio in viis urinariis laboraverat, ante paucos annos subinde in difficilem urinae excretionem incidit, levatam, quando parvos maxime friabiles calculos ejecerat; urinam tamen postea nunquam pleno & solito jactu expellere, sed tenuissimo radio emittere, debuit, longumque impendere tempus, antequam vesicam evacuaverat; tandem in plenariam incidit urinae suppressionem, sic tamen, ut guttatim parva prodiret urinae quantitas. Cum autem, paucis elapsis diebus, postquam omnia, eaque solita remedia, interna, externa, frustra fuerant adhibita, ut urinae iter liberius redderetur, medicus perciperet, abdomen magis magisque intumescere, tendi, attenderetque, non raro & urinae suppressionem & involuntariam excretionem adfuisse, suasit, catheterismum institueret chirurgus. Hic hac in operatione difficultatem invenit maximam, de summo dolore conquerebatur aeger, &, cum tandem vesicam intraret instrumentum, parva quidem exiit urinae copia, mox vero retractum catheterem insequutus sanguis est. Altero die cum ne guttam urinae emitteret aeger, eandem operationem repetiturus chirurgus penetrare in vesicam nullo modo potuit, iterumque sanguis fuit evacuatus.

Tertio die versus vesperam in consilium vocatus maxime anxium inveni aegrum, de dolore summo in pene conquerentem, debilissimum, & omni sensu sic constitutum, ut fatalem morbi exitum praedicere debuerim. Tensum enormiter abdomen erat, nullo autem modo dolebat, etiamsi manu comprimeretur. Digitus, ano immissus, oppletam distenta & durissima vesica pelvim invenit. Genitale membrum ad leviissimum attactum dolebat vehementer, immissus autem catheter vix ultra glandem pertingebat, quin prae dolore acerbissimo alta voce clamaret aeger, maxime urgeret, & mox sanguis magna quantitate, partim grumosus, partim fluidus, prodiret; injectum blandissimum oleum fuit, immissus, viae anfractuosae caeterum optime sese accommodans, bacillus cereus, sed incassum. Licet jam ex omnibus, quae praecesserant, ex praesenti etiam aegri statu, ex impedimento, quod per tot dies imminui, nedum tolli, non potuerat, de restituendo aegro omnino desperarem, tamen, ne fato suo penitus relinqueretur, aut postea aliquid videretur omissum, instituta vesicae punctura per intestinum rectum methodo Flurantii. Mox ingens urinae, rubellae, admodum foetentis, prodiit quantitas, subsedit abdomen, & levatus hoc sensu multum aeger fuit. Nox autem insequuta est laboriosissima, de dolore summo in urethra conquerebatur, &, inquietissimus, alvum, absque ut custodem moneret, deponens, simul propulit cannulam, in vesica relictam, & videbatur una cum foecibus per hanc viam iterum magnam excrevisse urinae copiam. Febris aderat valida, pulsus talis, ut, gangraenam si non adesse, saltem non procul abesse, conjicere liceret; lingua nigerrima aridissima. Tentata tamen omnia sunt, quae ars suppeditat, ut naturalis urinae via referaretur, sed incassum, & mors tandem supervenit. Al-

Altero die cadaveris ſectionem inſtitui. Aperto a ſcrobiculo cordis ad pubem, ab umbilico ad utrumque latus, abdomine, veſica urinaria inſigniter expanſa, infimam abdominis partem totam occupans, & ad umbilicum usque ſeſe extendens, cernebatur; inteſtina omnia ſurſum erant propulſa, & non multum expanſa. Veſicae vaſa admodum turgida erant; mox autem atque lotii receptaculum comprimebatur, maxima urinae, non admodum foetidae, copia, ex urethra exibat; ſine dubio propter relaxationem partium. Aperta ab anteriore veſica ope ſpongiae prudenter a reliquo lotio liberabatur. Tunicae veſicae urinariae, etiamſi haec adeo fuerat diſtenta, erant tamen admodum craſſae, ſic ut, licet evacuata, non multum volumine minueretur. Interna ſuperficies non erat aequabilis, ſed reticulata, & ſinus magis minusve profundos monſtrabat, quos omnes calculoſa opplebat materies, ſic ut primo adſpectu calculis quaſi incruſtata videretur. Praecipue vero maxima collectio grumorum calculoſorum in fundo veſicae conſpiciebatur, qui per tenacem mucoſam materiem invicem cohaerentes orificio colli ſic erant appreſſi, ut illud non, niſi remotis iisdem, in conſpectum veniret: ſed & tunc non apparebat, prout ſano in ſtatu ſeſe monſtrare ſolet; tuber enim aderat inſignis magnitudinis, intra cavum veſicae prominens, & orificium ipſius partim opplens, partim ultra illud ſic prominens, ut non niſi parva fiſſura conſpiceretur; aderatque ſimile tuberculum a latere praecedentis. Duo autem hi tumores cohaerebant cum proſtata, ſeu potius proſtata ſeſe tantopere extenderat, ut non tantum applicata eſſet parti poſteriori colli, ſed totam cervicem cingeret, longitudinem ab uno latere ad alterum habens trium pollicum, ad altitudinem duorum cum dimidio adſcendens, & duos pollices craſſa. Collo veſicae una cum urethra aperto duo illi tumores, ad magnitudinem nucis juglandis, intra veſicam prominentes conſpiciebantur; diſſecta autem proſtata ſubſtantiam multum degeneratam, duram, vere ſcirrhoſam, exhibuit. Urethra multum contracta inflammata erat, & eadem calculoſa materie obſeſſa, quae veſicae urinariae adhaerebat; haec ſua acutie ſine dubio ſummos in aegro dolores excitaverat, tantamque ſenſilis admodum & jam multum inflammatae urethrae contractionem, ut catheter per eandem propelli non potuerit. Caput gallinaginis parum erat laceratum, an a dicto inſtrumento, cujus introductionem ſanguis fuerat inſequutus? an a calculis? Penetraverat cannula acus in veſicam parum ſupra degeneratam proſtatam, inter veſiculas ſeminales. Receſſerat apertura, in veſica facta, ab apertura in inteſtino recto, vix tamen medio loco humor aliquis detegebatur. Ureteres, renes, viſcera abdominalia erant ſana. Veſiculae ſeminales parvae, durae, ferme cartilagineae.

Quae de hoc caſu ulterius monenda ſint, & quomodo varia ſymptomata explicari poſſint, alibi, Exercit. Acad. Lib. 2. cap. 12. pag. 116. ſeq. monui, haecque hic loci repetere, inutile duco, ſed poſtea notabilem proſtatae intumeſcentiam ſcirrhoſam, iſchuriae verae, nono demum, poſt negatum omne auxilium, die lethalis, cauſam, in alio aegro obſervavi, quem caſum hic loci memoraſſe, nemini displicebit.

Octuaginta annos paucosque menſes natus ſenex, ab aliquo tempore de dolore in lumbis conqueſtus, primo difficilius urinam emiſit, dein vero in plenariam iſchuriam

fiam incidit, ſic ut, remediis, quae Medicus praeſcripſerat, internis externiſque excretionem urinae non promoventibus, ad catheterismum recurrendum fuerit. Cum autem a Chirurgo catheter urethrae immittebatur, prodiit ſanguis, licet non magna copia; altera autem vice dum inſtituebatur eadem operatio, inſtrumentum veſicam intravit, magnamque lotii quantitatem evacuavit; levamen ſic quidem percepit aeger, attamen ipſe veſicam exonerare non potuit, &, cum altero die rurſus inſigniter lotio eſſet diſtenta, nullam vero urinam redderet, etiamſi ſtimulum de tempore in tempus perciperet, jubente Medico, catheterismum rurſus inſtituere voluit Chirurgus; ſed, ſumma prudentia licet procederet, attamen penetrare inſtrumento in veſicam non potuit, ſanguinis autem inſignis copia prodiit. Eodem die, 16. Martii 1785., in conſilium verſus veſperam vocatus, abdomen admodum tenſum inveni, aegrum vero vix de dolore aut etiam inſigni moleſtia conquerentem, & ut fatebatur, rarius mingendi conatus percipientem. Tentavi tunc ipſe primum argenteum catheteren, dein alium ex reſina elaſtica paratum, omni prudentia per urethram in veſicam promovere; ſed mox atque ad aliquam a glande diſtantiam inſtrumentum devenerat, prodibat ſanguis, & magna quidem copia; cum vero ulterius leniſſime promoverem inſtrumentum, obſtaculum quoddam detexi, videbaturque inſtrumentum in cavum quoddam penetrare, & digitus tunc temporis perinaco admotus ibi inſignem percipiebat duritiem. Non ergo cathetere ulterius urgendum cenſui, ſed, dum idonea ventri genitalibus locisque vicinis applicarentur remedia, quae viam ordinariam referarent, per alium locum exonerandam eſſe veſicam cenſui, propoſuique hujus receptaculi puncturam per inteſtinum rectum. Digitus ano immiſſus tumorem totam pelvim adimplentem detegebat, qui durior eſſe videbatur, quam diſtenta veſica aliis in caſibus eſſe ſolet; vereri itaque me, ne proſtatae durities notabilis adeſſet, mox medico atque chirurgo dixi, attamen, cum ſuperiori loco videbatur pertundi poſſe veſica, tentandam eſſe operationem, omnes concluſimus. Idoneo in ſitu collocato aegro, cognito modo juxta indicem ſiniſtrae, ano immiſſum, cannulatam Flurantii acum propulit chirurgus, aſt, dum apicem veſicae impellere tentat, in duriſſimum quidem penetravit & maxime tumidum corpus, ſed lotii ne gutta prodiit, ſanguinis autem parum. Ipſe tunc partes examinavi, & percipiens, inſtrumento veſicam ipſam attingi non poſſe, ab operatione eſſe abſtinendum putavi, puncturam vero in regione hypogaſtrica propoſui; ſed hanc admittere plane recuſavit aeger, & quicquid vel ipſe dixerim, vel medicus atque chirurgus, aut & adſtantes amici, propoſuerint, licet inevitabile ipſius fatum, ſi naturae ſoli morbus relinqueretur, inſtare praedixerint; nil ulterius admiſit; altero tamen adhuc tertioque die accedens tentavi omni ope illum de neceſſitate operationis, quae certo certius ipſum ſublevaret, dum tempus concederetur deobſtruendae viae ſolitae, convincere, ſed incaſſum, certamque mortem incerto eventui curationis praetulit. Geſſerunt ipſius curam ulterius medicus atque chirurgus, qui mecum communicarunt, ſe ab aegro nullo modo impetrare potuiſſe, ut propoſitum adhiberetur auxilium; ipſum vero vix de moleſtia aut dolore fuiſſe conqueſtum, vires de die in diem diminutas eſſe, abdomen intumuiſſe inſigniter, ſupervixiſſe ad diem 24 Martii, tuncque placide exſpiraſſe. Eo-

Eodem die anatomicam cadaveris ſectionem inſtitui. Abdomen ad parvam ſupra umbilicalem regionem diſtantiam inſigniter erat expanſum & duriſſimum; occupabat autem tumor praecipue regionem hypogaſtricam, nec multum verſus latera ſeſe extendebat. Ex pene videbantur urinae guttulae prodire, &, compreſſo parumper abdomine, ex eodem verum lotium proſiliebat. A ſcrobiculo cordis ad pubem & verſus latera diſſectis integumentis, peritonaeo; veſica, lotio turgidiſſima, ad duos transverſos digitos ultra umbilicum ſeſe extendens, omnem inferiorem abdominis capacitatem opplebat. Peritonaeum non ultra dimidiam partem illius veſicae portionis, quae oculis ſeſe monſtrabat, deſcendebat, tuncque reflexum abdominales inveſtiebat muſculos, ſic ut reliqua pars tota nuda muſculis illis accumberet, & ad oculum demonſtrari poſſet, veſicam vel compungi poſſe in regione hypogaſtrica, praeſente iſchuria, vel & longiori plaga aperiri, ubi extrahendus calculus eſt, absque ut metus ſit penetrandi in ipſum cavum abdominis. Veſicae vaſa admodum erant turgida; color autem ipſius ab utroque latere & in parte ſuperiore nigerrimus, vere gangraenoſus. Inteſtina omnia ſurſum erant propulſa, & tenuium portiones parvae juxta latera veſicae deſcendebant. Prope inguina in celluloſa membrana, in quoque latere, praeſertim in ſiniſtro, attentionem figebant tumores pinguedinoſi, admodum inaequabiles, duri, diverſae magnitudinis, quorum maximi ovum columbinum ſuperabant, non cohaerentes, ſed inter peritonaeum & iliacum internum inveniendi. An horum forte ortus adſcribendus continuae bracherii preſſioni, quod gerere ſemper ſolitus fuerat aeger, cum olim hernia laboraverat, cujus tamen nec ſaccus nec aliud veſtigium ſupererat? Compreſſa veſica urinae multum ex pene effluebat, valida tamen haec requirebatur preſſio, antequam prodibat.

Aperta veſica urinaria, parietes ipſius juſtam habere videbantur craſſitiem; aſt interna ſuperficies quaſi reticulata erat. Circa orificium urethrae inſignis conſpicie-batur prominentia, & circulus tumidulus, durus, nigro colore diſtinctus, illud undique cingebat; prominentia illa proſtata erat, quae tantam acquiſiverat magnitudinem, ut ovo anſerino aequalis eſſet, maximamque adimpleret pelvis partem; ſimul erat duriſſima, & diſſecta ſcirrhi quodammodo naturam referebat; in medio tamen mollior, purulenta, aderat materies, poſt puncturam, acus triquetrae ope inſtitutam, ſine dubio nata. Erat hoc corpus idem illud, quod digito, podici immiſſo, ſeſe obtulerat, & ultra quod inſtrumentum, veſicae, ut evacuaretur, immittendum promoveri non potuerat, ſed & in idem illud pervenerat catheter, & ſimile inſtrumentum, per urethram nunc propulſum, in veſicam non penetrabat, ſed in degeneratam proſtatam pertingebat.

Renes, ureteres, viſcera abdominalia ſano in ſtatu erant; pancreas ſolum juſto majorem acquiſiverat duritiem.

Referri huc etiam debet Proſtatae degeneratio, viſa in Cadavere viri, octuaginta annos nati, cujus vitae morbique hiſtoriam amiciſſimus Collega, defuncti nepos, ſequentibus verbis mecum communicavit.

„ Fuerat defunctus ab ipſo fere die natali infirmae admodum valetudinis tamque pa-

parum vivax videbatur, ut parens, cum caeteris liberis omnibus annuos reditus in vitam coëmere fuiſſet ſolitus, illi uni hanc impenſam facere vereretur: Neque vires ei niſi ſenſim creverunt: Atque adultâ demum aetate nervorum iſta corporisque debilitas ceſſit virili robori, quod vita, ad ſeveram frugalitatis & temperantiae normam exacta, non parum adjuvit auxitque. Interim, ſtudiis & ſcriptioni deditus perpetuo, ex adſiduâ hac animi contentione nimiâque immoti corporis quiete, circa quadrageſimum aetatis annum, morbum contraxit hypochondriacum, qui illum per integros ferme duodecim menſes vehementer adflixit, ita ut ſpiritus quoque inde hebeſcerent & conſueto legendi ſcribendique labori vix ſufficerent. Hanc tamen poſtquam languentis animi corporisque aegritudinem ſuperaſſet, multum commodi ex ipſo malo ſe percepiſſe fuit opinatus: Nam, qui antea ſaevis renum lumborumque, tum etiam capitis, doloribus fuerat vexatus, ex eo tempore, etiamſi nullo fere exercitio, ipſa etiam ambulatione, rariſſime uteretur, ſemel tantum febri laboravit, & nunquam aeger decubuit, usque ad annum aetatis ſeptuageſimum ſextum. Id vero, quantum memini, incommodi ſemper ſenſit, ut lotium difficulter, adeoque nimis frequenter & guttatim, emitteret: Cujus mali prima forte cauſa fuit phimoſis: Sed & rei medicae imperito ſuſpicari liceat, crebros hos renum & lumborum dolores, quibuscum juvenis conflictabatur, demum ceſſaſſe, poſtquam materies illa, unde naſcebantur, progrediente aetate in regione veſicae concreverat velut coagulum: Et forſitan huic ſymptomati explicando inſerviet quoque obſervatio, coelibem non tantum vixiſſe virum optimum, ſed & continentiae caſtitatisque obſervantiſſimum. Ut autem huic ſtranguriae, quantum poſſet, mederetur, aquae potor erat maximus, tum frigidae, tum etiam, provectioribus annis, tepidae in Theam infuſae. Sic, anno 1706. natus, vixit usque ad annum 1782. quando vires, quae antea minui tantum videbantur, uno, ut ita dicam, ictu fuerunt dejectae collapſaeque, ita ut nec manus officium facerent, nec pedes. Tum quoque alvum retinere aliquando erat impotens; & eâdem, qua infantes, ope adſiduâ indigebat. Mens interim vegeta erat; & judicandi acumine non minus pollebat quam olim. Medicus, ut naturam labaſcentem parumper erigeret, aquam potare prohibuit; verum cereviſiam praeſcripſit ex genere ſpisſisſimo mane bibendam, tum in prandio & coena vinum purum, per totum vero diem vinum Rhenanum cum aquâ cornu cervi incoctâ. Hic potus, inſtaurando robori idoneus, frequens per hortum ambulatio, & vita ab omni opere curâque immunis, ſenem adeo refecerunt, ut qui quatuor dehinc annos pedem vix poſſet promovere, noviſſimâ ante mortem aeſtate, ſolus, etiam ſine baculo aut ſcipione, per vineta ſpatiaretur: Et ſpes erat fore, ut ad ultimam ſenectutis metam perveniret. At menſe Decembri 1786. ineunte ſtranguria iſta, quae paulatim creverat, ſeſe prodidit manifeſtioribus indiciis, quae inter alvi nec opina dejectio erat frequentior. Id quidem familiares ignorabant, quia vir bonus mala ſua ſilentio tegebat, neque querebatur, viſcera ſe nimia abdominis preſſione, ut urinam demitteret, etiam nolentem exonerare: Igitur rati, eum diarrhaea laborare, iſtum morbum abſenti Medico indicavimus, uti & aliud ſymptoma, de quo

quo aeger fuerat conqueſtus, diriſſima ſcilicet in inferiore alvi parte circa pubem & anum tormina. Suſpicatus fuit Medicus haemorrhoïdes adeſſe internas, quandoquidem ſenex noſter tali cibo & potu utebatur, qui ſpiritus animales admodum incitaret, & per hyemem perpetuo ad focum ſedens ambulatione neceſſarioque ad ſanitatem motu carebat. Secundum haec indicia & hypotheſin veroſimilem medicamenta aegro dari juſſit: Ille vero ſumſit pene invitus, nauſeam inde ſibi oriri dicens: Et revera, quum per aliquot dies iis remediis fuiſſet uſus, 11. Decembris die, circa veſperam, vehementiſſimus illum vomitus corripuit cum ſumma anxietate. Sequenti biduo parumper ad ſe rediiſſe videbatur, urinam tamen (uti poſtea intellexi) non niſi maxima cum difficultate & iterato niſu exprimens, quod die praeſertim 12. Decembris, antequam cubitum iret, non ſine querelis & gemitu fuerat conatus. Poſtridie, ſumto nobiscum prandio, ut alvum exoneraret, de menſa abiit: At, dum in ſella ſedet, & lotium emittere fruſtra conatur, animi patitur deliquium, tantoque angore premitur, ut lecto eum imponere fuerit neceſſe, nunquam inde (urgente fato) ſurrecturum. Triſtiſſimam mox noctem tranſegit, centies centiesque matulam requirens & minxiſſe ſibi viſus, ne guttulâ quidem emiſſâ, praeterea dolere ſibi anum vehementer conqueſtus. Medicus fomenta herbasque praeſcripſit, quae abdomini impoſita calorem vitalem partibus hiſce, frigore captis (ſic opinabatur) redderent. Arceſſitus etiam Chirurgus prolapſum ani invenit, vetus forſitan malum. Die Jovis 14. Decembris acutiſſimi dolores irrequieto aegro, cui interim abdomen valde intumuerat, continuos gemitus exprimebant; nec tranquillior nox ſucceſſit: Quare, cum irrita Artis Medicae reperirentur auxilia, &, ſi quod malo remedium, id a perita Chirurgi manu unice foret exſpectandum, Te ſtatim adii, ut ope tuâ optimo ſeni adeſſes, Chirurgumque conſiliis regeres atque juvares."

Voto itaque amiciſſimi Viri ſatisfaciens ſtatim aegrum adii, & examinavi ſcrupuloſe. Catheterem leviſſima manu & ſumma prudentia, absque magna etiam difficultate, in veſicam (ut videbatur & poſtea etiam plenius conſtitit) propuli. Nulla tamen prodiit urina, ſed parva ſanguinis quantitas. Tumebat abdomen inſigniter, ac dolores, ex illa diſtenſione enati, vix erant tolerabiles. Per anum explorata digiti ope veſica admodum alta & antrorſum promota videbatur, ſic ut vix ac ne vix quidem apice digiti attingi potuerit. Diſſuaſi eapropter puncturam methodo Flurantii, vel tanto magis, quoniam ex duobus caſibus, modo recenſitis, didiceram, proſtatam non raro adeo eſſe tumidam, ut cannulata acus per eam propelli non potuerit, & cum hoc in caſu ſimilis tumor non difficulter detegebatur. Dicta ergo operatio in regione hypogaſtrica inſtituta eſt, eo ſucceſſu, ut per cannulam mox inſignis prodierit lotii quantitas, & levatus fuerit aeger. Supervixit operationem tantum per tres ſeptimanas, licet per totum illud temporis ſpatium nihil neglectum ſit, ut via naturalis aperiretur, & aeger per eandem urinam expelleret. Catheterem urethrae immittere, ſat facile erat, eumque intra eandem relinquere, cui quidem ſcopo ex teſina elaſtica paratus inſerviit, ſed ne gutta quidem urinae per eundem effluebat: du-

dubium tamen ſupereſſe non poterat, quin revera in veſicam penetraret; injectiones enim per catheterem factae ex canali, per regionem hypogaſtricam immiſſo, exibant.

Examinatum cadaver eſt, relicta tamdiu intra veſicam cannula, donec penitus denudata eſſet veſica. Haec admodum erat contracta. Haerebat liberrime intra factam aperturam cannula, nullis incruſtationibus obducta, margines vero aperturae erant calloſi. Sublatis oſſibus pubis, ut tota etiam urethra denudari valeret, ab apertura, ope acus triquetrae facta, quae ſatis diſtabat ab eo loco, quem peritonaeum integit, deorſum in urethram ipſam ſecta veſica eſt, & ſectionis duo labia a ſe invicem remota. Craſſities admodum inſignis tunc apparuit, & poſterior veſicae ſuperficies inaequalis, turgentibus vaſis quaſi aſpera, cernebatur. Quod autem excretioni urinae obſtaculum praebuerat, corpus erat globoſum, ab anteriore tamen & a poſteriore magis compreſſum, collo paulo tenuiore ex cervice veſicae enatum, anteriori parti hujus receptaculi firmiter appreſſum, & notabilem ejus cavi partem adimplens. Originem trahebat ex proſtata, quae ſurſum & verſus latera ſeſe maxime extenderat, dura praeterea & vere ſcirrhoſa. Pone dictum corpus calculus, piſum magnitudine referens, delitescebat. In urethra nil mali detegebatur, & haec nullibi catheteré fuit lacerata. Tab. CXIII. Fig. 2.

Ex viſis hoc in cadavere ſano ratiocinio concludere licet. 1. Cauſam difficilis & poſtea plenarie impeditae urinae excretionis eſſe quaerendam & in corpore illo duro, ex proſtata enato, & in calculo, libere intra veſicam haerente, nunc hunc nunc alium locum occupante. 2. Materiem, vi quadam in veſicam per catheterem impulſum, potuiſſe parum removere dictum corpus, illud vero mox, catheteris orificio applicatum, hujus aperturam clauſiſſe, ſic ut ex veſica per catheterem effluere nihil potuerit. 3. Puncturam, methodo Flurantii inſtitutam, in hoc caſu pariter non potuiſſe illam adferre utilitatem, quam ipſi adſcribere multi ſolent.

XLIII. Penis cancroſus, pugnum magnitudine aequans, felici amputatione ablatus.

XLIV. Segmentum teſticuli humani ingentis molis, cujus vaſa ſeminifera confuſa, & in ſubſtantiam cartilagineam mutata ſunt. Eſt Sect. III. P. 1. N. CCXIV. Ex Ruiſchiana Collectione, ut plura alia, in Doeverenianam hoc praeparatum pervenit, &, ſi figuram, quam dedit Ruiſchius Theſaur. Anat. X. Tab. 3. Fig. 1. lamellae talis teſticuli cartilaginei cum hoc praeparato comparemus, dubium vix ſupereſſe poteſt, quin ea, quae monet Ruiſchius, huc pertineant. Prolapſus, inquit, ab alto patiens quidam accepit contuſionem gravem teſticuli dextri, unde remediis adhibitis nil proficientibus in tantam duram molem accrevit, ut tandem non ſolum pueri caput adaequaret, verum etiam patiens non ſine magno incommodo incedere potuerit, itaque coactus fuit, expertiſſimum chirurgum à Bortel conſulere, qui me quoque in conſilium una vocavit. Cum autem ad munia impos factus eſſet patiens, propoſuimus teſticuli extirpationem, ſicuti a ſupra dicto chirurgo animoſe & dextre expeditum fuit. Primis diebus mediocriter quidem ſeſe habuit, poſtea vero febre ingruente in pejorem ſtatum redactus, incidebat enim in ſpasmum oris imperfectum, id quod pluries contingit poſt extirpationem teſticulorum, qui in tantam molem excreverunt; atta-

attamen poſt valida adhibita remedia convaluit aeger. Poſt extirpationem pondus teſticuli erat trium librarum cum ſemiſſe, & omnia vaſcula ſeminifera, teſticulum conſtituentia, confluxerant, & cartilaginea erant facta. "

Duritiem ferme cartilagineam ſiniſtri teſticuli ipſe in cadavere viri anno 1786. obſervavi. Hic ante aliquot annos luctando ad ſcrotum laeſus ſarcocelen contraxit, quae tamen ipſi non adeo erat moleſta. Poſt longum temporis intervallum tumore in inguine ſiniſtro laborare coepit, cui ſimilis in dextro acceſſit. In ſiniſtro latere tumor continuo increſcebat, & tantam in vaſa cruralia producebat compreſſionem, ut oedematoſe tumeret artus, inceſſus vero primo difficilis redderetur, dein plane non poſſibilis eſſet. Varia emplaſtra, fomenta, cataplasmata, adplicabantur, ut tumor reſolveretur, &, cum nulla reſolutionis ſpes affulgebat, in tumore potius, in apicem adſurgente, incipiens quaedam fluctuatio percipiebatur, quae natam ſuppurationem, & illius ope emollitionem tumoris, promovere poſſent, fuere adplicata, imo locus maxime tumens, & collecto humore turgens, lanceola fuit apertus. Aſt loco puris ſanguinolenta prodiit materies. Qui ad hoc usque tempus ſatis bene ſeſe habuerat, jam febricitare incepit aeger, &, paucis elapſis diebus, inopinato mortuus eſt.

Examinavi a morte tumorem. Degenerata erant integumenta cum muſculis in parte inferiore abdominis ac ſuperiore cruris; ſed praecipue laborabant glandulae inguinales. Hae enim cum dictis partibus formabant tumorem duriſſimum, inaequalem, ferme cartilagineum, qui ſeſe extendebat intra abdominis capacitatem, & quo in tumore degeneratus funis ſpermaticus etiam deliteſcebat. Diſſectis ſcroti integumentis ad inferiora usque, in latere ſiniſtro ſaccus detegebatur, ſanguine tenuiſſimo, nigricante, repletus. Teſtis ipſe, caput neonati infantis magnitudine referens, erat poncderoſus atque duriſſimus, & diſſectus cartilagineam ferme monſtrabat fabricam, ſic ut ipſius partes, aut funem ſpermaticum, diſtinguere non liceret. In dextro inguine ſimilis tumor erat, ac in ſiniſtro, ſed multo minoris molis. Totus hujus lateris teſtis erat degeneratus in ſaccum, ſimili ſanguinolenta materie repletum, ac in ſiniſtro latere erat viſa, verum de ſubſtantia ipſius nihil ſupererat. Viſcera abdominalia omnia erant ſana.

XLIV.*a*. Teſtis hominis adulti, induratus, tuberculatus, cujus epididymis & vas deferens cum adjectis ſanguiferis etiam admodum tument, volumine aucta ſunt, & indurata.

XLV. Genitalia mulieris. Labiis vulvae verrucae, una praecipue maxima, adhaerent.

XLVI. Excreſcentia clitoridis. Caput infantis magnitudine aequat. Feliciter in nobili Virgine hanc extirpavit Clar. van Doeveren. Eſt Supellect. Doeverenianae P. 1. N. CCXI.

XLVII. Uterus, cui vix orificium eſt. Magnitudo & craſſities hujus uteri notabilis eſt. Quinque pollices longus, duos cum dimidio inter tubas latus, tantam habet craſſitiem, ut, ſublato anteriore ſegmento, externa ſuperficies ab interna octo lineas diſtet. Prominet orificium ſeu potius collum ſolito more intra vaginam, absque ut

ut ulla rima transverſa appareat, ſed rotundum eſt, undique clauſum, ſi excipimus aperturam, medio circiter loco inveniendam, caput aciculae minoris vix admittentem, & verſus interiora ſic anguſtatam, ut ſpecillum tenuiſſimum penetrare non valeat, aërem vero admittat. Nullum cicatricis, praegresſaeve laeſionis, veſtigium adeſt. Cervix, juſto longior, verſus inferiora contrahitur, & in rotundulum finem deſinit, dicto foramine pertuſum. Ovaria, praeter modum turgida, extrinſecus inaequalia, intus corpuscula varia, fuſco humore plena, continent, quale, praeter alia parva, unicum, inſigne admodum, avellanam nucem magnitudine aequans, in ſiniſtro adeſt. Hydatides multae, ſeu veſiculae, humore plenae, filorum ope latis adhaerent ligamentis. Conf. Obſervat. Anatom. Patholog. Lib. 2. cap. 2. p. 66. Tab. 5. Fig. 7.

XLVIII. Uterus ſcirrhoſus ex femina hydropica, quae ſcirrhis multis in hepate olim laboraverat. Eſt Supellect. Doeverenianae P. I. N. CCX.

XLIX. Uterus, cujus parti ſuperiori ope tenuis pedunculi adhaeret tumor notabilis. Pedunculus non niſi ex membrana uteri externa componi videtur. Tumoris forma ferme triangula; pars inferior latior. In apicem adſurgentia latera non recta ſed tuberculata ſunt, & talia tubercula in parte anteriore etiam conſpiciuntur. Subſtantia interna, admodum compacta, ſteatomati ſimilis eſt. Ovarium ſiniſtrum expanſum eſt in ſaccum, qui aquam continuit; hydropis ovarii initium. Tab. CX. Fig. 2.

L. Uterus, cujus parti poſteriori adhaeret tumor caſtaneae magnitudinis, lata baſi enaſcens, ſed in apicem obtuſum deſinens.

LI. Uterus, cui tumor ſimilis adhaeret. Occupat hic partem lateralem ſiniſtram uteri, magnitudine juglandem refert, duritie cum ſteatomate convenit. Prominet non tantum extrinſecus, ſed & verſus interiora vergit, ſic ut capacitatem uteri inſigniter imminuat. Gravitate hujus tumoris uterus ſiniſtrorſum ſic fuerat detractus, ut linea, a nexu oſſium pubis ad medium os ſacrum producta, ipſum nequidem tangeret, & orificium verſus dextram pelvis partem dirigeretur. Ligamenta ſiniſtri lateris hinc erant breviora. Externo uteri involucro diſſecto tumor ex ſubſtantia uteri eradicari totus potuit; ipſius interiora pinguedini induratae non erant abſimilia. In uteri cavo, in dextro latere, principium ſimilis tumoris conſpicitur, nondum tamen piſum magnitudine aequans. Conf. Obſervat. Anatom. Patholog. Lib. 1. cap. 8. Tab. 7. & 8. Fig. 1. & 2.

LII. Tumor durus, globoſus, ſingularis naturae, qui utero vetulae adhaeſit. Tab. CX. Fig. 1. Magnitudine pugnum aequat, pondere libram dimidiam ſuperat. Accreverat tali modo parti poſteriori matricis parvae flaccidae, ut ex ipſa ſubſtantia videretur productus, & externa uteri tunica ipſum ſimul complecteretur. Superficies tumoris inaequabilis eſt, & tuberculata. Secto externo velamento, facile ab utero fuit ſeparatus, tuncque in duos diſtinctos tumores ſeceſſit, alterum majorem, tuberculatum, alterum minorem, ſimiliter inaequabilem, & cum majori celluloſae ope cohaerentem. Subſtantia interna oſſea eſt, ſic tamen, ut non continuum os intus lateat, ſed plurima concrementa oſſea per totum tumorem ſint diſperſa, velamento craſſiori externo comprehenſa, quae tanto numero parti molliori inhaerent, ut tumor vel acutiſſimo cultro vix ac ne vix quidem dividi potuerit. Tu-

Tumores tales ſimilesve ſaepiſſime utero accreſcere, variis obſervatis abunde probavi, Obſervat. Anatom. Patholog. Lib. 1. pag. 106. 107. 108. & 112. not. a. Lib. 4. pag. 113. ſeq. Confirmare autem idem notabili anatomica ſectione poſſum, quae plura alia memoratu digna continet, quippe inſtituta in cadavere matronae, mox a partu mortui infantis defunctae.

Haec, poſtquam ſudore madens, gelidiſſima hyeme, terrore perculſa media nocte lecto exſilierat, in aſthma incidit, cujus ſymptomata, non ſemper eadem, ſubinde admodum gravia erant. Non diu poſtquam laborare inceperat nupta, primis quidem menſibus ſatis bene ſe habuit, dein vero, poſtquam ſpatio dimidii anni in matrimonio vixerat, concepit, & ab eo tempore reſpiratio etiam difficilior fuit, imo ſubinde, praeſertim quando decumbebat, adeo anxia, ut lecto ſeſe continere non potuerit, &, ſi ſiniſtro lateri forte incumberet, vix ſpiritum ducere. Quo magis autem increvit foetus, eo vehementiores aſthmatis fuere acceſſus, licet hi etiam ſemper ſeſe eodem modo non haberent, ſubinde quippe adeo mites, ut ſanationis ſpes ipſi adfulgeret, ſubinde adeo validi, ut abortum pertimeſceret: miſeram autem vitam non ultra octavum graviditatis menſem protraxit, tuncque, ſubortis doloribus partus, infantem, qui jam ab aliquo tempore videbatur mortuus, in lucem emiſit, eodemque momento animam efflavit.

Abdomen, in parte anteriore, regione praeſertim hypogaſtrica & umbilicali tumidum, nullam tamen notabilem duritiem offerebat. A thorace in pubem, ab umbilico verſus latera, ſectis integumentis, adipis, magis quam ſolet flaveſcentis, major, quam expectari poterat, aderat copia. Aperto abdomine viſcerum ſitus ſequens ſeſe obtulit. Hepar, ad diſtantiam transverſae manus infra cartilaginem enſiformem promotum, magis verſus ſiniſtrum latus tendebat, ſic ut ligamentum latum & rotundum ab umbilico ſiniſtrorſum adſcenderent. Lobi dextri pars inferior, quae ad ſignem diſtantiam infra cartilagineum thoracis marginem deſcenderat, plane erat reflexa, & reliquae magis ſuperiori parti hepatis ſic incumbebat, ut ſuperficies, quae ventriculum duodenum partesque vicinas reſpicere ſolet, extrinſecus ſeſe manifeſtaret, & fundus veſiculae felleae, mox in oculos incurrens, nudus conſpiceretur. Longitudo hujus partis, ſic reflexae, erat ſex pollicum, latitudo duorum. Tenſae hac de cauſa erant partes membranaceae omnes, quae hepar vicinis nectunt. An haec hepatis mutatio uſui thoracis rigidi adſcribenda? ſic videtur. Comprimitur enim totus thorax, depellitur hepar, margo thoracis inferior introrſum urgetur, hepati quaſi imprimitur, veſtigium, cum dicto margine conveniens, in eo hinc conſpicitur, & inferior hepatis pars ad marginem thoracis inflectitur, duriorque redditur. Cum autem in graviditate externae abdominis partes omnes non tantum extenduntur, ſed etiam ampliatur inferior thoracis pars, ac ſurſum urgentur viſcera, aliter fieri non potuit, quin illa inferior hepatis pars, jam a margine thoracis remota, non huic, ſed ſuperiori parti hepatis accubuerit. Similem ex compreſſione thoracis hepatis defigurationem ſaepe in cadaveribus vidi. Ventriculus ſua inferiore, unde omentum procedit, curvatura umbilicum adtingebat, aëre expanſus. In latere dextro ſolito magis tumi-

dum

dum apparebat coecum; inde autem enatum colon, poſtquam parumper adſcenderat, mox a latere ſiniſtro coeci iterum deſcendebat, adſcendens tunc pone ventriculum ad ſiniſtrum latus vergebat, ibi, & ubi pelvim intrabat, maxime contractum. Reliquam partem adimplebant tenuia, inter quae omentum, non multa pinguedine refertum, deliteſcebat.

Remotis inteſtinis uterus ſeſe offerebat, ad magnitudinem capitis infantis contractus. Figura ipſius externa erat admodum irregularis, ſitusque inſolitus, adeo enim oblique ponebatur, ut ovarium dextrum, orae ſuperiori pelvis accumbens, ferme dirigeretur verſus nexum oſſis ilei cum ſacro, ſiniſtrum pelvim intraret, & verſus ſymphyſim oſſium pubis vergeret. Globoſus ab anteriore & ſuperiore uterus verſus latus ſiniſtrum in mucronem rotundulum durum excreſcebat. Ex pelvi ſublatus uterus ab orificio, quod maxime erat dilatatum, & vix ſe contraxerat, ad fundum longitudinem habebat octo pollicum. Linea, ab inſertione tubae unius in latus oppoſitum ducta, a fundo uteri ſesquipollicem diſtabat. Diſſecto ab anteriore juxta longitudinem utero, diverſa ipſius apparebat craſſities. Placenta anteriori ſegmento adhaeſerat, ibique craſſities erat pollicaris; in fundo vero reliquaque parte omni vix dimidium pollicem craſſa erat ſubſtantia. Parti poſteriori matricis adhaerebat tumor, leviter conicus, cujus circumferentia in fundo erat ſeptem pollicum, ſuperior ipſius pars in eadem linea erat cum tubis. Separata exteriori membrana ipſi ſubſtantiae uteri ad notabilem profunditatem inhaerebat; haec vero ibi loci vix tali modo mutata erat, quemadmodum in omni alio; erat quippe multo compactior, vaſaque dilatata non niſi pauciſſima conſpiciebantur. Liberatus undique tumor ovi gallinacei magnitudinem habebat; cruciatim diſſecti ſubſtantia dura erat, ſteatomati ſimilis. Ren dexter juſto major, caeterum ſanus. Sana etiam reliqua viſcera abdominalia.

Ad Thoracem progreſſus, integumenta muſculosque majores ſeparavi; mox vero atque ad intercoſtales perveni, in dextro latere ſpatia omnia extrorſum prominula vidi, apertoque uno mox prodiit flaveſcentis, limpidae, inodorae, aquae copia. Aperto hoc latere pulmo nullo modo ſubſidebat, ſed adeo diſtentus tumidus erat, ut ſuam, cavo accommodatam figuram retineret, etiamſi comprimeretur. Tanta erat aquae copia, ut inter pulmonem atque diaphragma magna adeſſet diſtantia, ſola aqua oppleta; compreſſus hinc quam maxime fuerat pulmo, ſine dubio, quod ob graviditatem non adeo deſcendere potuit diaphragma, quam in hydrope pectoris facere ſolet. In ſiniſtro latere aderat aqua, non vero tanta copia. Uterque pulmo liber erat, pauca filamenta dextrum pleurae a parte poſteriore nectebant, ſed facile ſolubilia. Superficies pulmonis rubeſcebat, videbantur multa vaſa disrupta ſanguinem in telam celluloſam effudiſſe, in quam penetraverat etiam aër, verum emphyſema pulmonum faciens. Diſſecti pulmones nullam exhibuerunt vomicam. In pericardio vix aqua adfuit.

LIII. Uterus, cujus parti interiori adhaeret parvus polypus. Ligamenta in uno alteroque latere maxime differunt. Ab utero verſus dextrum latus ligamentum latum, multum expanſum, vix duos pollices longum eſt, in latere ſiniſtro quinque ſuperat.

Dextrum

Dextrum ligamentum rotundum brevius etiam ſiniſtro. Ligamentum ſpurium ſupernumerarium ex parte uteri poſteriore prodit, hoc ad os ſacrum tendebat, ibique a latere recti inteſtini in peritonaeum, poſteriora pelvis inveſtiens, evaneſcebat. Uterus ergo hicce obliquum non tantum habuit ſitum, & verſus dextrum latus vergebat, ſed fundus ſimiliter retrorſum deorſumque fuit directus. Matricis corpori hydatis pedunculi ope adhaeret. Ex ſuperiore cervicis parte enaſcitur corpus quoddam, tenerum, pedunculi ope ipſi adnexum, ad aperturam, qua cervix cum vagina communicat, ſeſe extendens, ſenſimque lateſcens; polypi principium. Ovarium ſiniſtrum tres pollices cum dimidio longum, dimidium latum, praeter varias inciſuras, corpuſculum quoddam, magnitudine officulum ſeſamoideum referens, lapideae ferme duritiëi, monſtrabat. Dextrum duos pollices longum eſt. Tubae, in utroque latere per membranas ovariis nexae, & miro modo contortae, in coecas deſinebant veſiculas, nullis aperturis patentes.

LIV. Uterus, intra quem dependet tumor, glaber, ſed non ubique aeque aequabilis, compreſſioni quodammodo cedens, ovatus, parte ſua inferiore paulo magis contractus, & in apicem quodammodo deſinens, qui cervicem intraverat. Ope pedunculi cum interna ſuperficie matricis cohaeret hic tumor, non longe a loco, ubi ſiniſtra tuba ſeſe aperire ſolet. Subſtantia hujus mollis eſt, & intra eandem continetur veſicula, olim nigricante humore plena, & ſupra hanc, magnam, duae aliae minores, eodem liquore diſtentae, aderant. Uteri cavum hac de cauſa non fuit triangulare, ſed ovatum, & integri adhuc uteri anterior poſteriorque ſuperficies tumidulae fuerunt. Aperturae in tubis Fallopianis non adſunt. Conf. Exercitat. Acad. Lib. I. pag. 107. ſeq.

LV. Uterus, in partu disruptus. Placenta poſticae ipſius parieti adhaeret. Poſtquam per aliquot dies parturierat femina, nullo in lucem emiſſo infante, obſtetrice omne auxilium & conſilium reſpuente, vitam cum morte commutavit. Impetratam a parentibus cadaveris ſectionem altero mane inſtituit Clar. van Doeveren. Totum abdomen maxime, & ultra gravidi modum, turgidum erat; in vagina nudum caput foetus tangi poterat, tantopere deorſum propulſum, ut vix pollicem ab exitu vulvae diſtaret. In incidendo abdomine craſſior apparebat, quam in gravidis ſolet, panniculus adipoſus, inque ſuis cellulis continebat multum aëris foetidiſſimi. In abdominis aperti cavo mox nudus cernebatur foetus femellus, maturus, permagnus, lividus, corruptus, maxime tumidus, odorem peſſimum ſpirans, per uteri ruptulam in illud delapſus. Ruptura haecce erat in regione uteri inferiore atque anteriore, reſpondens parti laterali, ſuperiori, & poſteriori, oſſis pubis ſiniſtri, indeque dextrorſum parumque ſurſum juxta pubem tendebat, tam magna, ut quamvis uterus jam eſſet contractus, fere quatuor pollices longa eſſet; margines ipſius laceri, inflammati, locis gangraenoſis corrupti cernebantur. Uterus adeo erat contractus elapſo ſuo foetu, ut in abdomine repraeſentaret tumorem, pollices circiter ſex longum & quinque latum, in ſiniſtro latere a pelvi ad renem usque extenſum, nullis omnino, niſi ſuperne, tectum inteſtinis, quae omnia, cum omento ſuo ſurſum preſſa, ambic-

biebant uterum, & foetus latera atque partem ſuperiorem, erantque illa, praeſertim omentum, ſanguine turgida, rubra, inflammata. Caput foetus firmiter haerebat impactum cavitati pelvis & vaginae, ita tamen, ut facies ſpectaret latus dextrum matris: doloribus partus tantopere erat depreſſum, ut vires ſatis inſignes adhibendae eſſent, antequam illud inde extrahi valeret. In uteri fiſſura, ad inguen cadaveris ſiniſtrum, haerebat foetus humerus dexter cum ſua ſcapula, ſiniſter libere intra abdomen; pectus & venter reſpiciebant integumenta abdominis matris, ita ut dextra mamma oſſi ileo hujus propinqua eſſet, dorſum atque os ſacrum ad poſteriora matris ſpectabant, nates occupabant ſuperiorem abdominis regionem ultra umbilicum, ut anus apertus ſuperiora teneret. Femore dextro deorſum ad abdomen inflexo, in medio ejus cavo, dextrum crus ita ad latus abdominis ſiniſtrum erat extenſum, ut pes ſurſum inflexus lienem ferme attingeret: Femur ſiniſtrum haerebat in latere dextro, crure ſuper vulvam ſiniſtrorſum reflexo. Cubitus dexter ſub articulo pedis dextri cum crure emergebat ſurſum, manu ejus deorſum inflexa, & amplexa inferiorem femoris partem, ſimulque genu flexuram; brachium ſiniſtrum in latere abdominis dextro, ſuper os ileum, indeque verſus medium ejus cavum, extendebatur, ut digiti pectus medium tangerent, & funiculum umbilicalem comprehenderentur. Funiculus hic, ex abdomine foetus prodiens, ſub parte ſuperiore cruris ſiniſtri & poplite, ſurſum flexus, extrorſum ad latus dextrum matris tendebat; in hoc deinde latere deſcendens, juxta latus ſiniſtrum foetus, ſub cubito manuque ſiniſtra, pergebat ad mediam abdominis partem, trans pectus foetus, usque ad pubem matris, indeque iterum juxta humerum dextrum, parum adſcendens ſiniſtrorſum, donec per rupti uteri aperturam ingrederetur ad ſuam placentam, quae ad parietem uteri poſticum, e regione rupturae ejus, erat adnata. Pelvis rite erat conſtituta, & tres infantes antea enixa erat mulier. Conf. Cl. van Doeveren Obſervat. Academ. cap. 8.

LVI. Uterus puerperae. Femina, quae per aliquot ſeptimanas diarrhaea non adeo gravi laboraverat, ſeptimo graviditatis menſe gemellos in lucem emittit; per tres primos puerperii dies ſatis bene valens poſtea diarrhaea iterum corripitur, de dolore lateris punctorio conqueritur, atque nono puerperii die moritur. In cadavere tumidum admodum abdomen erat. Multum pinguedinis inter cutem atque muſculos inveniebatur. Peritonaei vaſa juſto majori ſanguinis copia turgebant. Omentum, maxime inflammatum, admodum pingue, viſcera omnia tegens, ferme ad oſſa pubis deſcendebat. In toto ipſius margine, parte inferiore, ac praeſertim illa portione, quae inter lienem atque ventriculum datur, corpuſcula dura variae magnitudinis detegebantur. Lien, admodum longus, nullo remoto inteſtino in conſpectum veniens, in pelvim deſcendebat. Hepar, criſtam oſſis innominati ferme attingens, inſignis etiam latitudinis, in ſiniſtrum latus ad lienem usque ſeſe extendebat. Uterus, ad magnam ſupra oſſa pubis diſtantiam conſpicuus, tumidulus, non vero admodum globoſus erat, ſed in anteriore ac poſteriore parte compreſſus. Obducebat totam matricem pſeudo-membrana, quae non adeo facile ſeparabatur, &, ex caſeoſa materie originem trahens, peritonaeo tenuibusque inteſtinis pariter adhaerebat. Opplebat pelvim, mag-

magnamque abdominis partem; materies quaedam albida, tenuis, lactei coloris; nullum pravum odorem habens, & quoad conſiſtentiam cum lactis ſero conveniens. Pubis oſſa ſatis mobilia invenichantur; &; horizontaliter ſecta, exhibuerunt duas cartilagines, parum ab invicem diſtantes, craſſam compactam admodum ligamentoſam ſubſtantiam anteriorem, tenuiorem poſteriorem. Uterus attentionem ad ſe traxit ſummam. Ab orificio ad ſummitatem usque longitudinem ſeptem pollicum habebat. Latitudo inter tubas erat quinque pollicum. Linea, ab una tuba ad alteram ducta; medio loco duos pollices cum dimidio a fundo diſtabat. Vagina latitudinem trium pollicum cum dimidio habuit. Apertura oris intra vaginam ſesquipollici aequalis deprehendebatur. Labium hujus oſtii anterius nullum erat, ſed parva ibi cernebantur ulcuſcula, praeſertim aderat tale a latere dextro, quod, eroſa interna tunica, ad ipſam ſubſtantiam ſat profunde penetrabat. Labium poſterius, ad quartam circiter pollicis partem intra vaginam prominens, ſatis extenuatum erat. Ovaria, admodum magna, extrinſecus inaequalia, tuberculata, variis ſulcis & eminentiis exarata. Dextrum erat pollicem cum una quarta parte longum, duos latum; ſiniſtrum, duos longum, ſesquipollicem latum. Diſſecta exhibebant corpuſcula, lutea dicta, reliquamque ſubſtantiam compactam admodum, fibroſam. Tubae Fallopianae amplae erant, in extremitatibus ſuis apertura inſigni patentes. Capacitatis uteri, muco obductae, ſuperficies interna quaſi tomentoſa erat. Dependebant quippe ab ea villi innumeri, breviores, longiores, praeſertim conſpicui ea in parte, cui placentae adhaeſerant. Sedes illarum fuiſſe videbatur in anteriore ſegmento, partibusque lateralibus; & hoc etiam demonſtrabat differens hac in parte craſſities uteri, dum enim haec in fundo, ut & in collo, vix dimidium aequabat pollicem, medio loco pollicem ſuperabat. Foraminulenta, a diviſis vaſis, ſpongioſa hinc & laxa admodum erat tota ſubſtantia. Diſſectum collum illam multo magis compactam exhibebat. Vaſa multa, quae ramoſa per omnem ſe diſtribuebant ſubſtantiam, apertis oſtiis innumeris intra uterum hiabant. Obſervat. Anatom. Patholog. Lib. 4. cap. 1. Tab. 1. 2. & 3.

LVII. Uterus puerperae, ex gangraenâ ipſius mortuae. Cadaveris hujus feminae aperto abdomine mox in conſpectum veniebat filum admodum craſſum a ventriculo ad uterum deſcendens, eique firmiter accretum, ex degenerato omento productum. Hoc admodum tenſum loco moveri vix valuit, & circa illud inteſtina tenuia, ſingulari ratione, erant contorta. Uterus eandem circiter magnitudinem habuit, quam in praecedenti caſu. Cavitas vero ipſius interna, nigerrima, foetidiſſima materie erat obducta, vera gangraena affecta. Hiſtoriam morbi expiſcari non licuit.

LVIII. Uterus feminae, cujus cor, Tab. CV. & CVI. depictum, Sectionis hujus N. VIII. pag. 242., & truncus, inſignem curvaturam habens, Sectionis IV. N. CCIX. pag. 181. deſcribuntur Ovarium dextrum admodum magnum eſt, & verum hydropem incipientem ſiſtit. Tumor pellucidus, globoſus, tres pollices latus, duos cum dimidio altus, tenuis, aquam flavi coloris continebat. Opplebat hic tumor maximam partem pelvis, & vicinas partes omnes ſic compreſſerat, ut corpus uteri inſolitam etiam ac-

acquirere debuerit formam, ac ſervare, quamdiu in pelvi continebatur. Ovarium ſiniſtrum ſanum erat. Conf. Tab. CIX. Fig. 3.

LIX. LX. Ovarium inſignis molis hydropicum; & Uterus vario ſenſu a ſtatu ſano recedens.

Tumido admodum ventre virgo, triginta & quod excurrit annorum, aliquamdiu laboraverat, antequam medici auxilium imploravit, ad quod tum demum confugit, quando, ſuppreſſis jam a longo tempore menſtruis, admodum emaciata vix de lecto ſurgere valuit. In conſilium vocatus ventrem, quem alii non examinaverant, explorans manifeſtam contentae aquae fluctuationem percepi, &, in evacuandis per ſolita colatoria talibus aquis medicaminum impotentiam ſaepius expertus, paracentheſim inſtituendam ſuaſi. Facilis ſeſe huic operationi ſubjecit, eductaque aqua eſt, ſed non ad tantam quantitatem, quam adeſſe tumor ventris indicabat; fluxus, licet immiſſa cannula admodum capax erat, cito abrumpebatur, & nulla opera quicquam ulterius prodiit; levamen tamen percepit, &, quae antea difficilior erat, reſpiratio jam liberior reddita eſt. Repetita hac de cauſa poſtea eadem operatio, ſed quae jam antea debiliſſima erat, ſenſim vi morbi ceſſit, poſtquam crurum oedemata acceſſerant, quae, disrupta, magnam aquarum copiam fuderunt, primo quidem cum multo levamine, ſed dein magis aegram debilitarunt. Cum tumor abdominis primum in latere dextro ſeſe manifeſtaverat, ſenſim vero totum occupaverat abdomen, quum ex iis, quae in paracentheſi obſervaveram, ſaccatum hydropem ſubeſſe ſtatueram, credidi ovarium dextrum praecipue laborare, nec fefellit inſtituta cadaveris ſectio.

Inciſis abdominis integumentis, muſculis, peritonaeo, mox in conſpectum venit ſaccus, admodum extenſus, infimam abdominis partem ab umbilico ad pelvim usque non ſolum occupans, ſed & in latere dextro ſeſe maxime ſurſum extendens, imo thoracis marginem ſubiens, ſic ut viſcera abdominalia, maxime ſurſum preſſa, diaphragma multum ſurſum urgerent, &, praeter inteſtina nonnulla, quae in parte laterali ſiniſtra & ſuperiore ſeſe manifeſtabant, nihil conſpiceretur. Saccus, parum remotus, extrinſecus glaberrimus, & aequalis, ex pelvi originem trahere videbatur; liberato autem, quem in nonnullis locis cum peritonaeo filamentorum ope contraxerat, nexu, emiſſaque, quam adhuc continebat, aqua, conſtitit eſſe ovarium, in tantam molem extenſum. Hoc a tuba Fallopiana ſeparatum pondus quinque librarum habuit & extenſionem octo pollicum. In ſuperficie poſteriore tubercula majora, minora, craſſa admodum, ſeſe manifeſtabant, &, ſacci parte anteriore, dilatatâ aperturâ, per quam aqua erat emiſſa, magis diſſecta, illi tumores etiam ab interiore ſeſe manifeſtabant; & hi, cultro diviſi, mucoſam tenaciſſimamque materiam continebant.

Singularem degenerationem ſubierat Uterus. Orificium ipſius, admodum durum, multum intra vaginam prominebat, pondere corporis ſui & adhaerentium tumorum depreſſum. Corpus enim ipſum, quaſi cartilagineum, valde tuberculatum erat. Ab anteriore ipſius parte octo tubercula minora, majora, cernebantur; a parte poſteriore ſeptem, ſed parti laterali dextrae inſignis molis tumor adhaerebat, polli-

pollices circiter tres latus, duos longus. Ovarium ſiniſtrum ſolito quidem majus, non vero morboſum, videbatur. Tab. CVII. Fig. 4. ſitum ovarii expanſi & vicinorum viſcerum exhibui; Tab. CVIII. ovarium ipſum & ab exteriore atque poſteriore, & ab interiore, magnitudine ea, quam evacuata omni aqua retinuit; uterum denique & ab anteriore & a poſteriore Tab. CIX. Fig. 1. & 2.

LXI. Ovum humanum inane. Rejectum eſt a femina, quae aliquoties feliciter pepererat, & ſemel abortum fuerat paſſa. Quae ovum conſtituere ſolent, membranae omnes adſunt, ſed apertum nullum exhibuit foetum, verum interiori amnii ſuperficiëi & parti laterali adhaeret veſicula, humore plena, in coecum finem deſinens, unde tenerrimum producitur filamentum, quod ad aliquam ab hac veſicula diſtantiam in ovi membranam internam deſinit. Obſervat. Anatom. Patholog. Lib. 2. cap. 3. p. 78.

LXII. Mola uterina. Eſt Suppellect. Doeverenianae. P. 1. N. CCXVI.

LXIII. Placenta duplex. Poſt enixam puellam ſanam haec a primipara rejecta eſt. Partes, in quas diviſa eſt, non multum magnitudine ab invicem differunt, ſed ferme aequales deprehenduntur, ſic tamen ut altera portio circiter quinque, altera quatuor pollices, longitudine aequet, illa quinque pollices cum dimidio, haec quinque lata ſit. Ferme ſeſe contingunt, ſic autem, ut ad alterum marginem medio loco parva conſpiciatur portio ejusdem naturae, ac ſunt placentae ipſae, illas connectens, & originem praebens umbilicali funi, unica vena, binis arteriis compoſito, praelongo, craſſo, plurimis tuberculis obſeſſo. Vena, ubi ad dictam pervenit partem, in duos dividitur ramos, quorum alter ad majorem alter ad minorem decurrit placentae lobum; ab utraque vero arteria quisque lobus ſuos accipit ramos. Conf. Obſervat. Anatom. Patholog. Lib. 2. cap. 4. pag. 90. 91. & 92.

LXIV. Placenta, cujus funis velamentis inſertus eſt. Sola naturae vi poſt difficiliorem partum, forcipe terminatum, haec una cum reliquis partibus ad ſecundinas pertinentibus expulſa eſt. Velamenta non niſi ea in parte, quae, orificio uteri adplicata, & amnii liquorem & foetum transmiſerat, diſrupta erant. Placenta ovata longitudinem ſeptem pollicum latitudinem quinque cum dimidio habet. Nullus omnino ipſi inſeritur funis, ſed hic, in parte placentae oppoſita, in ovi velamenta terminatur. Per funem duae arteriae, unica vena, decurrunt. Haec vaſa, tortuoſo modo per funem progredientia, ubi ad ovi membranas pervenerunt, ab invicem recedunt. Altera arteria verſus unum, altera verſus alterum latus, progreditur, juxta chorion adſcendit, &, antequam ad marginem placentae devenit, in utroque latere, in altero tamen citius, finditur; ambae vero, placentae latus adtingentes, ſupra internam placentae ſuperficiem plures ſpargunt ramos, intra ipſius ſubſtantiam demum penetrantes. Vena, paulo ultra arterias decurrens, in duos ramos, non adeo multum capacitate differentes, finditur; alter nullum emittit ramulum, antequam placentae marginem adtingit, alter inſignem dat, qui ad partem oppoſitam placentae decurrit, antequam, emiſſis minoribus ramis, ſeſe ulterius dispergit. Praeter dictos ramos in toto decurſu juxta membranas nullos alios ſpargit. Licet felix fuerit injectio,

rami nulli per ipſas membranas diſperſi comparuerunt. Conf. Obſervat. Anatom. Patholog. Lib. 2. cap. 4. pag. 95. ſeq.

LXV. Placentae pars in hydatides verſa. Femina, quae quintum graviditatis menſem attigiſſe ſibi videbatur, doloribus ventris correpta, ſanguinemque ex genitalibus fundens, abortum inſtare credit. Licet ea propinarentur, quae abortum praecavere potuiſſent, perſtiterunt non tantum dolores, ſed & aucti ſunt, demumque expulſa hydatidum, invicem cohaerentium, magna moles. Nullus viſus foetus eſt, periiſſe itaque eum, aut antea expulſum, in utero relictam placentam, eſſe, & in has hydatides degeneraſſe, credibile. Aderat medius quaſi diſcus, compactus, non niſi in ſuperficie parvas veſiculas offerens, aſt ab eo verſus omnem ambitum hydatidum racemi progrediebantur. Veſiculae hae omnes, turbido, albicante, humore plenae, a pedunculis dependentes, pedunculorum ope inter ſe cohaerentes, magnitudinis erant diverſae. Vaſa his veſiculis originem dediſſe, non difficile probatu eſt, rami enim vaſorum ſuperſunt plurimi, ortum aliis praebentes, qui nunc contracti & in ligamenti ſpeciem mutati, nunc in veſiculam ſeu hydatidem expanſi ſunt, unde iterum aliae plures, pauciores, dependent veſiculae. Conf. Obſervat. Anatom. Pathol. Lib. 2. cap. 3. pag. 83. ſeq.

LXVI. Pars placentae humanae in hydatides verſa. Eſt Supellect. Albinianae P. I. N. CCXCVIII. Eſſe hydatides, ex ſententia ſummi hujus viri, ipſas arterias & venas, per intervalla contractas, & dilatatas, Muſei hujus pag. 65. conſtitit.

LXVII. LXVIII. LXIX. LXX. Portiones placentae humanae, in hydatides mutatae. Sunt Supellect. Doeverenianae P. I. N. CCXVIII. CCXIX. CCXX. CCXXI. Olim in Theſauro Ruiſchiano fuerunt.

LXXI. Funis, in quo verus cernitur nodus. Longitudo funis cum nodo, non explicato, fuit viginti quinque pollicum cum dimidio; portio, foetus abdomini adhaerens, aequabat duos pollices, nodus explicatus ſex.

LXXII. Funis, in quo nodus admodum aequabilis, glaber, ut nullibi ruga conſpiciatur, & non partus tempore factus, ſed jam antea formatus ſic procreviſſe videatur. Funiculi pars, placentae adhaerens, erat tredecim pollicum; cum foetu nexa quinque: nodus, ſi explicari commode potuiſſet, octo circiter pollicibus aequalis fuiſſet. Pars, nodo conſtricta, mox ſupra & infra nodum ligata eſt, ſic ut ſanguis omnis in vaſis permanſerit, quae vaſa, praeparato ſpiritui vini immiſſo, formam pulchre retinuere. Obſervat. Anatom. Pathol. Lib. 2. cap. 4. pag. 105.

LXXIII. Pes ſiniſter infantis neonati, cujus primus & ſecundus digitus concreverunt.

LXXIV. Clavus digiti pedis. Eſt Supell. Albinianae. P. I. N. CCXCI. Conf. Muſei hujus pag. 64.; ubi hoc praeparatum plenius explicatur.

LXXV. Portio cutis hominis adulti, ſupra malleolum reſecta, in qua ulcus eſt. Eſt Supell. Albinianae P. I. N. CCXCII. Arteriae impletae ſunt. In parte ſaniore ulceris vaſa impleta; in eſchara nulla.

LXXVI.

LXXVI. Digitus humanus, ſpina ventoſa inſigniter corruptus, & tumefactus. Eſt Supell. Doeverenianae P. 1. N. CCXV.

Praeparata, quae ſiccata conſervantur.

LXXVII. Dura mater, cujus parti anteriori & interiori inhaerent quatuor oſſificationes, duae in ſiniſtro latere, totidem in dextro. Siniſtrae ſibi admodum propinquae ſunt, altera major, altera minor, inaequalis utraque, multum ultra ſuperficiem durae matris prominent, & propinquae proceſſui falciformi ſunt. Dextrae inter ſe multum diſtant, quae falci propior parva, quae remotior major, & medio elatior. Dura mater haec, inverſa, ſupra cranii partem ſuperiorem ſic expanſa & ſiccata eſt, ut pars anterior durae matris cranii tegat illam partem, in qua ſutura lambdiformis eſt.

LXXVIII. Pars arteriae aörtae cum vicinis arteriis iliacis oſſificata.

LXXIX. Truncus exſiccatus arteriae aörtae, a baſi cordis abſciſſus, cum adjecto trunco arteriae pulmonalis, per funiculum ſolidum, in quem canalis arterioſus tranſiit, aörtae adhaerentis, ex cadavere hominis adulti phlogoſi pulmones aeque ac cerebrum occupante demortui, quod in Theatro Anatomico Patavino, una cum Clar. Fiorati, Theatri illius Proſectore, diſſecuit Clar. Aglietti, Medicus Venetus, qui pro ſua erga me humanitate hoc naturae luſu, Tab. CVII. Fig. 1. & 2. depicto, meum Muſeum ornare voluit, addita ſequenti deſcriptione.

„ Aörta, jam inde a baſi cordis egreſſa, ſolitumque emenſa ſpatium, verſus dextras in arcum ſeſe flectens progrediebatur, ita ut truncus ejus deſcendens latus fere dextrum vertebrarum legeret, usque dum, e diaphragmate in abdomen emergens, ſiniſterius, quemadmodum aſſolet, ſe converteret. Qui ex ſummitate arcus producuntur rami plerumque tres, in hoc ſubjecto quatuor numero, ordine non parum mutato, ex trunco dimittebantur. Nam carotis ſiniſtra a trunco, antequam in arcum flecteretur, prodibat, latus legens ſiniſtrum aſperae arteriae; inde carotis dextra ad medii digiti diſtantiam ſuperius exibat, lateri dextro incumbens tracheae; ſubclavia vero dextra ex ipſa arcus ſummitate ſupra carotidem dextram ſurgebat; ſubclavia ſiniſtra ab ipſa aörta deſcendente exoriebatur, ad diſtantiam pollicis circiter a dextra. Quod vero attentionem maxime ad ſe convertit, burſa fuit ſeu protuberantia, conoïdea ferme, in quam truncus ipſe aörtae deſcendentis ſtatim infra arcum ſeſe explicabat, quae protuberantia a dextris ad ſiniſtras procedens ſenſim contrahebatur, ut in truncum ſiniſtrae ſubclaviae deſineret. Inter apicem hujus conoïdeae prominentiae, & radicem ſubclaviae, quae ex ipſo ſurgebat, inſerebatur canalis arterioſus, jam ligamentum factus, ita ut prima fronte, antequam partes a celluloſa & pericardii nexibus liberarentur, videretur ſubclavia ſiniſtra cum ipſo arteriae pulmonalis trunco per arterioſum canalem continua; erat quippe funiculus arterioſi canalis non ita ut ſolet contractus & tenuis, ſed teniam referebat, cujus latitudo parum ab ea rami principis trunci arterioſi pulmonici diſſidebat. Ad ſingularem hanc

aörtici tubi tum ſtructuram, tum itineris varietatem, non ea quoque praetermittenda, quae ad paris vagi ramorum ad Laryngem recurrentium retroflexionem ſpectabat. Nempe recurrens dexter ſub ipſo aörtae arcu & circa eum flectebatur, ſurſum procedens, ſiniſter vero circa canalem arterioſum, jam in ligamentum mutatum, reflexus ad laryngem procedebat. Quum nervi hujus reflexio circa ſolidum funiculum aperte demonſtrat, nullam a natura in retroflexione horum nervorum circa tubos arterioſos pulſatiles, quemadmodum conſueto modo obtinet, contemplatam fuiſſe utilitatem, praeter eam, quae ex facilitate retroflexionis ad angulum minus acutum derivari poteſt; conſtat nullam a pulſantibus canalibus nervorum recurrentium actuoſitati acceſſionem fieri, quemadmodum nonnulli contendunt. An vero ea aörtae gibboſitas congenita, qua nempe natura per auctas hujusmodi prominentiae conoïdeae contractiones proſpexerit, promovendo accelerandoque fluento ſanguineo per ſubclaviam ſiniſtram decurrenti, quod, attenta directione hujus tubi, ab aörta deſcendente orientis, attento longiore trajectu, quem ab exortu emetiri debebat, ut ad partes, quibus proſpicit, perveniret, certe lentius, quam in ceteris, ab aörta natis, majoribus, truncis progredi debuiſſet? An potius is aörtae ſaccus ſenſim ab ortu efformatus, a colliſione undae ſanguineae, per arteriam pulmonalem advenientis, & alterius undae, ſurſum ab aörta deſcendente in ſubclaviam reflexae, qua ſucceſſu temporis ejusdem vaſis initium, in quod inſertus eſſe debebat canalis arterioſus, ſenſim ita dilatatum fuerit, ut non jam tunicarum ipſius diſtractione, quod in aneurysmatibus obtinet, in ſaccum expanderetur, quam potius ſucceſſiva materiae nutritiae appoſitione tantum lumen acquireret, eo ferme pacto, quo vaſa uteri ſanguinea graviditatis tempore ab auctо humorum affluxu, ita ſuccreſcendo extenduntur, ut ab exilibus & viſum quaſi fugientibus in ingentes truncos mutentur? " Clar. Fiorati in primo volumine Actorum Acad. Patavinae (Saggi Scientifici e Letterari dell' Accademia di Padova pag. 69.) hunc naturae luſum deſcripſit, & figuris illuſtravit; quas & ego non omittendas cenſui, factas tamen ad praeparatum, quod in propria collectione adſervo.

LXXX. Laryngis cartilagines oſſeae.

LXXXI. Cartilaginis thyreoïdeae partes oſſeae. Eſt Supell. Albinianae P. 2. N. CCCXLIX.

LXXXII. Concretio ſingularis inventa in glandula thyreoïdea hominis, qui Pelagra laboraverat. Tab. CVI. Fig. 6.

LXXXIII. Concretiones ſimiles, inventae in glandula thyreoïdea hominis, qui bronchocele laboravit. Duae hae concretiones transmiſſae ſunt a Clar. Palletta.

LXXXIV. Pars meſenterii, cujus glandulae multae in ſteatomata diverſae magnitudinis degenerarunt.

LXXXV. Inteſtinum ileum, coecum & colon, inſolito modo, invicem concreta. Ileum in cadavere recta deſcendebat in coecum, quod medio in abdomine collocatum, & admodum expanſum, originem praebebat colo. Hoc dextrorſum tendens, oſſi ilii incumbens, ſtatim reflectebatur, & cum dicta parte atque coeco firmiter concretum, transverſum per abdomen non multum ſupra oſſa pubis decurrens, ad ſiniſtrum latus vergebat.

LXXXVI. Inteſtina craſſa, ſingulari ratione conſtituta. Praeparatum hoc idem, quod inter praeparata Supellectilis Doeverenianae P. 2. N. CLVII. Sect. III. pag. 120. & 121. latius deſcribitur.

LXXXVII. Inteſtini ilei portio, in qua calculi. Eſt Supell. Albinianae P. 2. N. CCCXLVI.

LXXXVIII. Pars inteſtini tenuis, cui diverticulum notabile adhaeret. Appendix ferme ejusdem capacitatis eſt, ac inteſtinum ipſum, non longe a meſenterio incipit oriri, & meſenterii continuatione, ad apicem ipſius ſeſe extendente, gaudet. Tab. CVII. Fig. 3. & 4. hanc appendicem delineavi.

LXXXIX. XC. Portiones inteſtini tenuis, quarum cuique ſimilis adhaeret appendix. Ex parte inteſtini, meſenterio oppoſita, hae originem trahunt, ferme ejusdem longitudinis ſunt, nec capacitas multum differt ab ea, quae canalis inteſtini eſt.

XCI. Inteſtinorum craſſorum & tenuium pars magna cum appendice praeternaturali, ex ileo proveniente. Et Supell. Doeverenianae P. 2. N. CLXII. Conf. Sect. III. pag. 121. & 122. ubi latius hoc praeparatum deſcribitur.

XCII. Peritonaeum, in ſaccum hernioſum, caput viri magnitudine acquantem, expanſum, a partibus reliquis ſeparatum.

XCIII. Similis peritonaei hernioſa dilatatio, pyriformem figuram habens.

XCIV. Veſica urinaria feminae cum duplici uretere dextro. Eſt Supell. Doeverenianae P. 2. N. CLXXI. Conf. Obſervat. Anatom. Patholog. Lib. 2. cap. 7. pag. 129. ubi tales caſus deſcripſi.

XCV. Veſica urinaria ſingularis formae. Verſus alterum latus inaequaliter expanſa, ob praeternaturalem uteri ſitum, qui in cadavere viſus eſt, & in cauſa fuit, quod veſica, lotio diſtenta, verſus unum ſemper latus intumuerit.

XCVI. Vaginalis tunica teſtis, olim per aquam expanſa, jam vero a partibus reliquis ſeparata, inflata, ſiccata.

XCVII. Concrementum in ovario ſiniſtro virginis viginti quatuor annorum inventum. Ovarium dextrum erat admodum expanſum, & humore repletum, ſic ut pondus undecim librarum cum dimidia habuerit, & hydrops ovarii hoc in caſu adfuerit.

XCVIII. Corpus durum, globoſum, in virginis ruſticae utero inventum, illumque ſic adimplens, ut neque membranacei quid neque humoris eſſet intermedium. Videtur ex particulis oſſeis, dura membrana nexis, conſtare. Pondus eſt unius librae. Serrae ope diviſum cruſtam exhibuit oſſeam ferme, duriſſimam; intus vero multae admodum cernuntur cellulae, majores, minores, ſepimentis variis irregularibus diſtinctae. Conf. Tab. CX. Fig. 3. 4. & 5. Clar. Palletta ſingulare hocce corpus dono dedit.

XCIX. Cornu enatum ex femore vetulae. Feminae, quinquaginta quinque annorum, ex parte inferiore & interiore femoris ſiniſtri enatum erat cornu, quod, formâ puſtulae parvae ante biennium incipiens, hoc temporis ſpatio ad pollicarem circiter longitudinem excrevit. Ligaturâ injectâ chirurgus excreſcentiam hanc tollere volue-

voluerat, hac vero adeo enormes ſuborti ſunt dolores, ut ligaturam ſolvere neceſſe fuerit. Increvit tunc cornu per aliquot tempus, contractius, ubi antea ligatura injecta fuerat, inde vero lateſcens, & demum in acutum, durum, cum ungue convenientem, apicem deſinens. Separabatur pro parte cornu, & ſic enaſcebatur ulcus dolorificum, maxime moleſtum, foetidum, effluente acri tenui corrodente humore. Pars cuti adhaerens abſciſſa fuit, ſcarificationes ſatis profundae in loco ulceris ſunt inſtitutae, alumen uſtum applicatum. Hoc pacto ſenſim ſuppuratio bona excitata eſt; depuratum poſtea ulcus, ad naturam vulneris deductum, & cicatrice optime clauſum.

C. Cornu ſimile, majus, enatum ex crure viri, quod ſponte ſeparatum eſt, ſed ulcus mali moris reliquit.

VI

CALCULI.

CALCULI.

Calculos in omnibus ferme partibus produci poſſe, ut alii oſtenderunt, ſic ipſe recentiorum obſervatis abunde probavi Obſervat. Anatom. Patholog. Lib. 3. pag. 71. not. a. Hac autem in Sectione eos omnes enumerabo, qui in Academica aut noſtra Collectione adſervantur.

Calculi in lacrymarum & ſalivae viis, aliisque inſolitis locis, inventi.

N°. I. Calculus, lacrymarum ſacco exſectus. Conquerebatur nobilis Virgo de tuberculo moleſto, nunc majori nunc minori, prope angulum internum oculi ſiniſtri in palpebra inferiore, de puris per eundem angulum evacuatione, praeſertim tempore matutino, de perpetuo lacrymarum juxta genas profluvio. Diverſa remedia, a variis propoſita & adminiſtrata, nullum levamen attulerant. Examinatus oculus, in dicta palpebra, non longe a puncto lacrymali, tuberculum exhibuit durum, exigua apertura in margine palpebrae hians, & compreſſum, parvam purulentae, bonae tamen notae, materiëi copiam fundens, ſic tamen ut volumine non multum imminueretur. Ex illo foramine, non ex puncto lacrymali, pus prodibat omni mane. Puncta lacrymalia aperta facile ſtilum tenuiſſimum admittebant. Injectio primo facilis non fuit, ſed, poſtquam aliquoties repetita erat, liquor in nares penetravit. Per aperturam tuberculi inſtituta ſimili injectione, hoc cum ſacco lacrymali communicationem habere, conſtitit. Aperto ſacco, ut praeſens ulcus depurari poſſet, detectum peregrinum corpus eſt, quod, volſella exemtum, patuit eſſe calculus, pyriformem figuram habens. Conf. Tab. CXIV. Fig. 1. ubi hic calculus, adaucta magnitudine, delineatus eſt. Facile tunc ſanatum ulcus eſt, reſtituta via lacrymarum, & hoc etiam ſenſu ſaniſſima vivit virgo. Caſum ſimilem in viro, fiſtula lacrymali laborante, vidit Doct. Horn, calculumque, duo grana pondere aequantem, ex ſacco lacrymali extraxit. Vide J. L. Schmucker vermiſchte Chirurgiſche Schriften. III. Band. pag. 254.

II. Calculi duo, ſublinguales. Horum alter, oblongus, parum incurvus, capite rotundulo craſſiore inſtructus, ex ductu ſublinguali ſiniſtro ſponte ſibi, poſt excitatos notabiles dolores, viam fecit, ſponteque ſanata apertura eſt. Figuram ipſius dedi Tab. CXIV. Fig. 2. Alter, a latere dextro linguae, in ductu communi ſublingualis & ſubmaxillaris glandulae haeſit, pariter ſponte ſibi viam fecit, ſed in fruſta diſſractus. Facile etiam depuratum & ſanatum ulcus eſt. Vide Tab. CXIV. Fig. 3. & 4.

III. Similis calculus, in modo nominato ductu inventus.

IV. Calculus, tussi ex pulmone ejectus, parvus, inaequalis, tuberculosus.

V. Calculi, in glandulis bronchialibus detecti.

VI. Calculus in carne cruris hominis podagrici inventus. Est Supellect. Albinianae P. 2. N. CCCLXIX.

Calculi biliarii.

VII. a. Centum & quinquaginta calculi parvi, in vesicula fellea inventi. Maximus horum pisum magnitudine aequat. b. Similes, viginti & quinque, inaequalis magnitudinis & figurae. c. Duodecim similes.

VIII. Parvi calculi biliarii. Supellect. Doeverenianae P. 2. N. CC.

IX. Calculus, repertus in vesica fellea feminae.

X. Similis, variis angulis intermediisque superficiebus planis distinctus.

XI. Calculorum duorum, post perpessos summos ventris dolores per alvum excretorum, alter. Videntur sibi sic adhaesisse, ut alter capite suo subintraverit sinum, in nostro inveniendum.

XII. Calculi duo, reperti in canalibus choledochis vetulae, ex ascite mortuae, contigui inter se, sic ut unum referant, magni, cortice aliquantum inaequabili, resinae simili, colore cinereo, alia in parte ad luteolum alia ad fuscum vergente. Supellect. Albinianae P. 2. N. CCCLXIII. Icones dedi Tab. CXIV. Fig. 6. & 7.

XIII. Calculi varii vesicae felleae hominis. Supellect. Albinianae P. 2. N. CCCLXII. Tab. CXIV. Fig. 5.

XIV. Calculus bilioſus, alvo redditus a matrona, septuaginta & octo annos nata, post perpessas per triduum horrendas anxietates, cum continuis ad vomitum conatibus, imo & vomituritione non interrupta, praecordiorum summa compressione, & alvo ad plurima & diversa enemata pertinaciter resistente. Pondus, elapso post excretionem bihorio, fuit circiter trium drachmarum. Est Supellect. Doeverenianae P. 2. N. CXCVIII. Tab. CXIV. Fig. 8.

XV. Ectypus calculi fellei, alvo excreti. Supellect. Doeverenianae. P. 2. N. CXCIX. Tab. CXIV. Fig. 9.

XVI. Calculi ramosi, tubulosi, ex vesica fellis bovina. Ibid. P. 2. N. CCI.

Calculi renales.

XVII. Calculi renalis Ectypus, figura, magnitudine, pondere, admodum notabilis. Historia sequens, a Maximiliano Bouwmanno anno 1602. conscripta, ab Ottone Heurnio Joann. Filio addita est. „ Maria de Coninckloo, filia Ludovici de Coninckloo, civis Bruxellensis, nata annos triginta, obiit 17. Februarii anno 1602. Dordraci in aedibus lanionis, cui nomen magni Adriani, in vicinia Petri Naemyck, & a me post mortem dissecta est in praesentia plurimarum matronarum, & deprehendi in rene ejus dextro ingentem monstrosae conformationis calculum, pluribus nodis ac protuberantiis conspicuum, coloris spadicei, qualis est ligni arboris nucis juglan-

juglandis. Pondere uncias octo excedebat. Ipſa renis ſubſtantia exterior tota erat ſolida, & omnino naturalis, adeo ut ejus parenchyma, calculo undique circumdatum, digiti transverſi craſſitiem acquaret. Ren ſiniſter totus repletus erat viridi, purulento, ichore. Medici & Chirurgi, qui ejus curae praefuerant, ex dyſuria, ſtranguria, & iſchuria, ac dolorum veſicae cruciatu, omnium ſymptomatum ſyndrome, judicaverunt, calculo veſicae illam laborare. Urinam craſſam facculentam & confuſam habuerat, & quae per alvum feceſſerant aliquot diebus ante mortem eodem colore, quali calculus infectus erat, tincta fuerant. Tota veſica impleta erat ſimili foeculenta, craſſa, ſpadicea ſanie, maxime autem ejus cervix. Tenuis & gracilis totius corporis habitus ei erat, praecipue in regione lumborum; idque primarium & maximum morbi hujus irritamentum ac fomentum fuiſſe videtur, accedente nimis violenta veſtimentorum circa has partes conſtrictione, quod virginibus Brabantinis, ad ſpecioſam gracilitatem conciliandam, nimis familiare eſſe ſolet." Tab. CXIV. Fig. 10.

XVIII. Calculus in rene vetulae inventus. Ren totus putridus erat, ſeu tunica externa craſſiore non niſi purulenta materies continebatur, in quam diſſoluta erat ſubſtantia omnis. Apex calculi principium ureteris intraverat, duo ipſius rami, quorum alter intrinſecus multum excavatus eſt, verſus ramos pelvis dirigebantur. Magnitudo non adeo inſignis eſt, ſubſtantia admodum compacta, & ex variis lamellis, ſibi impoſitis, compoſita. Color extrinſecus fuſcus eſt, ſed ſub hoc cortice alba delitescit materies, ſtriis nigricantibus variegata. Obſervat. Anatom. Patholog. Lib. 4. pag. 70. Tab. 8. Fig. 2. 3. 4. & 5.

XIX. Calculus renalis, caput animalis cujusdam collo inſiſtens non male repraeſentans. Pars inferior colorem ferme atrum habet; primo latior, dein ſeſe contrahit, porro inſigniter lateſcit, atque craſſeſcit, ſic tamen, ut verſus alterum latus in notabile tuber verſus alterum in apicem excreverit. Adſperſa quaſi parti aſperiori granula ſunt, absque ullo ordine. Obſervat. Anatom. Patholog. Lib. 4. pag. 70. Tab. 8. Fig. 6. & 7. Supellect. Albinianae P. 2. N. CCCLIV. Tab. CXIV. Fig. 11.

XX. Calculus, figura ſua pelvim renalem ramosque ipſius repraeſentans. Craſſum corpus ab altera parte deſinit in parvam eminentiam, deorſum directam, & tali modo ab ipſo prodeuntem, quali ureter ex pelvi produci ſolet, ab altera parte ipſi adhaerent quinque tubercula, quorum ſupremum, craſſo collo ex corpore enaſcens, caput rotundulum habet, margine inſigni cinctum, huic proximum multo minus eſt, ubique ferme ejusdem craſſitiei; tertium, in eadem linea cum praecedenti inveniendum, de ſua longitudine aliquid amiſiſſe videtur; duo reliqua, quorum alterum infimum occupat locum, alterum in poſteriore parte datur, ſupremo quidem minora, ſed reliquis majora exiſtunt, & inaequalia. Obſervat. Anatom. Patholog. Lib. 4. pag. 70. & 71. Tab. 8. Fig. 8. 9. 10. & 11. Supellect. Albinianae P. 2. N. CCCLXV. Tab. CXIV. Fig. 12. & 13.

XXI. Calculi in pelvi renis ſiniſtri & in ureteribus puellae decem menſium reperti. Donum Cl. Pallettae.

XXII. Ectypus calculi reperti in rene altero. Pelvem ramosque ejus refert, cum principio ureteris, ſed dilatato. In altero rene reperti calculi minores duo, quorum formae quoque adſunt. Non obſervaverant ſymptomata calculo renum laborantium. Supellect. Albinianae P. 2. N. CCCLXVIII.

Pertinet huc etiam calculus renalis inſignis magnitudinis atque formae, cujus figura inter manuſcripta Wepferiana, a Facultate medica coëmta, datur, quemque delineavi Obſervat. Anatom. Patholog. Lib. 4. pag. 72. Tab. 10. Fig. 4.

XXIII. Calculus renalis, qui ex abſceſſu in lumbis ſponte ſibi viam fecit, die 8. Aprilis 1786. J. v. V., annos natus quinquaginta & unum, ab infantia doloribus in reddenda urina & in lumbis vexatus, anno circiter aetatis decimo octavo, cum febre laboraverat, dolorem, magis verſus latus ſiniſtrum vergentem, percipere incepit, certo loco adfixum, quem apice pollicis determinare & contegere ſemper potuit, dolores alii dein acceſſerunt per totum abdomen vagantes, quos, compreſſo ope cinguli abdomine, minuere ſolebat. Ulcus renum adeſſe medentes cenſuerunt, variaque, ſed absque ſucceſſu, adminiſtrarunt remedia: cum annum quadrageſimum & ſeptimum agebat, correptus fuit febre acuta, tumor tunc in lumbis ſeſe manifeſtavit, duos circiter pugnos magnitudine aequans. Aperturam diſſuaſerunt, qui tunc temporis curam ipſius geſſerunt, maturuit autem, & ſponte disruptus eſt abſceſſus, prodiitque purulenta foetidiſſima materies. Haec autem, nimis diu in abſceſſu relicta, jam ante aperturam per celluloſam vias alias ſibi fecerat, hinc dicta apertura non tantum non claudebatur, ſed quatuor aliae ſubortae ſunt, quarum inferior ad magnam ſatis a prima diſtantiam. Hae nunc clauſae nunc apertae ſunt, ſic tamen, ut una alterave ſemper copiam magnam puris funderet. Per duos ad minimum annos res eodem in ſtatu manſit, donec, dicto die, digito inaequale durumque corpus in ſuperiori apertura perciperet, & calculum protraheret. Quum vero fiſtulae, quae tam diu ſubſtiterant, intus calloſae eſſent, & aeger pernegaret, adhibere ea auxilia, quibus illarum fundi & latera depurari & dein ſanari poſſent, perrexit evacuatio purulentae materiëi, donec alio morbo correptus periit. Tab. CXIV. Fig. 14. 15. & 16. hunc calculum ſiſtunt.

Calculi veſicae urinariae.

XXIV. Calculi quinquaginta & octo, ex veſica pueri, undecim annos & octo menſes nati, a Chirurgo Bortel extracti. A nativitate urinam fabuloſam excernens, poſtea innumeros exiguos calculos cum urina reddiderat; ſed dein doloribus urinaeque ſuppreſſione, ſaepe non niſi cathetere ſolvenda, adeo valide vexatus fuit, ut demum operationi fuerit ſubjiciendus, quae adeo feliciter ceſſit, ut novemdecim annos ſupervixerit. Omnes calculi pondere aequant duas uncias. Magnitudo diverſa eſt; maximus, pondus quatuor ſcrupulorum habens, nucem avellanam aequat; medii minimique majora minoraque piſa referunt; minimus pondus granorum decem habet. Sunt nonnulli quadrati, alii aliam & maxime irregularem figuram habent. Nucleo duriſſimo varia adpoſita ſtrata ſunt, quorum externum laeviſſimum a ſubjectis facile & leviori attritu

attritu ſecedit. Conſulantur Obſervat. Anatom. Patholog. Lib. 4. pag. 77. Tab. 9. Fig. 6. Tres horum delineantur Tab. CXIV. Fig. 17.

XXV. Calculi ſex, inventi in veſica Viri Clar. J. Heurnii. (Septimus, qui adfuit, ante longiſſimum temporis ſpatium furto ablatus eſſe dicitur.) Addita eſt ſequens hiſtoria, manu Ottonis Heurnii Joan. filii conſcripta.

„ Joannes Heurnius, integra ſanitate, toto vitae tempore uſus eſt, ad annum aetatis quinquageſimum ſextum usque, ſemel tantum in Italia pauciſſimis diebus febri conflictatus eſt, quam ilico larga venae ſectio ſolvit. Colico dolore ſtatim adfligebatur, ſi calida ſiccaque copioſius aſſumeret, quare ſibi a pipere, caepis, raphano, & id genus edyliis, ſtudioſe cavebat. Variolis non laboravit; ideoque perpetuo ſibi metuens ab externo irritamento, non libenter hoc morbo detentos adibat. Anno autem aetatis ſuae 56, Chriſti 1598. Febr. 8. cum ſolemni Rectorali convivio intereſſet, ibique biberet muſtum Rhenanum, faeculentum, crudum & auſterum (nam cum nunquam ulla indicia aut praeludia calculi percepiſſet, nec ullius viſceris infirmitate affligeretur, non erat in delectu dapum aut potus praepoſtere curioſus, ſed communibus alimentis gaudebat) repente percepit ſibi urinae reddendae facultatem inhibitam: domum igitur recedens plenariam percepit iſchuriam, adeo ut ne urinae quidem guttam excernere poſſet, niſi tandem poſt longa molimina enematum, pharmacorum & fomentorum. Urinam poſtea quidem reddidit, ſed non niſi cum cruciatu & ſtillatim. Nam Rhenani muſti ſubſtantiae tenuitas, & auſterae qualitatis abſtergens violentia, calculos, qui hactenus in renum latebris quiete reſederant, omnes ſimul commovit, & uno agmine cum flumine deſcendentis urinae in veſicae cloacam protruſit: ubi tum ob veſicae obicem ſphincterem, ab eadem acerba & adſtringente qualitate conſtrictum, tum ſeptem calculorum aequalis magnitudinis concurſu, ad veſicae cervicem, perenne tormentum dyſuriae & ſtranguriae paſſus eſt. Donec paulatina hac tormenti immanitate attritus, anno aetatis 58. Chriſti 1601. de nocte diëi 29. Maji, qui erat Martis, incidit in ſymptomaticam lethalem febrem quotidianam cum tertiana conjunctam, quae in tertianam puram abiit; ſubinde quidem minus violenta fuit, mox vero acrius inſurrexit, fomite mali perpetuo ſuperſtite, ac tandem in hecticam degeneravit, ſic ut, lenta hac dolorum carnificina prorſus emaciatus, placide & tranquille in Chriſto obierit Aug. 11., qui erat Saturni; mane, paulo ante ſextae mediam, eodem fere, quo natus momento. Poſt mortem in ejus veſica ſeptem reperti ſunt calculi, forma & magnitudine nucis juglandis majoris, coloris cineritii, omnes aequalis magnitudinis & ponderis, nam quilibet pendet drachmas duas grana duo & ſemigranum, ita ut ſeptem quatuordecim drachmas expleant, & grana ſeptendecim cum dimidio.“

XXVI. Calculi duo triangulares. Longitudo eorum eſt ferme duorum pollicum; alterius quodque latus pollicem cum una octava parte latitudine aequat, anguli autem rotunduli ſunt. Alter latera inaequalia habet, horum unum pollici cum duabus octavis partibus aequale eſt, duo reliqua vix pollicis latitudinem habent. Color ex cinereo fuſcoque mixtus eſt, ſic ut anguli fuſci, latera cinerea, ſint, aut ex utro-

que mixtum colorem habeant. Conſtant ex nucleo non ita duro, cui extrinſecus lamellae multae appoſitae ſunt. In altero cortex calcareus quaſi videtur, ſic ut portiunculae ſat facile ab eo ſecedant. Altero per ſectionem liberatus erat aeger, alter a morte in veſica inventus. Docet hoc ſequens morbi & ſectionis hiſtoria.

Vir, ſexaginta & ſex annos agens, a duodecim retro annis cum dolore & difficultate urinam emittens, longe durioribus vexabatur cruciatibus, poſtquam curru vectus iter confecerat. Tantopere increſcebant ſymptomata, ut ne guttulam quidem urinae emittere, niſi immiſſo cathetere, potuerit, debilitas accederet ſumma, & vires plane proſternerentur. Gravis erat urinae odor, & purulenta materies, cujus color ſubinde in nigrum vergebat, ei erat admixta. Tenesmo pariter laborabat intolerabili. Catheter, veſicae immiſſus, nunc calculum detegebat, nunc vero hic illius ope percipi non poterat. Tanta erat aegri debilitas, ut operatio diſſuadenda videretur. Symptomata omni ſenſu lenire, prima fuit indicatio, & hoc tam feliciter medico ceſſit, ut vires reſtaurarentur, minor purulentae materiëi copia prodiret, & demum, praeter mucum, vix quicquam in urina cerneretur. Temporarium tamen hoc levamen fuit, dolor increſcebat, tantaque accedebat ſphincteris veſicae conſtrictio, ut ipſe, prout hactenus fecerat, catheterem veſicae immittere non valens, operationem hanc perito confidere chirurgo debuerit. Lotio ſic liberabatur veſica, & emollientiſſimis remediis auſcultabat dolor. Elapſis vero aliquot ſeptimanis in pejus ruebant ſymptomata omnia, dolores increſcebant, conſtrictio veſicae iterum tanta erat, ut chirurgus non niſi ſumma cum difficultate catheterismum inſtituere, aegrumque ab urina liberare, potuerit. Optima quaevis remedia nullum tunc levamen adferebant, ſed, lecto adfixus, quinquies ad minimum de die, catheteris ope, urinam evacuare coactus, ardore genitalium ſummo, tenesmo, continuo ad exonerandam veſicam ſtimulo, vexabatur. Quamvis triſti hoc in ſtatu per aliquot tempus permanſerit, tamen ſymptomata iterum mitigabantur, vires refocillabantur, ſic ut, cum nunc quotidie calculus percipi poſſet, ipſe operationem efflagitaverit, ſeſeque huic, forti & conſtanti animo, ſubjecerit. Hujus ope liberabatur a magno, duro, triangulari lapide, ſesquiunciam pondere aequante. Quamvis poſt leipothymiam, in quam aeger mox ab operatione inciderat, ſuperatam, felicem eventum habitura videretur operatio, tamen eam non diu ſupervixit, ſecundo die a ſectione mortuus.

Inſtituta eodem die cadaveris ſectio eſt. Peritonaeum craſſum erat, tenſum, nonnullis in locis viſceribus accretum. Veſica, quae praecipue examini ſubjecta fuit, non pelvi continebatur, ſed longa atque magna viſceribus incumbebat, dum ſinul dura & ferme cartilaginea inveniebatur. Poſtquam haec aperta erat, lateri ſiniſtro fundi adhaerens detegebatur ſaccus, unde digitorum ope alter extrahebatur calculus, perfecte ſimilis illi, a quo per ſectionem liberatus erat aeger, figura, pondere, cum eo etiam conveniens. Verſus mediam veſicae partem alter aderat ſaccus, membrana quadam in duas capacitates diviſus, quarum ſuperior indicem, inferior auricularem admittebat digitum; hoc ſacco continebatur parvus triangularis calculus, quadraginta circiter grana pondere aequans, parvis praeterea ſinibus calculoſa

inhae-

inhaerebat materies. Magnus etiam in latere dextro aderat ſaccus, cui ſorte ſaepius inhaeſerat calculus, forcipe extractus, quare nunc cathetere percipi potuit, nunc vero ſeſe huic ſubduxit. Prope collum veſicae detegebatur tumor, ſteatomati non abſimilis, aliusque cum ſcirrho quodammodo conveniens. Veſica nullibi inflammata aut gangraenoſa erat, ſed admodum dura. Quae ex tali caſu addiſci poſſint, olim abunde explicui. Obſervat. Anat. Patholog. Lib. 4. pag. 77. ſeq. Figurae dantur Tab. CXIV. Fig. 20. & 21.

XXVII. Calculus veſicae magnus, ovalis, inaequalis, intus admodum compactus, extus tenui cruſta obductus, quindecim drachmas pondere aequans, quem Virgo ſeptuaginta annorum ſolius naturae viribus expulit per urethram, quae ope catheteris, aliquoties de die, ut urina evacuaretur, immiſſi, ſenſim erat dilatata. Tab. CXIV. Fig. 22. & 23.

XXVIII. Ectypus calculi ſimilis, ex urethra puellae ſeptendecim annorum extracti. Hunc Clar. van Doeveren dodo dedit Archiater Brunsvicenſis, Doctiſſimus Wagler, qui exactam morbi & ſanationis hiſtoriam ſequentem ſuperaddidit in litteris, 8. Febr. 1770. datis.

„ Puella, ſeptendecim annos nata, procera, ruricola, ſex annos miſere calculo excruciata, duos proxime elapſos menſes lecto adfixa atque ad incitas redacta fuit.

Ante triennium calculum, nucis juglandis mole, per urethram reddiderat, juvante vetula ope forcipulae, quem pater, ex praeconcepta opinione, in pulverem redactum ſcopo prophylactico aegrae devorandum dedit.

Doloribus nephriticis & colicis ante calculi deſcenſum multum paſſa erat. Ante operationem, proxime elapſis octo hebdomadibus in lecto decubuit, ſummo cruciatu ad amentiam usque interdum conquaſſata, dies noctesque inquietas tranſegit. Per omne hoc tempus enim calculus haeſit in latere dextro ſupra os pubis, duro ibidem tumore, deſcenſum ſemper moliente, adeoque manu ſemper continendo, diſtinguendus. Manu perpetim premente foveam denique integumentis impreſſerat aegra, dolentem & ſatis profundam.

Singulos paroxysmos comitabantur, ſumma anxietas cum ſudore profuſiſſimo, univerſi corporis tremores, & conquaſſatorum veluti membrorum dolores, lancinantes, ad femorum regionem internam. Nunquam penitus tranquilla eſſe potuit, ſed ex inſtinctu quodam corpus ſemper hinc inde movere coacta fuit. Neque ſitum in dextro latere neque ſupinum impune tulit. Alio tempore non niſi ſedere potuit, alio autem neceſſario ipſi decumbendum fuit. Dextrae coxae inſidens aegra facilius continuit calculum, in hoc ſitu minus mobilem. Urina continuo guttatim ſtillavit cum ardore & doloribus lancinantibus in urethra. Caeterum cruoris adinſtar rubra, cum ſedimento & ſabulo ad fundum, nunquam tamen vere cruenta fuit. Saepe numero in paroxysmo magna vis muci per urethram abſceſſit, modo ſine, modo cum admiſta urina, ſemper tamen cum vehementi conatu, acſi omnia pelvis contenta expellerentur. Peracta illa muci excretione, nonnunquam ſymptomatum levamen notavit. Alvus ſemper docta fuit, excretio tamen moleſtiſſima, propter tenesmos & dolores enor-

enormes, per tres quatuorve integras horas, atque ob ſitum corporis lateralem. Sub initium demum Octobris ſaepe ſupprimebatur urina, quare in auxilium vocatus chirurgus, Jürgens, ſpecillo ſulcato, in urethram demiſſo, urinam aliquoties emittit, injectoque in veſicam oleo lini dolores mitigat. Ut vim febris dolorumque vehementiam utcumque ſopiret, parvas etiam venae ſectiones inſtituit.

Die 12. Octobris 1769. aegrae parentes in itinere verſatum illum chirurgum arripiunt, efflagitantes, ut filiam viſitaret moribundam, cui, ſuae ſorti relictae, pater aeternum vale jam dixerat. Invenit ſumme extenuatam, miſerrime decumbentem, prae ſummo cruciatu valde trementem. Urinâ jam aliquot dies ſuppreſſâ, abdomen maximopere intumuerat, ita ut omnes metuerent gangraenam, veſicaeque rupturam. Statim itaque lampadis ope explorationem inſtituit. Urethra ejusque orificium inflammatione multum intumuerant, quare aegre diſtinguere potuit clauſum meatum. Inſerto tandem ſpecillo, impegit in calculum magnum, in collum veſicae detruſum, immobilem. Demiſſo itaque ſpecillo argenteo validiori, ſulcato, ulteriorem depreſſionem calculi tentavit. Ita autem ſpecillum incurvatum demiſit, ut pars concava & ſulcata primum reſpiceret ſymphyſin oſſium pubis, convexa calculum. Alte ſatis inſertum ſpecillum deinde ita invertit, ut nunc pars concava retorqueretur verſus calculum, quo facto calculum modice depreſſit. Aliud ſpecillum ſimile, priori oppoſitum, in parte inferiore demiſit, periculum facturus, num prehenſus inter utrumque ſpecillum calculus deprimi & extorqueri poſſet. Statim vero animadvertit, debile nimis ſpecillum utrimque digiti hypomochlio reflecti; abſtinuit ergo ab ulteriore tractione, ne ſpecilla elaberentur. In promtu erat forceps, glandibus plumbeis extrahendis deſtinata, qua tamen calculum fruſtra arripuit. Illo enim fortiter renitente, abruptis aliquot cruſtae exterioris fruſtis, forceps ſola rediit. Injecto igitur ad lubricandas vias oleo, roſtrum anatis, ſulcorum ſpecillis inſculptorum ductu, alte ſatis demiſit, atque nunc ſpecilla, paulo altius intruſa, ita retorſit, ut utrimque ad latera prehenderint calculum. Quo facto deprimenda ſpecilla aegrae matri tradidit (pater femora aegrae deſtinuit), atque ſic attrahendo & deprimendo calculum cunctis viribus extorquere moliuntur. Sub operatione nihil urinae effluit, ſed potius in veſica irritata ſtrenue a tergo impellit calculum. Sic motitando feliciſſime ſenſim, in viis ab oleo lubricis, impactus calculus promovetur & brevi penitus protrahitur; quem ſtatim ſequitur magna vis urinae, cum impetu per amplam urethram profuſae, ſubſidetque tumens antea abdomen. Dimidium ferme cochlear cruoris ſub operatione effluxit. Debilis puella ſtatim a peracta operatione gratiſſimum levamen percepit, ſomno quieto ulterius refecta. Dolenti urethrae & tumenti proſpicitur fomentis. Elapſis aliquot ab Operatione diebus jam vires recipit aegra, lecto ſurgit, urinam tamen continere nequit.

Die 19. Octobris, ſeptima ab Operatione, cum patre comite curru advehitur, gratias agendi cauſa ſuo adjutori, ſimulque memet adiit, debilis adhuc, & ſumme emaciata, virgo, patris brachio ſuffulta. Parum adhuc protuberat in veſtibulo vaginae tumens margo aperturae urethrae, ex carunculis veluti conflatus. Hymen falcatus,

catus, integerrimus, eſt, neque ad columnam vaginae ſuperiorem, neque in ambitu veſtibuli quicquam laeſi aut contuſi deprehendere licet. Clauſa quidem eſt urethrae apertura, atque aegra de die urinam pro voluntate continet; de nocte vero, ob ſphincteris debilitatem adhuc ſuperſtitem, ſponte effluit. Adminiſtravi decoctum Corticis Peruviani, cum additamento Ipecacuanhae, ut excitata nauſea revelleret a partibus inferioribus humorum impetum: externe admovere juſſi fomentum ex vino rubro cum dicto cortice.

Die 27. Octobris. Si tertia vel quarta quavis hora de nocte ſurgit, & vesperi parcius aſſumit potulenta, urinam retinet. Decimo ſexto quidem aetatis anno jam rite menſtruata fuerat; ſed morbus invaleſcens catamenia retinuit, donec aegra cum ſanitate ſenſim in gratiam redibat, atque poſt ſtrenuam ſaltationem ſub finem Decembris fluxus menſtruus, uſu vero pulveris Corticis Peruviani robur ſphincteris veſicae, ex voto reſtituebantur.

Pondus calculi aequat uncias tres minus granis decem. Fruſtula cruſtae exterioris, ſub operatione deperdita, ſaltem ſcrupuli ponderis fuiſſe cenſeo, adeoque totum pondus tres uncias paulo ſuperavit. Conflatus eſt ex plurimis lamellis cruſtatim ſibi impoſitis. Praevio apici, lamellis ſub operatione fractis diſtinguendo, veſtigia quaedam cruoris adhaerent." Figura adeſt Tab. CXIV. Fig. 24.

XXIX. Calculus veſicae ovalis durus coloris fuſci, intus nucleum parvum ramoſum continens, albicante tenuiſſima cruſta lamellata extrinſecus obductus, ex juvene 17. annorum, 9. ab operatione die mortuo. Pondus eſt unc. ij. dr. vj β. Fig. 26. & 27. Tab. CXIV.

XXX. Calculus veſicae, globoſus, parum tamen ab anteriore & poſteriore compreſſus, in collum non adeo craſſum deſinens, figuram quodammodo contractae veſicae repraeſentans, extus inaequabilis. Pondus eſt unciarum $6\frac{1}{2}$. Figuram dedi Tab. CXIV. Fig. 25.

XXXI. Calculus veſicae oblongus, duas uncias, duas drachmas, unumque ſcrupulum pondere aequans. Intus ſubſtantia duriori videtur conſtare, extrinſecus variae lamellae, tenuiſſimae, ſibi impoſitae cernuntur, aliae albicantis, aliae cinerei coloris. Spiculae multae ſplendentes videntur adſperſae. Tab. CXIV. Fig. 28.

XXXII. Calculus ſingularis formae, quem olim poſſedit Doct. Ledeboer, quoque ut & multis aliis noſtram collectionem adauxit. Sequentem hiſtoriam cum ſummo Albino communicaverat. „ Puer erat calculoſus, plusquam decennis, qui quum ex febre ardente mortuus eſſet, biduo poſt corpus ejus incidi. Cactera quidem ſecundum naturam erant: veſica autem admodum contracta. Qua inciſa inveni calculum, cujus pars inferior haerebat in ſacculo, ad dextram veſicae, ſupra urethram, lati digiti intervallo, indeque pars ſuperior intra veſicam prominebat. Sacculus partem illam inferiorem ſtricte comprehendebat, eminebatque cum ea ab exteriore parte veſicae. Ejusdem ſacculi oſtium contractius comprehendebat medium calculi collum. A quo pars ſuperior oblique intra veſicam erecta, contectaque glutinoſo quodam, eoque admodum ſpiſſo, repletoque parvis calculis, pyramidis formam habentibus. Ejusque partis ſumma pars veluti corroſa erat, adjacebantque parvi calculi multi, connexi

per glutinoſum illud. Calculi totius pondus ſeptem drachmarum eſt. " Tab. CXIV. Fig. 29. Conf. Clar. Albini Annotat. Acad. Lib. 7. cap. 12. pag. 82.

XXXIII. Ejusdem ferme figurae calculus, ac praecedens, duos pollices longus, cujus pars ſuperior formam glandis penis quodammodo habet; inferior rotunda eſt, pars media admodum contracta. Tab. CXIV. Fig. 30.

XXXIV. Calculus magnus, ovalis, parum applanatus, durus, hic illic parvis, nigris, anguloſis eminentiis gaudens, duos cum dimidio pollices longus, unum & tres lineas craſſus, tres uncias & ſeptem drachmas pondere aequans. Adeſt calculus alter, minor, qui urethrae impactus haeſit. Supellect. Doeverenianae P. 2. N. CXCII. Hiſtoria morbi haec eſt. Juvenis, viginti duorum annorum, ante quindecim annos, inſignem contuſionem in lumbis accipiens, urinam, ſanguine mixtam, reddiderat; & per longum temporis ſpatium doloribus ac debilitate laboraverat. Mictus cruentus ſubſtitit quidem, ſed excretio urinae tamen erat difficilis, ac doloroſa, ſic ut erectus eam vix unquam emittere poſſet, ſed ſedens mingere cogeretur. Vexabant autem haec ſymptoma ipſum non ſemper eodem gradu, verum ſubinde ab illis liber erat, urinam tamen ſemper craſſam mucoſam emittens. Aliquoties per annum ſymptomata increſcebant, tuncque non niſi guttatim, ſummo cum tenesmo & dolore, urinam reddere potuit, & haec ſymptomata plerumque duas tresve hebdomades ipſum vexabant, antequam remitterent. Tenaciſſimus mucus ſubinde dimidiam excreti humoris copiam faciebat; accedebat purulenta materies, & hujus copia adaugebatur, dum muci quantitas minor erat. Ceſſante paroxysmo ſubinde cum urina ſanguis prodiit, & tunc dolores imminui didicerat. Motus corporis validiores, praecipue equitatio aut vectio in rheda, ſummos excitabant dolores, nec raro mictum cruentum. Tenesmi & dolores, ubi aderant, ad glandem penis ſeſe extendebant. Varii in auxilium vocati fuere medici, ſed nemini veram morbi naturam detegere licuit, cum nunquam examen veſicae, catheteris ope, permiſit, ut calculus, quem praeſentem merito ſuſpicabantur, detegere poſſent, omne ergo auxilium repudiavit, donec in iſchuriam veram incideret, tanto vehementiorem, quo pejora ipſe ſtatim in uſum vocavit remedia maxime diuretica. Chirurgus dein, catheterem veſicae impellere conatus, ab hoc opere deſiſtere coactus eſt propter calculum, urethrae impactum, & nulla ratione ex ſede ſua dimovendum; & ea propter, cum omnia externa remedia, indicata, nullius erant utilitatis, inſtituta punctura veſicae methodo Flurantii. Urina, per factam aperturam & immiſſam cannulam exiens, erat craſſa, ruberrima, foetidiſſima; aeger a dolore & tenesmo liber ſeſe ſat bene habebat; inſtituta venae ſectione idonea in uſum vocabantur remedia. Cannula linteorum ope in veſica retinebatur, ut urina facile exiret. Nox inſequuta erat tranquilla, ſed ſequenti die febris valida ipſum corripiebat, qui tamen profuſo ſudore poſt paucas horas terminabatur, quemadmodum omnia, juſto regimine obſervato, bene cedebant. Interea temporis aliquoties tentatus catheterismus fuit, ſed absque fructu, donec 28. Aug. ſexto ab operatione die a latere calculi catheter ad veſicam propelleretur, hujus autem introductionem, ut veſica rite examinari

minari poſſet, non permiſit aeger. Relinquebatur catheter in veſica, cannula vero epiſtomio claudebatur, ut urina per catheterem exiret, ſed motu & inquietudine aegri inſequenti nocte catheter excidit; hoc tamen inde habuit commodi, quod a latere calculi per ſolitam viam urina prodierit. Catheterismum, adeo neceſſarium, ut mali natura melius cognoſceretur, poſtea negavit ſemper. Excretio urinae, ſubinde quidem facilis, plerumque tamen tenesmo & dolore pertinaci concomitabatur. Urina erat ruberrima, turbida, muco & pure mixta, qui mucus quandoque talis erat tenacitatis, ut urethram plane clauderet, & epiſtomium ex cannula eſſet tollendum, ut urina per hanc viam evacuaretur. Cum alvus aegro erat deponenda, cannulae marginem ſic perinaeo adprimere didicerat, ut, a nemine adjutus, huic excretioni vacare poſſet. Non omittebantur, quae extrinſecus applicata, aut urethrae immiſſa, demulcentia, videbantur utilia. Decimo ab operatione die cannula excidit, quae, qua parte veſicae inhaeſerat nigra, nullam incruſtationem monſtrabat, ſed intus cruſta molli, terrea, friabili, obducta erat. Senſim reconvaleſcebat aeger, dolores, & tenesmi imminuebantur, & fini Septembris exiens ſolito operi vacabat. Apertura tamen, per operationem facta in veſica urinaria, non erat clauſa, &, ubi impedimentum in ſolita via paulo majus erat, urinam etiam emittebat. Hoc tamen in caſu urina, in rectum inteſtinum delata, non ſponte effluebat, ſed eam voluntarie expellebat, ſphincțere tamdiu aperturam ani claudente, donec commoda ſeſe offerret occaſio. Verſus medium Octobris ea apertura ſponte claudebatur, dum aegri vires ſenſim increſcebant. Aſt verſus finem ejusdem menſis tumor ſuboriebatur in teſte ſiniſtro, ſtipatus dolore & inflammatione. Poſt uſum Empl. gummoſi Pharmac. Edimb. imminuebatur quidem tumor, ſed ſuppreſſio urinae, licet non plenaria, accedebat ſymptomatibus ſimilibus illis, quibus antea vexatus fuerat, ſtipata. Varia adhibita remedia nil utilitatis adferebant, catheterismum vero aut examen digiti ope per rectum inteſtinum admittere noluit. Urina, quae prodibat, erat foetidiſſima, purulenta. Tandem neceſſitate coacțus, elapſo circiter menſe, catheterismum admiſit, tuncque calculum eodem, quem antea occupaverat, loco detexit chirurgus. Licet inſtrumentum in veſicam penetraret, non multum levaminis percepit aeger, & doloribus ſummis vexatus trigeſimo Novembris obiit. Examen cadaveris permiſerunt parentes. Catheter facillime per urethram veſicae impellebatur. In perinaeo nil morboſi erat, ſed eo loci, ubi bulbus urethrae hunc canalem amplecțitur, invemiebatur parvus calculus Tab. CXIV. Fig. 32., decem lineas longus, quinque latus, triginta & quinque grana pondere aequans: hic cavitati, urethrae impreſſae, ſic inhaerebat, ut catheter juxta eum propelli, & urina exire potuerit. Aperto abdomine hepar, veſicula fellea, lien, ventriculus, inteſtina ſana, vaſa vero inteſtinorum ſanguine diſtenta, inveniebantur. Pancreas erat induratum, quali in ſtatu etiam detegebantur glandulae in lumbis ſitae, quarum una, magnitudinem amygdalae habens, prope renem dextrum, ureteri inſidebat, & altera minor venae emulgenti ſiniſtrae. Ren dexter erat maximus, ſubſtantiâ ipſius internâ totâ conſumtâ, ſiſtebat ſaccum, tenaciſſimum, albo tenui foetido pure plenum. Ureter hujus lateris

pure

pure pleniſſimus, admodum diſtentus, capacitate ſua tenue inteſtinum referebat. Vaſa in vicinia hujus renis & ureteris erant admodum dilatata, inflammata. Ren ſiniſter, etiam naturali major, ad attactum durus, intrinſecus in ſuppurationem abierat, tunica vero ipſius externa erat admodum dura. Ureter etiam pure plenus, craſſitie digito minimo aequalis, prope veſicam magis dilatatus erat. Veſica ad ſesquipollicem ſupra oſſa pubis adſcenderat, & continebat calculum magnum Tab. CXIV. Fig. 31. intra tunicas adeo craſſas, ut tertiam pollicis partem aequarent. Interna veſicae ſuperficies erat inaequalis, & a parte poſteriore eſchara, alba, gangraenoſa obducta. Apertura, ope acus triquetrae per inteſtinum rectum facta, erat perfecte clauſa. Calculus magnus eſt, ovalis, compreſſus, durus, hic illic nigris, anguloſis, tuberculis obſeſſus, duos & dimidium pollices longus, unum & tres quartas partes latus, pollicem & tres lineas craſſus, ponderis trium unciarum & ſeptem drachmarum. Deſcripſit caſum hunc Clar. van Doeveren in Verhandelingen van het Bataafsch Genootſchap der Proefondervindelyke Wysbegeerte te Rotterdam, 1. Deel p. 551. ſeq.

XXXV. Calculus veſicae ovalis, applanatus, ſesquipollicem longus, pollicem & ultra latus, flaveſcentis coloris, ponderis drachmarum ſeptem.

XXXVI. Calculus, ſimilis, minor, coloris non ita flavi, ponderis drachmarum trium & dimidiae.

XXXVII. Calculus veſicae, rotundus, maxime ſcaber, eminentiis acutis innumeris inſtructus, ponderis unciae mediae. Supellect. Doeverenianae P. 2. N. CXCV. Tab. CXIV. Fig. 33.

XXXVIII. Calculus veſicae ovalis, applanatus, ſcaber. Longitudo eſt circiter duorum pollicum, latitudo unius & unius quartae partis. Pondus drachmarum ſeptem. Supellect. Doeverenianae P. 2. N. CXCIV. Tab. CXIV. Fig. 34. & 35.

XXXIX. Calculus veſicae applanatus, ferme circularis, extrinſecus obſeſſus cryſtallis bene multis. Supellect. Doeverenianae P. 2. N. CXCVI. Tab. XCIV. Fig. 36.

XL. Fragmenta calculi, friabilis, inventa in veſica virginis annoſae. Ibid. N. CXCIII.

XLI. Fragmenta bene multa, majora, minora, minima, inventa in veſica viri, ab iſchuria vera mortui, cujus morbi hiſtoriam & cadaveris examen communicavi inter partes morboſas molles N. XLII. pag. 256.

XLII. Calculi, ex veſica hominis vivi exemti, aliique varii. Supellect. Albin. P. 2. N. CCCLXVIII. Differunt hi inſigniter magnitudine, forma, duritie, & etiam numero, ſubinde enim varii invicem filis nexi ſunt, videnturque indicare, eſſe illos vel eodem tempore eadem ex veſica exſectos, aut in ea inventos. Ex his nonnulli merentur deſcribi.

XLIII. Calculus veſicae aſper, ramoſus, ramis inaequalibus, tuberculatus, intus parvum nucleum recondens, cui varia varii coloris ſtrata appoſita ſunt. Pondus eſt drachmarum ſex & ſcrupuli unius. Tab. CXV. Fig. 1. & 2.

XLIV. Calculus veſicae ſimilis, major, ramis majoribus craſſioribus inſtructus, ponderis drachmarum ſeptem. Tab. CXV. Fig. 3. & 4.

XLV.

XLV. Calculus veſicae ſimilis, minor, ramis non ita diſtinctis. Nucleus quodammodo pyriformis eſt, hunc cingit cruſta flava, hanc albicantior, ramoſa quaſi, tum alia magis fuſca, denique alba. Pondus eſt unciae dimidiae ſcrupuli unius. Tab. CXV. Fig. 5. & 6.

XLVI. Calculus veſicae, ovalis, laevis, durus. Circa nucleum duriorem appoſitae ſunt lamellae friabiliores. Albini Annot. Acad. Lib. 3. Tab. 7. Fig. 5. Pondus eſt drachmarum ſex. Tab. CXV. Fig. 7. & 8.

XLVII. Calculus ſimilis, multo durior, ponderis drachmarum ſex & ſcrupulorum duorum. Lamellae, nucleo circumpoſitae, multo ſunt duriores. Tab. CXV. Fig. 9. & 10.

XLVIII. Calculus ovalis, aſper, pondere drachmas ſex aequans, fuſci coloris, intus nucleum ovalem, flaveſcentem, recondens, quem cingunt varia ſtrata, fuſcum, album priori tenuius, fuſcum iterum, craſſius, & hoc quidem ſtratum, quod inaequabilem admodum externam ſuperficiem habet, ut ex adnexa Fig. 7. Tab. 7. Annot. Acad. Lib. 3. Albini patet, rurſus incruſtatum eſt lamella albicante, ſed extrinſecus fuſca, ſic ut portio hujus diffracta intus tot foveas monſtret, quot dantur in dicta parte eminentiae. Annot. Acad. Fig. 8. Conf. noſtrae Tab. CXV. Fig. 11. 12. 13. & 14.

XLIX. Calculi ſimilis pars dimidia altera, Tab. CXV. Fig. 15.

L. Calculus durus, oblongus, extrinſecus calcarea quaſi materie obſeſſus, drachmarum ſex & dimidiae. Tab. CXV. Fig. 16.

LI. Calculus ſimilis, figurae magis irregularis, ſex drachmas circiter pondere aequans. Tab. CXV. Fig. 17.

LII. Calculus moriformis, rotundulus tamen, trium drachmarum & unius ſcrupuli, nucleum continens. Tab. CXV. Fig. 18. & 19.

LIII. Calculus oblongus, ejusdem ponderis, ſuperficiĕi inaequabilis, non tamen ita aſperae. Parvum etiam nucleum recondit. Tab. CXV. Fig. 20. & 21.

LIV. Calculus horridus, durus, congeriem parvorum calculorum conjunctorum inter ſe & coagmentatorum, ſiſtens, ut in expoſitione figurae hujus, quam dedit Clar. Albinus Annot. Acad. Lib. 3. Tab. 7. Fig. 10., dicit; ſed diſſectus verum parvum nucleum ſiſtit, cui partes reliquae omnes ſunt circumpoſitae. Pondus eſt unciae dimidiae. Tab. CXV. Fig. 22.

LV. Calculus veſicae, moro ſimilis, durus. Corticis pars decuſſa eſt. Cortex, craſſus, e calculis conjunctis inter ſe connexisque conſtat. Nucleus ex parvis calculis componitur. Haec Cl. Albinus notat in expoſitione figurae hujus calculi Annot. Acad. Lib. 3. Tab. 7. Fig. 9. Serrae ope a me diviſus eſt, & in meditullio parvus calculus, nucleum conſtituens, cernitur. Pondus eſt drachmarum duarum & dimidiae. Tab. CXV. Fig. 23. & 24.

LVI. Calculus parvus, durus, ovatus, compreſſus, reticulata quaſi ſuperficie, parvum admodum nucleum recondens, ponderis ſesquidrachmae. Tab. CXV. Fig. 25. & integrum & diſſectum exhibet.

LVII.

LVII. Calculus ſimilis, paulo major, ſuperficie aſpera, pondus habens drachmarum duarum. Nucleo medio egregie circumpoſitae lamellae diverſae cernuntur. Tab. CXV. Fig. 26. & 27.

LVIII. Calculus cuneiformis. Latior baſis, & in ea rotundula ſuperficies diſtingui poteſt; ab illa baſi latera omnia ſic concurrunt, ut deſcendendo apicem, latum quidem, ſed acutum referant, & calculus hic, in duas partes diviſus, atque a latere conſpectus, triangularem formam repraeſentet. Nucleus ſimul cernitur media in ſubſtantia, admodum compacta, dura. Tab. CXV. Fig. 28. & 29.

LIX. Calculus ovalis, extrinſecus admodum inaequalis, intus diſtinctum alium calculum continens. Tab. CXV. Fig. 30.

LX. Calculus moriformis, ramis admodum prominentibus aſper. Pondus eſt drachmarum duarum & dimidiae. Tab. CXV. Fig. 31.

LXI. Calculus aſper, inaequalis, coloris obſcure fuſci, intus parvum alium recondens, cui diverſae laminae de tempore in tempus videntur circumpoſitae. Tab. CXV. Fig. 32. & 33.

LXII. Calculus aſper admodum, tuberculatus, ramoſus, coloris nigricantis, formae globoſae, ponderis duarum unciarum & unius ſcrupuli. Tab. CXV. Fig. 34.

LXIII. Calculi duo; alter admodum inaequalis, ſic tamen ut nonnullae ſuperficies acquabiliores dentur intermediae; alter multo minor, quaſi cryſtalliſatus, rotundus. Ambo pondere aequant unciam, tres drachmas, & dimidiam.

LXIV. Calculus durus, tuberculoſus, ab altero latere in obtuſum apicem excurrens, ponderis duarum unciarum, & ſesqui drachmae. Dicitur a G. van Bortel ex veſica viri, triginta & ſex annorum, exſectus.

LXV. Calculi duo; horum alter altera parte globoſus, altera in apicem terminatus; alter quodammodo cubiformis. Pondus eſt drachmarum ſex & duorum ſcrupulorum. Dicuntur ab eodem Chirurgo van Bortel anno 1713. ſecti ex veſica ejusdem viri, qui a praecedenti N. LXIV. ante quadriennium liberatus erat.

LXVI. Calculus drachmarum octo & duorum ſcrupulorum, extrinſecus inaequalis, ab altera parte ſic excavatus, ut alter calculus adfuiſſe videatur.

LXVII. Calculi duo, ea ſuperficie, qua ſeſe attigerunt, glabri, & parum excavati, & rotunduli, politi, caeterum inaequales. Alter capite magno conſtat; unde collum, medio loco contractum, procedit. Amborum pondus eſt decem drachmarum. Tab. CXV. Fig. 35. & 36.

LXVIII. Fragmenta tria calculi, cum extraheretur diffracti, ponderis drachmarum trium & dimidiae.

LXIX. Calculi duo, formae irregularis, interna ſubſtantia duriſſima, externa friabiliori, conſtantes, ponderis drachmarum decem. Tab. CXV. Fig. 37. & 38.

LXX. Calculus, ovalis, filiceus, inaequalis, duos & ultra pollices longus, drachmas octo & ſcrupulos duos pondere aequans. Tab. CXV. Fig. 39.

LXXI. Calculi duo, quorum alter rotundus, alter ovatus, ſed media parte latior. Utriusque ſuperficies eſt glabra, admodum polita iis in locis, quibus ſeſe atti-

attigerunt. Pondus drachmas duas & dimidiam non ſuperat. Tab. CXV. Fig. 40. & 41.

LXXII. Fragmenta calculi, in operatione diffracti. Ex multis minoribus videtur fuiſſe coagmentatus.

LXXIII. Calculi quinque ovati, compreſſi, ex juvene octodecim annorum extracti: intus cavi ſunt, & intra cruſtam albam ſatis denſam videntur continere ſanguinem exſiccatum; ſic ut concuſſi ſonum edant. Unus ex his integer, alter diffractus, exhibitus eſt. Tab. CXV. Fig. 42. & 43.

LXXIV. Calculus ovatus, dimidiae unciae mediaeque drachmae, ex juvene quindecim annorum extractus.

LXXV. Calculi duo, oblongi, ſubrotundi, drachmas duas cum dimidia pondere aequantes, ex puero duodecim annorum.

LXXVI. Calculi tres ovati ex viro triginta ſeptem annorum.

LXXVII. Calculi duo, friabiles, ex juvene undecim annorum. Pondus eſt ſesquidrachmae.

LXXVIII. Calculus triangularis. Baſis longitudo eſt pollicis & unius quartae partis, latera pollicem aequant. Pondus ſesquidrachmae. Extractus eſt ex veſica pueri ſeptem annorum.

LXXIX. Calculus ovatus, ſesquipollicem longus, coloris ſubrubelli, ſed cruſta alba diverſis in locis diverſae craſſitiei obductus, ex infante novem circiter annorum per ſectionem extractus. Pondus eſt ſeptem drachmarum.

LXXX. Calculus ovatus, durus, drachmarum duarum.

LXXXI. Calculus ferme rotundus, ſuperficie admodum inaequali, tuberculata, ponderis duarum unciarum & quinque drachmarum. Tab. CXV. Fig. 44.

LXXXII. Calculus ovatus, aſper, in altero apice tali ſuperficie gaudens, ut vel veſicae ipſe adhaeſiſſe, aut cum alio corpore conjunctus fuiſſe videatur; pondus eſt unius unciae.

LXXXIII. Calculus, piſum magnitudine aequans, inventus in veſica viri, ex iſchuria mortui, cujus morbum deſcripſi inter partes molles morboſas N. XLII. pag. 259. ſeq.

LXXXIV. —— XCIII. Calculi minores, rotundi, ovati, magis minusve duri, diverſis temporibus, ex totidem aegris, ſectione extracti.

XCIV. Ectypus calculi veſicae, longi duos pollices & unam quartam partem, lati duos, craſſi ſesquipollicem, ex juvene ſedecim annorum, qui a prima aetate calculo laboraverat. Chirurgus prudens atque dexter G. J. van Wy, die 10. Martii 1783. ſectionem methodo Dranii inſtituit; calculum autem non extractum ſtudio reliquit, ut operatione, quam vocant, duobus temporibus, ſponte per vulnus prodiret, vel intra hujus labia prehendi poſſet. At fruſtra. Poſt plures dies intromiſſo forcipe prehenſus, ut extrahereter calculus, toties reſiliit, diffractus qua parte forcipe prehenſus fuerat. Obiit aeger die 8. Aprilis. Calculus, poſt mortem exemtus, pondus habuit unciarum trium, drachmarum duarum cum ſemiſſe. Hoc pacto Clar. Bonn ſimilem ectypum deſcripſit, Theſaur. Hoviani oſſium mor-

morboſum, pag. 146., & hujus benevolentiae hunc & qui ſequenti numero deſcribitur, debemus. Poſtea ipſe van Wy exacte hunc caſum, & viſa in cadavere cum orbe litterato communicavit in Heelkundige Mengelſtoffen, I. Deel pag. 33.—75. Tab. 1. Fig. 4. & 5.

XCV. Ectypus calculi veſicae ſubrotundi, plani, ponderis ſcrupulorum quatuor, & granorum quindecim, ex puero duorum annorum & dimidii. De hoc ſequentia notavit Clar. Bonn. Theſaur. citat. pag. 147. „ Expertus idem Chirurgus J. G. van Wy, die 12. Aprilis 1783., methodo Dranii veſicam incidit, at aegrum in lectulo repoſuit, ut altero operationis tempore calculus ſponte prodiret. Fruſtra hoc ad undecimum usque diem poſt operationem expectatum fuit. In cauſam hujus inquirentes, digito per latum veſicae vulnus immiſſo, nullum calculum, verum in parte ſuperiore veſicae, medium, intra parum prominentem limbum, annulum detegimus, qui ad attactum contractus, dein remiſſior, ſuctione quaſi digitum intra ſacculum ducebat, ubi calculus haeſit. Meo tunc conſilio uſus chirurgus per illud oſtium forcipem cum prudentia introduxit, calculum prehendit, atque feliciter extraxit. Vulnus veſicae die ſexto poſt extractionem clauſum fuit, atque aeger poſtea brevi in ſanitatem reſtitutus. " Hunc caſum ipſe van Wy deſcripſit in Heelkundige Mengelſtoffen, I. Deel pag. 90.—124. Tab. 1. Fig. 6.

XCVI. Calculus ex urethra juvenis, ſecta foſſa naviculari a latere frenuli, exemtus. Tab. CXV. Fig. 45.

XCVII. Similis calculus, ex urethra ſectione ablatus.

XCVIII. Similis alius, qui in urethra aliquamdiu haeſerat, operatione ex hoc canali exemtus.

XCIX. Calculus in inguine, a latere urethrae, eo in loco disruptae, inventus, in puero, ex iſchuria vera mortuo. Tredecim menſes natus debiliſſimus puer, ab aliquo tempore calculi ſymptomatibus obnoxius, & ſubinde grana calculoſa ſummo cum dolore emittens, incidit in urinae ſuppreſſionem, & per diem integrum, etiamſi multum potus aſſumſerit, ne guttulam lotii excrevit. Quum vero parentes ſaepius obſervaverant, ſimilem ſuppreſſionem, excreto parvo calculo, ceſſaſſe, & poſtea multo facilius urinam expuliſſe puerum, non adeo ad illam attenderunt. Ille vero, inquietudine ſumma, continuo ejulatu, inſignes ſeſe pati dolores, ſignificans, nocte inſequente pleniſſimam veſicam, omni vi, magno conatu, evacuare tentans, validiſſimos hunc in finem edidit nixus, nec ceſſavit, niſi poſtquam inſignis ſcroti, inguinum, perinaei, apparuerit tumor, & quamvis tunc etiam nihil urinae prodierit, a doloribus, ut videbatur, liberatus, in ſomnum tranquillum incidit.

Altero die in auxilium vocati medentes dubiam tumoris naturam (cuncta enim, quae memorata ſunt, non niſi poſtea dixerunt parentes) inveſtigare conati ſunt. Reſpondebat alvus, urina guttatim prodibat, ejusque major evacuabatur copia, immiſſo aliquoties cathetere. Tumori adplicata, in genere adhibita, omnia ſunt, quae indicabantur, quae adminiſtrare aetas permiſit, ſed incaſſum; tumor ejusdem natu-

naturae, ejusdem non modo magnitudinis, perſtitit, ſed ſuperiorem femorum partem etiam occupavit; disparuit tantummodo ſugillatio, quae prope pubem in latere abdominis ſiniſtro ſimul cum tumore ſeſe manifeſtaverat. In regione umbilicali ſenſim magis magisque intumeſcebat, tendebatur, abdomen, peſſima quaevis accedebant ſymptomata, quae demum vitae finem impoſuerunt. Rogatu parentum cadaveris examen inſtitui.

Integumentis a latere ſcroti ſeparatis, denudata celluloſa membrana, notabilis prodibat humoris flavi, urinoſi, ut videbatur, copia. Hoc ſpongiae ope abſterſo, in celluloſam, degeneratam, incraſſatam, inquirens, detexi foramina, alterum ab inferiore, alterum a latere penis, purulentam materiem emittentia. Per utrumque aditus patebat in ſaccum, ad inguen usque ſeſe extendentem, pure repletum, ſed ſic formatum, ut duobus in locis contractior eſſet.

Tenſum maxime erat abdomen, praeſertim in regione umbilicali, ſic quidem, ut muſculi recti multum ab invicem receſſiſſent, & linea alba, in epigaſtrio & hypogaſtrio contractior, prope umbilicum, duos circiter transverſos digitos lata eſſet. Sectis integumentis, muſculis, peritonaeo, a cartilagine enſiformi ad pubem & verſus latera, apparuere abdomine contentae partes, admodum tumidae, ac loco naturali dimotae. Veſica praeſertim urinaria, inſigniter extenſa, ultra umbilicum, adſcendebat, intumuerat praeprimis pars ſuperior ac poſterior, quae peritonaeo tegitur, &, dum in pelvi, hac aetate capacitatem notabilem non habente, ſeſe non valuerat extendere, ſurrexerat, repulerat inteſtina, atque, verſus anteriora incurvata, multo magis prominebat, quam illa veſicae pars, quae peritonaeo non tegitur, oſſibusque pubis accumbit; licet & haec maxime ſurſum tracta eſſet. Conſtitit ſic ratio, quare, vivente infante, abdomen non adeo in regione hypogaſtrica, quam umbilicali, intumuerat. Supra veſicam transverſum decurrebat colon, ſitum inter illam & ventriculum, inſigniter expanſum, & curvaturam ſuam majorem verſus abdominales muſculos dirigentem. Tenuium inteſtinorum parva tantum portio in ſiniſtro, paulo major in dextro latere, conſpiciebatur. Veſica aperta, emiſſoque lotio, ſeparatis in nexu ſuo oſſibus pubis, urethra examinabatur. Haec autem, ibi ferme loci, ubi ad oſſa pubis ſeſe inflectit, tum in dextro tum in ſiniſtro latere, fiſſa erat, ſic ut urethra a corporibus cavernoſis penis, in quoque latere, eſſet ſeparata. Fiſſurae utriusque, praecipue dextrae, margines videbantur laceri, quaſi exeſi. Medius inter has fiſſuras locus, nigro colore tinctus, gangraenae manifeſta indicia exhibebat. Dextrum foramen communicabat cum ſacco notabili deſcripto, ſiniſtrum cum alio, in ſiniſtro latere detecto, ſed multo minori. In ſacco dextro, prope fiſſuram urethrae, inveniebatur calculus, durus, apice acutiusculo inſtructus, parvus quidem, ſed magnus reſpectu capacitatis, quam urethra tenelli pueri hoc in loco habere ſolet. Renum pelves, maxime expanſae, multum continebant puris; dilatati etiam inſigniter erant ureteres, ſed neque in his neque in illis calculoſi quicquam apparuit. Urina, quam veſica continebat, non limpida, ſed purulenta erat.

Calculus ergo hicce haesit in urethra, &, viam urinae praecludens, suppressionem lotii produxit. Summis, quos puer edidit, ut vesicam exoneraret, nixibus cum ulterius propelli non valuerit, urethram, hoc in loco dilatatam, inflammatam, imo gangraenosam, laceravit, sic ut urina sese in cellulosam scroti, inguinum, perinaei, proximique femoris, evacuaverit, & vesica sit liberata, donec, sacco illo praeternaturali nil amplius admittente, iterum distenta vesica urinaria ad altitudinem insignem adscenderit. Multa ex hoc notabili casu addisci posse, & quomodo miseri tales juvari valeant, pluribus olim ostendi. Observat. Anatom. Patholog. Lib. 3. cap. 3. pag. 61. seq.

C. Fragmenta varia calculi, quae nucleo duro admodum fuerunt adpositа.

VII

MONSTRA.

MONSTRA.

Longam ludentis naturae exemplorum, quae Muſeum noſtrum Anatomicum ornant, dare explicationem, plane inutile cenſeo; pleraque ejus naturae ſunt, ut inter rariora referri mereantur, digna, quae aeri inſculpta ſint. Talia autem objecta ex figuris accuratiſſimis longe melius, quam ex deſcriptionibus, cognoſci poſſe, nemo eſt, qui inficias ibit; de plurimis itaque breviter tantum dicam.

Monſtra Humana.

N°. I. Infantes duo Aethiopici, ſingulari ratione cohaerentes. Ferme a ſummo thorace ad infimum abdomen concreverunt, ſic tamen ut alterius pectus magis liberum ſit. Confuſa ſunt genitalia, & eorum nil diſtingui, determinari, poteſt; ab inferiore parte funis ſacculus ex abdomine prodit, corrugatus jam, & in dicta genitalia terminatus. Quatuor adſunt brachia perfecta, tres pedes maximam partem bene conformati. Alter, isque dexter, infans ſolo dextro artu inferiore videtur gaudere; alter & dextro & ſiniſtro, dextri pes contortus ſeptem habet digitos, & ex hujus lateris femore, non longe ſupra genu, in obtuſum apicem deſinens tumor prodit, quarti deficientis artus quaſi principium. Tab. CXVI. & CXVII.

II. Puellae duae abdomine concretae. Altera, major, perfectior, alterâ videtur. Artus omnes adſunt, ſuperiores perfecti, non adeo imperfecti inferiores, ſed alterius minus toroſi. Ab altero latere ventris veſtigium communis funiculi umbilicalis cernitur. Vulvae duae ſeſe ſic attingunt, ut media videatur eſſe apertura ani, utrique communis. Tab. CXVIII. & CXIX.

III. Puellae duae pulcherrimae, integrae, perfectae, parte inferiore pectoris & ſuperiore ventris ad umbilicum usque concretae. Ubi hoc in loco a ſe invicem recedunt, ſaccus cernitur, qui viſcera abdominalia continere videtur, & ex cujus parte inferiore prodit funis umbilicalis. Tab. CXX.

IV. Puella pulcherrima, toroſa, biceps, caeterum perfecta. Dextrum caput, paulo minus ſiniſtro, non multum ab humero ſui lateris diſtat, & oblique verſus illum inclinat, notabilis hinc diſtantia inter duo capita eſt, & eo in loco, magis tamen

men a parte poſteriore, oritur tumor, lata ſatis baſi, verſus caput ſiniſtrum adſcendens, & in apicem terminatus. Supervixit difficilem partum mater ſaniſſima. Tab. CXXI. & CXXII. Fig. 1.

V. Foetus maturus, acephalos, cum labio leporino duplici, naſo & palato fiſſo. Supellect. Doeverenianae P. 1. N. CC. Sequentem Vir Clar. dedit hujus monſtri deſcriptionem. „ Totius corporis partes, excepto ſolo capite, juſta magnitudine, & forma naturali, praeditae cernuntur, quales in maturis recens natis eſſe ſolent. Capitis forma, tota fere praeternaturalis, ſequenti modo ipſi contigit. In facie maxilla inferior, genae & auriculae, & omnia, quae infra has partes ſunt, a naturali fabrica non degenerarunt. Os valde apertum eſt, & intus continuum cum naribus cavum efficiens, quum palatum ſtabile & molle a gingiva usque ad fauces magno hiatu fiſſum eſt, in cujus medio a narium ſummitate dependet ſeptum naſi, undique tunica membranae pituitariae continuata inveſtitum: in quam cavitatem patet via, a naſo externo, per foraminulum, mox indicandum. Apertura oris formata eſt a labio inferiore integro, maxime rubro, formam naturalem habente, & labio ſuperiore, utrimque fiſſura, quae usque ad nares pergit, deformato: defectum ejus inter duas fiſſuras quodammodo ſupplet globulus, ex narium intervallo ſuſpenſus, priſtinae labii ſubſtantiae reſiduum exhibens, a cujus latere cum duae profundae ſunt fiſſurae ad nares usque extenſae, & maxillae ſuperioris gingiva pone illas etiam ſit fiſſa, natum inde fuit duplex labium leporinum. Oculi, maxime a ſe invicem diſtantes, valde prominuli ſunt; dexter palpebris clauſus eſt, ſiniſter apertus; & ingenti inflammationis rubedine perfuſus. Apertura iſta videtur cauſae accidentali, poſt partum applicatae, eſſe tribuenda. In Naſo hujus pueri formando maxima, prae caeteris faciëi partibus, contigit difformitas. Ille namque omnino biſariam diviſus eſt in dextram ſiniſtramque partem; cuilibet parti ſua eſt ala, narium via aperta, lobuli portio, radix dimidia, divergendo ſurſum & parum extrorſum extenſa, ut hiatus remaneat, & loco glabellae ſpatium detur intermedium, ſola membrana, tenui, rubente, illique continua, quae cranii defectum adimplet, inveſtitum. Ad ſummitatem dextrae naſi partis conſpicitur tuberculum, quod verrucae ſpeciem exhibet, neque pilis deſtitutum eſt. Intervallum, quod a divergentibus naſi partibus formatum eſt, pro maxima parte replet corpus pendulum, coni capitati figuram quodammodo referens, ſuperiore eaque majore ſui portione antrorſum valde mobile, & utrimque a naſo liberum, profundaque fiſſura diſtinctum: ſuperius conſtat capitulo duriusculo, rotundo, facto, uti videtur, a cutanea ſubſtantia radicis naſi, toto mobiliſſimo: media ejus pars eſt magis contracta, inſtar colli capitulum ſuffulcientis, a ſuperiore verſus inferiora craſſeſcens, coniformis, longior, teneriore ſubſtantia, eaque tenui admodum membrana tecta, conſtans, rubella, deſinens in partem inferiorem, quae, mediae continuata, craſſeſcit in globulum, iterum denſiore & tenaciore ſubſtantia formatum, infraque nares deſcendentem usque ad os, ut labii ſuperioris pars defigurata videatur eſſe, & impleat hiatum ejus, quem duplex fiſſura reliquiſſet: eſtque hic globulus, ejusque ope totum hoc corpus pendu-

pendulum, a parte posteriore per frenulum labii superioris ad maxillam ita adnexum, ut quidem maxima pars instar palcae antrorsum mobilis sit, inferior autem in eodem situ continuo firmetur: a parte denique posteriore, mox supra illud frenulum, occurrit foraminulum, cui immissus stilus facile aditum ad nares, indeque in oris cavitatem, inveniebat.

Superior capitis pars ita quoque a solita & naturali forma degeneravit, ut puer simul sit Acephalus. A turgentium enim oculorum superciliis prominentibus deficiens os frontis, nec non utriusque ossis parietalis absentia, faciunt, ut loco galeae osseae calvariae detur apertura, margine osseo turgido circumscripta, a ruderibus frontis, juxta temporum ossa, usque ad superiorem occipitis partem tendens, neque integumentis communibus tecta, quae per totum fere ambitum formant marginem cutaneum, quodammodo tumidum, abeuntem, subitanea degeneratione, in membranam tenuissimam aperturae isti toti supertensam, rubedine maxima imbutam. Per istam calvariae aperturam, sub tenui hoc integumento, apparet massa, fungosa quasi, cerebri reliquias exhibens, cujus tota forma licet deformis evaserit, pars tamen superior aliquomodo illius visceris speciem adhuc conservasse videtur, quia in illa supersunt duorum haemisphaeriorum rudera, ita facta, ut fissura satis profunda a se invicem pro maxima parte divisa, posterius rotundula terminentur, & cerebelli reliquiis, ut videtur, incumbant, ita ut nihil supersit, quod processuum transversarum durae matris vestigium indicet. Omnis illa massa deformis sanguinolenta apparet, indigesta, irregularis, hic tuberosa, alibi sinuata, quemadmodum sese offerre solent excrescentiae fungosae. Ab anteriore parte margo cutaneus, crassior, istam massam circumdans, supra nasum non est in rotundum continuatus, sed dehiscit, utrimque deorsum in cutem nasi protractus, ut intervallum remaneat ad glabellam, inter duas nasi radices, quod adimplet continuatio illius membranae tenuis, quae aperturam calvariae investit." Observat. Acad. Cap. 2. pag. 49. seq. Delineavi caput hujus foetus Tab. CXXII. Fig. 2.

VI. Foetus maturus acephalos. Toto quidem corpore perfectus & robustus puer est, ast capitis, collo breviore suffulti, superiore parte maxima destitutus. Cranii quippe galea fere a superciliis, oculos permagnos & valde protuberantes superne definientibus, usque ad imam occipitis partem, deëst. Ossa temporum compressa, & in duo quasi tubera nonnihil elevata, sunt. Ossium defectum adimplet massa ruberrima, deformis, cerebri rudera exhibens, tenui membrana tecta; haec humorem sanguinolentum per foraminulum, quod durante partu factum erat, tunc temporis effundebat. Supellect. Doeverenianae P. 1. N. CCI. Tab. CXXII. Fig. 3.

VII. Foetus maturus acephalos. Cranium simili ferme modo, ut in praccedenti, videtur difforme. Tubera autem duo fungosa capiti insistunt, & mira foediss imaque faciëi est defiguratio. Supellect. Doeverenianae P. 1. N. CCII.

VIII. Foetus humanus immaturus, acephalos, cum spina bifida, & sacco dorso imposito. Supellect. Doeverenianae P. 1. N. CCIII.

IX. Foetus immaturus, acephalos, simul hernia umbilicali laborans. Facies quasi senis est, ipsius autem partes rite formatae. Collum vix ullum, & depressum maxime caput. Cranii ossa videntur sese habere ut in aliis acephalis, & ea, quae superiorem conceptaculi cerebri partem constituunt, deficere. A parte posteriore capitis saccus dependet, qui, si ex similibus casibus dissectis concludere licet, cerebri partem continet. Principium funis umbilicalis maxime expansum est, & intra saccum peritonaei, protrusum per foramen, inter musculos abdominales pro vasis umbilicalibus relictum, continetur viscerum abdominalium portio haud exigua. Tab. CXXVI. Fig. 2. & 3.

X. Thorax & caput foetus maturi acephali. Collum vix ullum apparet, inter humeros sic depressum caput, & pectori mentum appressum est, ut auriculae lobi inferiorem, quam humeri locum occupent, hi saltem medias illarum conchas attingant. Facies torosa & bene conformata est. Ossa cranii maximam partem deficiunt, aut illorum non nisi eae adsunt partes, quae basin conceptaculi cerebri formant. Deficientium particularum, quae os frontis componunt, margo per integumenta cernitur. Supra hunc rotundula eorundem prominentia apparet; & ab hac saccus insignis amplitudinis, qui aquam continuit, & hydrocephalum constituebat, incipit, factus praecipue ex integumentis, quibus capilli inhaerent. Dictus saccus ut sursum sese extendit, a parte posteriore juxta dorsum etiam descendit, & versus latus sinistrum praecipue vergit. Dehiscunt vertebrae colli, saltem superiores. Supellect. Doeverenianae P. 1. N. CCIV. Tab. CXXIII. duas figuras hujus foetus dedi.

XI. Videtur omnino huc referendum depuratum & siccatum cranium infantis talis acephali, alio loco memorati, Sectione nempe hujus libri quarta N. LXV. pag. 164. & separatim etiam descripti in Anatome infantis cerebro destituti: immo licet in opusculorum Anatomicorum tertio icones jam a me datae sint, ad easdem paratas delineationes huic libro esse inserendas putavi. Tab. XXXV. Fig. 2. 3. 4. 5. 6. & 7. cum addita explicatione docent, qualem mutationem pleraque ossa subierint.

XII. Pertinet & huc Cranium infantis, qui labio leporino composito laboravit, pariter alibi descriptum, Sect. IV. N. LXIII. pag. 163. Conf. Observat. Anatom. Patholog. Lib. 4. cap. 3. Hujus icon praecedentibus addita est. Conf. Tab. XXXV. Fig. 1. & adnexa explicatio.

XIII. Infans monstrosus, cujus abdomini adhaerent partes posteriores alterius infantis. Supellect. Doeverenianae P. 1. N. CCV. Est hic idem ille, quem Hagae comitum anno 1767. ostenderunt publice parentes, quem tunc temporis examinavi, & descripsi in Nov. Act. Physic. Medic. Acad. Nat. Curios. Tom. 4. p. 150., quique deinde a Clar. van Doeveren, ut suum ornaret museum, coëmtus est. Emisit mater primo dicti anni die, facillime, absque ullo auxilio, solis naturae viribus hunc in lucem, quum quadragesimum aetatis annum circiter attigerat, & antea quinque sanos pepererat infantes. Durante graviditate fuerat saniissima, nullis perculsa terroribus, semper autem insolitum foetus in utero motum perceperat, ita ut gemellos

sese

ſeſe gerere crediderit. Puer ipſe omni parte eſt perfectus, aſt infra ſternum, inter cartilagineos coſtarum ſpuriarum margines, magis ad dextrum, quam ad ſiniſtrum, latus, abdomini adhaerent nates, femora, crura, pedes, alterius infantis. Cohaeſio ſola cute perficitur, latitudinem dimidii pollicis habente, ſic ut partes appenſae facile attolli, & verſus faciem reclinari poſſint. Nates & femora a loco illo, ubi cohaerent cum abdomine, ferme recta ſunt, aut parum oblique ad genua deſcendunt, ſed ab inferiore majorem convexitatem habent; a poſteriore etiam convexa, ab anteriore concava ſunt, & ſeſe tumenti abdomini quaſi accommodarunt. Linea, qua nates diſtingui ſolent, nulla cernitur, nulla etiam ani adeſt apertura, ſed, ubi haec adeſſe debebat, in cute exigua cernitur fovea. Genitalia nulla adſunt, ſed, illorum loco, pars quaedam, ex duplicata cute conſtans, nulla apertura praedita, ad dextrum latus reflexa, compreſſa, apparet, & ſub hac parte in cute linea quaedam transverſa cernitur. Longitudo femorum ab uno genu ad alterum eſt ſex pollicum; crura cum femoribus ad angulum acutum nexa ſunt, & pedes ſic converſi, ut dexter calce inguen tangat, digitis verſus ſcrotum dirigatur, ſiniſter planta femori quaſi inſiſtat. A genu ad calcem cruris longitudo eſt trium pollicum cum dimidio, ejusdem ergo longitudinis ac crura perfecti pueri. Pedes ſunt naturales, omnibus digitis inſtructi, aſt paulo minores, quam quidem ii ſunt, quibus puer gaudet, qui ipſe octodecim circiter pollices longitudine aequabat, cum illum conſpexi. Videbatur infans hernia umbilicali praeterea laboraſſe, in teſtimonio enim obſtetricis, quod oſtendebant parentes, mentio facta erat excrescentiae, magnitudinem veſicae ſuillae habentis, ex qua funiculus umbilicalis prodibat. Eo autem tempore, quo monſtroſus hic puer circumferebatur, de dicta excrescentia nullum ſupererat veſtigium, cum chirurgus metu, ne forte putredine conſumeretur puer, abdomen aperuerat, & exemtis inteſtinis conſuerat: quod autem in adjecta figura notatum non eſt.

Quamdiu vixit infans, lac maternum ſugere, aut aliud alimentum aſſumere, recuſavit; excrementa per ordinarias vias depoſuit; nulla doloris dedit ſigna; quando vero mater ſuperfluas attingebat partes, ſaepiſſime convulſivis motibus torquebatur; tertio denique a partu die, validis correptus convulſionibus, quae totum infantis corpus, partesque annexas, quas omni modo moveri potuiſſe, adfirmabant parentes, adficiebant, periit. Tab. CXXV. & CXXVI. Fig. 1.

XIV. Foetus ferme maturus, cujus capiti in latere dextro adhaeret excreſcentia, capite multo major. Supellect. Doeverenianae P. 1. N. CCVI. Caput ipſum bene conformatum eſt. Oſſa cranii omnia videntur integra. Auricula ſiniſtra adeſt naturali modo conſtituta. Abeſt auricula dextra, &, ubi haec capiti adhaerere debebat, ipſi adnectitur tumor, qua caput reſpicit, concavus, & intra ſuam capacitatem illud quaſi recondens, ſic ut, ſi a latere ſiniſtro, caput & tumor conſpiciantur, illud huic, quaſi pulvinari, incumbere videatur; tumor ſupra infra caput, & ab anteriore ac poſteriore parte, ſeſe extendit, extrinſecus gibbus eſt, non ubique aequabilis, iisdem integumentis, quibus caput, circumdatus. Sectus autem ſubſtantiam

tiam non abſimilem illi monſtrat, quae in ſteatomatibus inveniri ſolet. Tab. CXXVII.

XV. Truncus integer infantis, quatuor circiter menſium, in quo ſpina bifida. Partes omnes adnexae ſunt, quae ad ſedem & habitum hujus vitii cognoſcendum pertinent. Praeparatum ſpiritu vini adſervatur. Supellect. Doeverenianae P. 1. N. CCVII.

XVI. Pars inferior trunci infantis, neonati, qui hydrocephalo & ſpina bifida laborabat, depurata, ab omnibus partibus mollibus, & ſiccata, ſic ut partes tamen omnes verum ſuum ſitum ſervaverint. Aderat in lumbis apertura, pollicem longa, duasque tertias pollicis partes lata, verſus quam integumenta, quae ad diſtantiam quartae partis pollicis craſſum, rotundulum, rubellum, marginem formaverant, extenuata, eodem modo procedebant, quemadmodum plagae cicatriſantis ambitus verſus medium locum ſenſim ſeſe extendere ſolet. Per haec integumenta, tactus ope, a quoque latere margo oſſeus percipiebatur facile. In fundo dictae aperturae primo conſpiciebatur membrana tenera, rubella, hac vero ſeparata oblongum corpusculum, ſulco non admodum profundo, in duas partes diviſum, quod erat medulla ſpinalis; dura mater, quae, in parte ſuperiore aperturae integra, verum formabat canalem, disrupta erat in ipſa apertura, &, verſus latera reflexa, videbatur cum integumentis confluxiſſe. Separatis integumentis, denudatis oſſibus, delineata prius vera medullae ſpinalis ſede, & durae matris habitu, factum hocce praeparatum. Fiſſa ſpina dorſi eſt per totum lumborum tractum, id eſt, omnium vertebrarum lumborum partes oſſeae laterales multum a ſe invicem receſſerunt, deſtructis cartilaginibus, quae eas nectere, & in proceſſus ſpinoſos excreſcere ſolent, ſic ut magnus hiatus, praecipue in inferioribus, adeſſet. Partem poſteriorem oſſis ſacri membrana claudebat. Cranium hujus infantis Sectionis quartae N. IV. pag. 129. deſcriptum eſt. Videtur ante nativitatem adfuiſſe tumor in lumbis, factus ex dura matre, quae, collecta aqua diſtenta, viam ſibi fecit inter partes vertebrarum lumborum, quae latera canalis, quo medulla ſpinalis continetur, formant, & ex integumentis communibus; tumor deinde ruptus eſt, & ulcus ſic natum, cujus margines ex partibus, antea tumorem conſtituentibus, componebantur, dum in fundo nuda aderat medulla, arachnoïdea & pia matre tecta. Tab. CXXIV.

XVII. Pars inferior trunci cum artubus inferioribus infantis neonati, qui ſpina bifida & incipiente hydrocephalo laboravit. Tumor aderat in lumbis, pellucidus, aquam continens, qui apertus per foramen non admodum amplum communicabat cum canali, quo medulla ſpinalis continetur. Sacci membranis ſeparatis, nuda haec medulla apparebat. Vertebrae duae inferiores lumborum & totum os ſacrum a parte poſteriore hiabant, & membranae medullam ſpinalem continentes, aqua expanſae, per hanc fiſſuram viam ſibi fecerant, & externum tumorem formaverant. Pedes maxime contorti ſunt, & introrſum curvati. Caput deſcriptum eſt Sect. IV. N. VI. pag. 132. Praeparatum idoneo liquore adſervatur.

Mon-

Monſtra brutorum.

XVIII. Porcinus foetus, capite unico, pedibus octo inſtructus, parte poſteriore corporis duplici. Anteriores corporis partes etiam duplices videntur, iisque inſidere unicum caput, quod ſolito etiam latius eſt. Adſunt omnes pedes. Ex quoque latere capitis auricula dependet, ſed praeterea in parte poſteriore media aperturae, non tamen penetrantes, cernuntur. Ubi partes poſteriores a ſe invicem recedunt, funis umbilicalis, ex quoque corpore prodiens, ſeſe monſtrat. Supellect. Doeverenianae P. 1. N. CCXXXI.

XIX. Porcinus foetus ſimilis, paulo major, in multis cum praecedente conveniens, ſed parti poſteriori capitis adhaerent duae auriculae, ſuis conchis ſibi ipſis appoſitae. Supellect. Doeverenianae P. 1. N. CCXXX.

XX. Porcus monoculus, cum deficiente roſtro & maxilla ſuperiore. Supellect. Doeverenianae P. 1. N. CCXXVIII.

XXI. Porcinus foetus, cujus maxilla ſuperior deformis eſt. Supellect. Doeverenianae P. 1. N. CCXXIX.

XXII. Canis, cujus parti inferiori corporis adhaeret pelvis cum artubus poſterioribus, adhaerent etiam artus ſuperiores, ſingulari ratione deformes, alius canis.

XXIII. Canis, pedibus quinque inſtructus. Tres pedes naturales ſunt; quartus, isque dexter, anterior, deformis, tres digitos habet; quintus, non multum a quarto diſtans, minor, duobus tantum digitis gaudet. Supellect. Doeverenianae P. 1. N. CCXXIV.

XXIV. Canis tripes, deficit anterior ſiniſter. Supell. Doeverenianae P. 1. N. CCXXV.

XXV. Canis bipes, deficit pes uterque anterior. Supellect. Doeverenianae P. 1. N. CCXXVI.

XXVI. Canis recens natus cum labio leporino. Supellect. Doeverenianae P. 1. N. CCXXIII.

XXVII. Felis, perfecte conveniens cum cane, N. XXII. deſcripto. Adhaerent ejus abdomini, & pectori, pelvis & artus poſteriores ac anteriores alius felis.

XXVIII. Felis duobus capitibus, non ſeparatis, ſed lateraliter nexis, inſtructa; quatuor adſunt oculi, quorum medii ſeſe attingunt. Duae tantum dantur auriculae.

XXIX. Felis ſimilis. Alterum caput perfectius altero videtur, dextro rictus oris nullus. Tres adſunt oculi; medius, maximus, ampliſſimis palpebris continetur. Duae dantur auriculae.

XXX. Felis eodem modo monſtroſa. Capita partibus ſuis lateralibus miro modo ſunt confuſa.

XXXI. Felis artubus poſterioribus naturalibus gaudens, anterioribus deformibus, parvis admodum, duobus digitis, iisque imperfectis, inſtructis.

XXXII. Pullus gallinaceus, quatuor pedibus gaudens. Supellect. Doeverenianae P. 1. N. CCXXXII.

XXXIII. Pullus gallinaceus, cui capita diſtincta duo, pedes tres. Supellect. Doeverenianae P. 1. N. CCXXXIV.

XXXIV. Fringilla adulta biceps. Supellect. Doeverenianae P. 1. N. CCXXXV.

XXXV. Pullus gallopavonis monoculus, deficiente roſtri parte ſuperiore. Supellect. Doeverenianae P. 1. N. CCXXXIII.

XXXVI. Pullus gallopavonis, capite deformi; ſiniſtro oculo maximo, roſtri parte ſuperiore cruciatim inferiori ſuperpoſita.

XXXVII. Columba, cui ſternum magno hiatu fiſſum eſt. Supellect. Doeverenianae P. 1. N. CCXXXVI.

XXXVIII. Caput monſtroſum Salmonis.

XXXIX. Truncus cum adnexis capitibus ſceleti vituli bicipitis. Deſcripſit & partes molles & duras quam exactiſſime Clar. van Doeveren, expoſitionemque ſuam figuris illuſtravit. Obſervat. Acad. cap. 1. Tab. 1. 2. 3. & 4.

XL. Sceletus felis, cum capitibus duobus. Supellect. Albinianae P. 2. N. CCCXCVIII.

XLI. Sceletus felis monſtroſae. Proprie duae feles ſunt conjunctis corporibus, capite unico. Spinae duae. Thorax communis unus. Coſtae priores, ab utriusque ſpina procedentes, in ſternum unum conveniunt, ſic & coſtae poſteriores, ab utriusque ſpina procedentes, conveniunt in ſternum alterum; ex quo thorax amplus communis. Extrema octo adſunt. Supellect. Albinianae P. 2. N. CCCXCIX.

XLII. Caput oſſeum gallinae communis, monſtroſum, quod Clar. Medico Veneto Aglietti debeo, cum ſubſequente deſcriptione. „ Os frontale, ſingulari modo expanſum, ita conformatum eſt, ut ab occipite altius exſurgat in tuber haemisphaericum, in cujus anteriore parte hinc inde a linea oſſea (quae a ſummitate haemisphaerii praedicti in apophyſim naſalem fontalis ejusdem terminatur, eique continua eſt) duobus amplis ovalibus foraminibus pertuſum eſt. Limbus oſſeus, qui foramina haec, duas circiter lineas lata, & tres longa, circumambit, inaequalis hinc inde eſt, & parvis oſſeis prominentiis aſper. Inter limites occipitalis cum frontali ſulcus ſeu foſſa occurrit transverſa, a baſi unius apophyſis ſtiloïdeae ad alterius baſin procedens. Arcus limbi inferioris & exterioris oſſis frontalis in apophyſes bicornes, roſtrum ſuſtinentes, definentis, magis acutus eſt, ac ſolet, ita ut apophyſes iſtae inferius prope perpendiculariter reſpiciant. Foramina ſeu ſciſſurae ſupra indicatae ex eo natae videntur, quod eo loci oſſificatio compleri non potuerit. ”

VIII

VARIA.

VARIA.

Octava hac, eaque ultima, Sectione ea continentur, quae in Muſeo Anatomico adſunt, nec tamen pertinent ad Supellectiles, ſeparatim ut adſervatas, ſic etiam deſcriptas, Rauii, Albini, Doevereni, quae inter praeparata, proxime ſequentibus ſectionibus memorata, collocari & enumerari non potuerunt. Numerus illorum non adeo magnus eſt, eſſet autem longe major, niſi diverſi generis praeparata, olim in theatris anatomicis adſervari ſolita, ſed ſpectatoribus potius horrorem incutientia, quam utilia, temporis injuria maximam partem deſtructa, tunc, quando Theatrum renovatum eſt, fuiſſent rejecta; longe eſſet major, ſi utenſilia, veſtimenta, arma, antiquitates, urnas, varia arte facta ex diſſitis etiam regionibus huc allata, & in theatro adſervata, ſpeciatim enumerare, praeparata cuncta, quae N. XI. adeſſe dicuntur, ſigillatim exponere, aut piſces, ſerpentes, inſecta, vermes, aliaque, ad Hiſtoriam Naturalem pertinentia, & hic repoſita, quando Muſeum Hiſtoriae Naturalis, quo noſtra Academia hoc tempore gloriatur, nondum erat conſtructum, deſcribere omnia vellem.

Quae hac ſectione memoranda cenſeo, tum ad hominem, tum ad animalia, pertinent.

Praeparata, ex homine deſumta.

N°. I. Mumia adulti hominis, donum Nobiliſſimi Viri Davidis de Willem, qui, per Orientem & Aegyptum longam peregrinationem inſtituens, hoc corpus humanum integrum, contra putredinis injuriam aromatibus & linteaminum multiplici involucro munitum, in pectore hyeroglyphicis notis inſignitum, ac thecae ligneae incluſum, ex Regiae Aegypti Memphis, ſive Cayri, ſeu Babylonis Aegyptiae ſuburbanis conca-meratis ſubterraneisque latebris, vivo ſaxo inciſis, loco arenoſo, ſicciſſimo, in vicinia Pyramidum, magno ſumtu erutum, per Nilum Alexandriam devectum, Amſtelodamum transmiſit ad fratrem Paulum de Willem, qui ipſe peregrinationibus celebris, ex voluntate fratris, hanc Mumiam Theatro noſtro conſecravit, *in eo a Viro* Clar. Otthone Heurnio 11. Octobris 1621. repoſitam.

II. Puella nobiliſſima, annorum quatuordecim, in Mumiam redacta. Donum Domini Johannis Baptiſtae Bartolotti 25. Aprilis 1623. Dicitur in adnexa inſcriptione, per Clar. O. Heurnium exarata, anno 1621. ex haereditariis priſcorum Aegyptiorum ſepulchris ſubterraneis, concameratis, marmori nativo ac ſolido inciſis, quatuor milliaria ultra Memphim ſeu Al. Cayrum eſſe extracta.

III. Infantis cadaver in Mumiam redactum, ac totum quantum linteaminibus pictis incluſum.

IV. Brachium, balſamo conditum.

V. Cor humanum ſimili modo praeparatum, theca lignea adſervatum.

VI. Sceletus naturalis hominis junioris, propriis quippe ligamentis cohaerens. Dōnum fuit Viri Doctiſſimi Stalpartii van der Wiel.

VII. Sceleti duorum recens natorum infantum.

VIII. Sceleti varii ſoluti.

IX. Crania diverſa, integra, diverſimode ſecta; variarum etiam nationum.

X. Oſſa pleraque, ſerrae ope variis in directionibus diviſa, ut interior compages patere queat.

XI. Inſignis collectio praeparatorum, quae oſſium ortum, incrementum, fabricam internam, articulationes, & ad eas pertinentia ligamenta, viſcerum formam, compoſitionem, vaſorum, ſanguiferorum & lymphaticorum, cera, mercurio impletorum, diſtributionem per diverſas corporis partes, hiſtoriam uteri gravidi, ovorum humanorum conformationem, foetuum, vel matre exſectorum, vel abortu rejectorum, aut juſto termino in lucem emiſſorum habitum, illuſtrare poſſunt. Quae vero hac collectione, quam ipſe paravi, & quotannis adaugere ſoleo, continentur praeparata, omnia enumerare, & deſcribere, neceſſe non duxi.

Praeparata, ex animalibus deprompta.

Pelles fartae.

I. Myrmecophaga Jubata. Linn. Syſt. Nat. Edit. XIII. cura Jo. Frid. Gmelin. Spec. 3. Tom. 1. pag. 52.

II. Daſypus Novemcinctus. Linn. Spec. 6. Tom. 1. pag. 56.

III. Talpa Europaea alba. Linn. Spec. 1. γ. Tom. 1. pag. 110.

IV. Erinaceus Europaeus. Linn. Spec. 1. Tom. 1. pag. 115.

V. Lacerta Crocodilus. Linn. Spec. 1. Tom. 1. P. 3. pag. 1057.

VI. Lacerta Alligator. Linn. Spec. 3. Tom. 1. P. 3. pag. 1058.

VII. Squalus Priſtis. Linn. Spec. 15. Tom. 1. P. 3. pag. 1499.

VIII. Squalus Carcharias. Linn. Spec. 12. Tom. 1. P. 3. pag. 1498.

Sceleti.

IX. Sceletus Simiae Capucinae. Linn. Spec. 30. Tom. 1. pag. 37.
X. Sceletus Canis Molossi ? Linn. Spec. 1. β. Tom. 1. pag. 67.
XI. Sceletus Canis familiaris. Ibid. pag. 65.
XII. Sceletus Canis Lupi. Linn. Spec. 2. Ibid. pag. 70.
XIII. Sceletus Ovis arietis. Linn. Spec. 1. Tom. 1. pag. 197.
XIV. Sceletus Bovis Tauri. Linn. Spec. 1. Tom. 1. pag. 202.
XV. Sceletus Equi Caballi. Linn. Spec. 1. Tom. 1. pag. 209.
XVI. Sceletus Equi Asini. Linn. Spec. 2. Tom. 1. pag. 211.
XVII. Sceletus Suis Scrofae. Linn. Spec. 1. Tom. 1. pag. 217.
XVIII. Sceletus Balaenae Physali junioris. Linn. Spec. 2. Tom. 1. pag. 224.
XIX. Sceletus Serpentis.

Crania, ossa soluta, partesque aliae Animalium.

XX. Crania Papionis, & aliarum Simiarum.
XXI. Cranium Rhinocerotis, non plane integrum. Linn. Tom. 1. pag. 57.
XXII. XXIII. Cornua Rhinocerotis Asiatici. Alterum politum est.
XXIV. Pes Rhinocerotis ?
XXV. Cranium Elephantis Africani. Desunt dentes exserti, & maxilla inferior. Linn. Tom. 1. pag. 58.
XXVI. Cranium Elephantis Africani, cum maxilla inferiore. Desunt dentes dicti.
XXVII. Cranium Elephantis junioris cum dentibus exsertis & maxilla inferiore.
XXVIII. Ossa artuum Elephantis junioris.
XXIX. Manus Trichechi Manati. Linn. Spec. 2. Tom. 1. pag. 60.
XXX. Cranium Canis Vulpis. Linn. Spec. 4. Tom. 1. pag. 73.
XXXI. Cranium Felis Leonis. Linn. Spec. 1. Tom 1. pag. 75.
XXXII. Cranium Felis Leonis junioris.
XXXIII. Cranium Felis Tigridis. Linn. Spec. 2. Tom. 1. pag. 76.
XXXIV. Cranium Ursi Arcti. Linn. Spec. 1. Tom. 1. pag. 100.
XXXV. Cranium Ursi Melis. Linn. Spec. 2. Tom. 1. pag. 102.
XXXVI. Cranium Caviae Capybarae. Linn. Spec. 6. Tom. 1. pag. 123.
XXXVII. Cranium Cervi Alces. Linn. Spec. 2. Tom. 1. pag. 175.
XXXVIII. Cranium Cervi Tarandi. Linn. Spec. 4. Tom. 1. pag. 177.
XXXIX. Cornua Antilopes Strepsicerotis. Linn. Spec. 21. Tom. 1. pag. 192.
XL. Os frontis cum processibus cornuum ejusdem animalis.
XLI. Cranium Bovis Tauri. Linn. Spec. 1. Tom. 1. pag. 201.
XLII. Cornu Bovis feri, Auerochs. Linn. Spec. 1. α. a. 2. Tom. 1. pag. 202.
XLIII. Cranium Equi Caballi. Linn. Spec. 1. Tom. 1. pag. 209.

XLIV. Cranium Hippopotami Amphibii. Linn. Spec. 1. Tom. 1. pag. 214.
XLV. Cranium Suis Scrofae. Linn. Spec. 1. Tom. 1. pag. 217.
XLVI. Cranium Suis Barbyruſſae. Linn. Spec. 5. Tom. 1. pag. 221.
XLVII. Dens Monodontis Monocerotis. Linn. Spec. 1. Tom. 1. pag. 222.
XLVIII. Pars poſterior cranii Balaenae.
XLIX. Vertebrae cervicis ejusdem animalis concretae.
L. Vertebrae ſolutae, & alia oſſa Balaenarum.
LI. Organum Auditus Balaenae.
LII. Penes Balaenarum.
LIII. Cranium Delphini Delphis. Linn. Spec. 2. Tom. 1. pag. 230.
LIV. Cranium avis Bucerotis Rhinocerotis. Linn. Spec. 3. Tom. 1. pag. 360.
LV. Cranium piſcis Xiphiae Gladii Linn. Spec. 1. Tom. 1. P. 3. pag. 1149.
LVI. Roſtrum elongatum, planum, utrimque dentatum Squali Priſtis. Linn. Spec. 15. Tom. 1. P. 3. pag. 1499.
LVII. Rictus oris Squali Canis Carchariae. Linn. Spec. 12. Tom. 1. P. 3. pag. 1498.
LVIII. Rictus oris ſimilis.
LIX. Scuta variarum Teſtudinum.
LX. Chama Gigas. Linn. Spec. 2. Tom. 1. P. 6. pag. 3299.

INDEX.

A.

Abdominis Abſceſſus. 124.
Vulnus notabile. XVIII.
Abſceſſus Abdominis pilos continens. 124.
Hepatis. 249.
Lumborum, ex quo prodiit calculus renalis. 282.
Acephalos Foetus. 111. 300. ſeq.
Cranium talis foetus. 156. 302.
Acetabula Oſſium innominatorum morboſa. 87. 190. 191. 193 — 200.
Acinus Hepatis. 47.
Adnata Oculi. 21. 55. 56.
Craſſities ejus in balaena. 21. 67. 100.
Aethiopis Color ubi ſedem habeat. 34. 35. 36. 103.
Cranium. 4. 165.
Cuticula. 34 — 37. 69.
Cutis. 34 — 37. 69. 103.
Embryo. 108.
Reticulum. 34. 35. 36. 103. 104.
Albini (B. S.) Memoria. XXII.
Supellex Anatomica. XIV. XXXIII. 27.
(F. B.) Memoria. XXXIV.
Supellex Inſtrumentorum Chirurgicorum Academiae legata. XXXVI.
Albuginea Teſtis tunica. 56. 57. 67. 106. 107. 123.
Alkekengi Fructus ſceletus. 69.
Allantoïs Membrana vel ſpecies ejus. 59. 109.
Aloës Americanae flos. 106.
Alveoli in foetu continent primordia futurorum dentium, & lacteorum & novorum. 22. 82. 83.
Vas arterioſum per fundum alveolorum decurrens. 83.
Amnios Membrana. 58. 59. 60. 109. 110.
Ovis. 68.
Anatome. Quis primus hanc hac in Academia adminiſtraverit. IV.
Anatomicum Theatrum. Quando erectum. V.
Quo tempore renovatum. XIII. XIV.
Ancyloſis Atlantis cum cranio. 143 — 148.
epiſtropheo. 148.
& ſequentibus vertebris. 147. 148. 168. 169.
Calcanei, tali, & aliorum oſſium. 217. 221.
Carpi & metacarpi. 6. 228.
radii. 228.
Coſtarum inter ſe. 173. 180.
cum vertebris. 6. 87. 172 — 176.
Coxae cum femoris oſſe. 199. 200. 205.
ſacro. 6. 189. 190. 191. 192. 196. 197. 198.
Cranii & Atlantis. 143 — 148.
& ſubſequentium vertebrarum. 147.
Coccygis cum ſacro oſſe. 176. 177. 190. 191. 192.
Cubiti. 227.
Epiſtrophei cum atlante. 143. 148. cum ſequentibus vertebris. 147. 148. 168. 169.
Femoris & oſſis innominati. 87. 199. 200.
patellae. 210. 213.
tibiae. 212. 213.
cum patella. 213.
Fibulae & tibiae. 214. 215. 216. 217.
& tali. 217.
Humeri cum ulna. 227. & radio. 227.
Innominatorum oſſium cum femore. 199. 200. 205.
ſacro. 6. 189. 190 191. 192. 196. 197. 198.
Manus totius. 228.
Maxillae inferioris. 139.
Metacarpi cum carpo & digitis. 6. 228.

Ancyloſis Metatarſi cum tarſo & digitis. 221.
Patellae cum femore. 210. 213.
Pedis totius. 211.
Pubis oſſium inter ſe. 190.
Radii cum carpo. 6. 228.
humero & ulna. 227.
Sacri oſſis cum vertebris & coccyge. 87. 174. 176. 177. 189. 190. 191. 192.
coxa. 6. 189. 190. 191. 192. 196. 197. 198.
Tali cum tibia. 213. 217.
& fibula. 217. 218.
Tarſi cum crure. 213. 217.
metatarſo. 221.
Tibiae & femoris. 212. 213.
& patellae. 213.
fibulae. 214. 215. 216 217.
& tali. 217. 218.
Ulnae & humeri. 227.
& radii. 227.
radii. 227. 228.
Vertebrae primae cum cranio. 143 — 148.
& ſecundae cum capite. 148.
ſecundae cum prima. 148.
tertia. 168. 169.
omnibus cervicis. 147.
Vertebrarum plurium. 6. 87. 147. 167. 168. 169. 170—176.
cum oſſe ſacro. 87. 174. 176. 189.
Aneurysma Arteriae brachialis. 224.
Angli Cranium. 4.
Animalium Monſtra. 111. 305.
Annularis Cartilago. 12. 49. 63. 104.
Annulus Oſſis temporis. 16. 17. 77. 78. 81. 82.
Anſeris Ventriculus. 105.
Antilopes Strepſicerotis caput. 311.
Antrum Highmori. 17. 18. 76. 100. 115.
Tumor in eo enatus, omnia faciëi oſſa miro modo deſtruens. 161.
Aörta. 37. 38. 39. 99. 118. 123. 234. 240 — 243. 273.
Abdominalium ramorum Exitus. 38.
Arcu ejus exeuntes rami inſolito modo. 243. 273.
Diviſio ipſius in iliacas. 37.
Eroſa & disrupta. 242.
Morboſa. 62. 64. 242. 273.
Ortus ipſius ex ventriculo dextro & ſiniſtro cordis. 234. 240. 241.
Oſſificata. 273.
Aörta. Steatoma. 64. 242.
Syſtema ejus totum. 123.
Tumor. 62.
Apophyſes Oſſium quomodo ſenſim ex epiphyſibus producantur. 7. 8. 9. 63.
Appendix Tenui inteſtino adhaerens. 121. 235. 249. 275.
Vermicularis. 45. 46. 75. 120. 121.
Aquaeductus Falloppii. 9. 16. 78. 79.
Arachnoïdea Cerebri membrana. 99. 100.
Arboris Folii ſceletus. 90.
Arietis Caput. 89.
Epididymis. 24. 25.
Sceletus. 311.
Teſtis tunicae. 24.
Vas deferens. 24.
Armadilla. 68. 310.
Arteria Aſpera. 12. 49. 63. 104. 117.
Glandulae ejus degeneratae. 243.
calculo obſeſſae. 280.
Arteriae. Aörta. 37. 38. 39. 99. 118. 123. 234. 240. 241. 242. 243. 273.
Brachialis aneurysma. 224.
Carotis. 83. 118. 243. 273.
Centralis nervi optici. 102.
Cerebri. 40.
Cutaneae. 30. 32. 33. 34. 48. 49. 69. 70. 103.
Durae matris. 26.
Epiploïcae. 40. 119.
Fabrica earum. 37. 38. 99.
Gaſtro-epiploïcae. 40. 119.
Intercoſtales. 1183
Inteſtinorum. 22. 41. 42. 43. 44. 65. 72. 73. 74. 119.
Lienis. 47. 106.
Maxillae partem, quae fundum alveolorum conſtituit, percurrentes. 83.
Medullae ſpinalis. 22.
Meſenterii. 73. 76.
Narium internarum. 51.
Oculi. 52. ſeq.
Oſſium. 64.
Penis. 80.
Piae matris. 39. 99.
Pulmonales. 118.
Renales. 47. Numeroſiſſimae. 250. ſeq.
Subclaviae. 118. Inſolito modo ex aörta enaſcentes. 243. 273.
Subcutaneae cranii. 69. 70.
Tendinum. 37.

Arteriae. Teſtium. 57.
Tunicae. 37. 38. 99.
Umbilicales. 25. 59. 76. 123. 124. Unica talis tantum viſa. 235.
Uterinae. 25.
Uveae. 102.
Veſicae. 76.
Arterioſus Canalis. 72. 104. 117. 118. 273.
Articulatio Cranii & atlantis morboſa. 143 — 146.
Cubiti, morbo adfecta. 87. 223. 227.
Genu infantis nuper nati, arteriis impletis. 71.
vitiata. 65. 210. 212. 213. 242 — 245.
Humeri adfecta. 87. 222. 223. 227.
Maxillae inferioris. Rauii circa eam opinio. XVIII.
Mobilis mediis in coſtis. 98. 180.
Vid. Ancyloſis.
Artuum Oſſa in rachiticis. 128. 129. 212. 221. 224.
Arytenoïdeae Cartilagines. 12. 49. 63. 104. 117.
Aſini Sceletus. 311.
Aſpera Arteria. 12. 49. 63. 104. 117.
glandulae ejus degeneratae. 243.
calculo obſeſſae. 280.
Aſthma in gravida, & ante tempus pariente, lethale. 265.
Atlas. 6. 61. 85.
Ancyloſes ipſius. 143 — 148.
Auditorius nervus durus. 26. 78. 115.
Adhaerens ipſi corpusculum praeternaturale. 232.
Auditus Organi praeparata varia ex homine. 6. 9. 14. 15. 16. 17. 26. 52. 77. 115. 116. ex brutis. 17. 88. 312.
Auricula. 19. 52. 77. 100. 117.
Cartilago ejus. 9. 77.
Auris Cordis. 72. 104.
Azygos Vena. 117. 118.

B.

Balaenae Adnata. 21. 67. 100.
Auditus. 88. 312.
Choroïdea. 21. 67. 101.
Ciliares nervi. 21.
Cornea. 21. 67. 100.
Cranium 312.
Humor vitreus. 21. 67. 101.
Integumenta. 102. 103.
Iris. 21.
Lens cryſtallina. 21. 67. 101.
Ligamenta ciliaria. 21. 67. 100.
Nervus opticus. 67. 100.
Balaenae Oculus. 20. 21. 67. 100. 101.
Orbiculus ciliaris. 21. 67. 100. 101.
Penis. 123. 312.
Pupilla. 21. 67. 100.
Retina. 21. 67. 100. 101.
Sceletus. 311.
Sclerotica. 20. 67. 100.
Uvea. 21. 67. 100. 101.
Vertebrae. 312.
Barbyruſſae Caput. 312.
Bartolotti Mumiam Theatro dedit. XIII. 310.
Bartisii Inſtrumentum pro auferenda palpebrae ſuperioris relaxatae parte, a Rauio correctum. XVIII.
Bezoar Lapis ex cervo. 124.
Biceps Infans. 299.
Bidloi. (G.) Memoria. XII.
Bilis Veſicula. 76. 120.
Calculi in ea inventi. 87. 124. 279. 280.
Bils (L. de) Praeparata anatomica Theatro dedit. XIII.
Bontii. (G.) Memoria IV.
(J.) Memoria IV. not. h.
(R.) Memoria IV. not. f.
Bovis Auerochs dicti cornu. 311.
Tauri. Cranium. 311.
Rumen. 65.
Sceletus. 311.
Bovini Oculi praeparata varia. 21.
Bracherii male adplicati, aut non neceſſarii, noxae. 247. 253. 259.
Brachii Oſſa. 8. 10 — 13. 62. 63. 64. 81. 86. 98. 117.
& muſculi. 99.
Brachialis Arteriae aneurysma. 224.
Bregmatis Varietates. 5. 18. 114.
Bronchia. 104.
Glandulae induratae. 243. calculo obſeſſae. 280.
Bronchocele. Concretiones inventae in glandula thyreoïdea hominis, qui bronchocele laboravit. 274.
Bucerotis Rhinocerotis avis roſtrum. 312.
Bulbus Urethrae. 80. 123.

C.

Cadurdae ſeu nymphae. 57. 58.
Caeſarea Sectione apertus uterus. 111.
Calcaneus. 11. 61.
Ancyloſi cum oſſibus aliis concretus. 217. 221.
Carie adfectus. 217.
Calculorum fragmenta minima, tunicae internae veſicae adhaerentia. 256. 257. 290.

Calculus Biliarius. 87. 124. 279. 280.
Ductus ſalivalis. 279.
Glandularum Bronchialium. 280.
Ileo inteſtino inhaerens. 86.
Meſenterii. 86. 119.
Nucleum omnes continent. 291. 292.
Podagrae. 88. 279.
Pulmonum. 279.
Renalis. 87. 88. 280. 281. 282.
Admodum magnus. ib.
Sponte ſibi per abſceſſum in lumbis viam faciens. 282.
Sacci Lacrymalis. 279.
Urethrae impactus. 289. 294. ea exſectus. 294.
Veſicae. 87. 88. 124. 256. 262. 282. 296.
A feminis expulſus. 285.
Extractio in virgine. 286.
Sacco incluſus. 294.
Sanguinem exſiccatum continens. 293.
Sectio duobus temporibus. 293.
bis in eodem homine inſtituta. 292.
Rauiana. XVIII.
Canalis Arterioſus. 72. 104. 117. 118. 273.
Maxillae inferioris, nervum transmittens. 83.
Nervorum acuſticorum. 78. 115.
Orbicularis corneam cingens. 21.
Semicircularis. 9. 16. 17. 78. 79. 115. 116.
Venoſus. 76.
Cancroſus Penis. 262.
Canis Caput. 89.
Monſtroſus. 111. 305.
Sceletus. 89. 311.
Capilli. 30.
Capitatum Os. 11. 63.
Ancyloſi cum aliis oſſibus nexum. 228.
Capitulum Mammae. 19. 48. 56. 103.
Capſulare Ligamentum femoris oſſificatum. 199.
Caput Aethiopis. 4. 165.
Acephali ita dicti. 156.
Alces. 311.
Ancyloſi concretum cum atlante. 143 — 148.
maxilla inferiore. 149.
Angli. 4.
Antilopes. 311.
Arietis. 89.
Avis Bucerotis Rhinocerotis. 312.
Barbyruſſae. 312.
Bovis Tauri. 311.
Canis. 89.
Caput Carie adfectum. 4. 5. 7. 151. ſeq. 161. 167.
Caſtoris. 89.
Caviae Capybarae. 311.
Cervi Alces. 311.
Tarandae. 311.
Concretum praeter naturam. 159.
Craſſiſſimum. 141. 142.
Cuniculi 89.
Delphini Delphis. 312.
Depreſſum. 162. 163.
Difforme foetus. 164.
Diſſolutum & integrum. 4. 6. 9. 81. 83. 90. 112. 114.
Edentulae. 165.
Elephantis Africani. 311.
Equi Caballi. 311.
Felis. 89.
Fractum. 150. 151.
Galli. 4.
Gallinae Monſtroſum. 306.
Hippopotami. 312.
Hiſpani. 4.
Hydrocephalo inſigniter mutatum. 129. ſeq.
Kalmukki. 90.
Leonis. 311.
Malabaricae mulieris. 4.
Magnitudinis prodigioſae. 5. 135 — 140.
Papionis. 311.
Rhinocerotis. 311.
avis hujus nominis. 312.
Ruſſi. 90.
Salmonis monſtróſum. 306.
Simiae. 89. 311.
Solutum. 6. 81. 83. 115.
Sueci. 90.
Suis Barbyruſſae. 312.
Scrofae. 312.
Tartari. 90.
Tenuiſſimum. 134. 135. 165.
Tigridis. 311.
Urſi Arcti. 311.
Melis. 311.
Vulneratum. 151.
Vulpis. 311.
Xiphiae gladii piſcis. 312.
Caries Calcanei. 217.
Coſtarum. 181.
Cranii. 4. 5. 7. 151. ſeq. 161. 167.
Femoris. 6. 200. 201. 202.
Fibulae. 7. 218. 219.

Caries. Humeri. 225.
Innominati ossis. 200. 201.
Maxillae. 154. 159. 160. 167.
Narium. 154.
Sterni. 87. 178.
Tibiae. 217—220.
Vertebrarum. 169. 175. 176.
Carotides Arteriae. 83. 118. Insolito modo ex arcu aörtae provenientes. 243. 273.
Carpus. 8. 11. 12. 63. 64. 86.
& metacarpus per ancylosin concretus. 6. 228.
Cartilago. Arytenoïdea. 12. 49. 63. 104. 117.
Auris. 9. 77.
Cricoïdea. 12. 49. 63. 82. 104.
Ensiformis in os mutata. 9. 127. 178. 179.
Ossium. 64.
Thyreoïdea. 12. 49. 63. 104.
Ossea. 87. 104. 274.
Caruncula Lacrymalis. 55. 56. 101.
Castoris Caput. 89.
Catheterismum instituendi difficultas. 256. 258. 262.
Cauda Equina. 22. 100.
Cava Vena inferior. 71.
Totum hujus venae systema. 123.
Superior. 118.
Cavernosa Corpora penis. 23. 27. 80. 106. 123.
Urethrae. 123.
Cavernosum Os. 76.
Caviae Capybarae caput. 311.
Celiulosa Membrana. 70.
Ejus, quae peritonaeum musculis abdominalibus nectit, degeneratio in hydrope peritonaei. 245.
Centralis Arteria nervi optici. 102.
Cercopitheci Sceletus. 89.
Cerebellum. 99.
Scirrhosum. 111. 232.
Cerebri Cortex. 39. 99.
Hemisphaeria. 99.
Medulla. 39. 40. 99.
Membrana arachnoïdea. 99. 100.
Dura mater. 18. 26. 54. 99. 115. 142. 143. 152. 155. 231. 232. 273.
Pia mater. 38. 39. 72. 99.
Vasa. 40.
Cerebrum Feminae fatuae. 99.
Cervi Alces caput. 311.
Lapis Bezoar. 124.
Tarandae Cranium. 311.
Chama Gigas. 312.
Choledochus Ductus. 76. 120
Chorda Tympani. 78. 79.
Chorion Membrana. 58. 59. 109. 110.
Bruti. 25. 26.
Ovis. 68.
Choroïdes Membrana. 20. 33. 52. 53. seq. 101. 102.
Balaenae. 21. 67. 101.
Bovis. 21. 22.
Ovis. 66. 67. 101.
Vituli. 65.
Plexus. 26. 40.
Tumoribus & hydatidibus obsessus. 232.
Chylifera Vasa. ix. 72. 76. 88. 105. 118. 120. 243. 310.
Cilia. 55. 56.
Ciliaria Ligamenta. 19. 21. 53. 101.
Balaenae. 21. 67. 100.
Bovis. 21. 22.
Ovis. 65.
Vituli. 66. 101.
Ciliares Nervi. 20. 53. 79. 102.
Balaenae. 21.
Bovis. 21.
Ciliaris Orbiculus. 20. 52. 53. 67. 100. 101. 102.
Balaenae. 21. 67. 100. 101.
Ovis. 21.
Vituli. 101.
Cisterna Lumbaris. 71. 120.
Claudicationis Variae causae. 87. 188. 193—208.
Congenitae exemplum. 203.
Clavicula. 8. 10. 11. 12. 81. 98.
Morbosa. 127. 223.
Clavus, est degeneratio cuticulae. 49. 64. 272.
Clitoris. 58. 107.
Excrescentia ejus. 111. 263.
Coccyx. 85. 98.
cum sacro concreta. 176. 177. 190. 191. 192.
Cochleae Fabrica. 9. 16. 17. 78. 79. 115. 116.
Coecitas producta per tumorem, in antro Highmoriano natum, & omnia faciëi ossa destruentem. 161.
Coecum Intestinum. 45. 46. 75. 105. 120.
Colli Glandulae degeneratae. 65. 243. 244. 245.
Vertebrae. 60. 61. 81. 85. 98.
Colon Intestinum. 45. 46. 75. 105. 113. 120. 121.
Morbosum. 121.
Valvula. 46. 75. 120. 121.
Coloris sedes & causa in variis nationibus. 34. 35. 36. 103.
Columba Monstrosa. 111. 306.
Conceptus. 58.

Concrementum, in ovario inventum. 267. 275.
Thyreoïdea glandula. 274.
Utero. 275.
Cor. 40. 71. 72. 89. 104. 113. 117. 118. 234. 236.
Auriculae. 72. 104.
Balſamo conditum. 310.
Conformatio ipſius inſolita. 234. 236. ſeq.
Fibrae. 40. 104.
Foramen ovale. 72. 104. apertum in adulto. 241.
Valvulae. 40. 104.
Vaſa. 104. 118.
Ventriculi. 40. 72. 104.
Vulneratum. 104.
Cordis & pulmonum nexus. 104. 105.
Coracoïdeus ſcapulae proceſſus morboſus. 222.
Cornea. 20. 21. 52. 53. 54.
Orbicularis canalis, eam cingens. 21.
Balaenae. 21. 67. 100.
Bovis. 21.
Ovis. 66.
Cornu Antilopes Strepſicerotis. 311.
Bovis Tauri. 311.
Integumentorum. 124. 275. 276.
Rhinocerotis. 89. 311.
Coronalis Sutura deleta. 159.
duplex. 165.
Coronaria Vaſa. 104. 118.
Cortex Cerebri. 39. 99.
Renis. 47. 106.
Coſtae. 8. 9. 10. 12. 61. 62. 81. 98. 99.
Ancyloſi concretae inter ſe. 87. 173. 180.
cum vertebris. 6. 87. 172 — 176.
Articulatae in medio corpore. 98. 180.
Biſidae. 87. 116.
Conformationis inſolitae. 180.
Exoſtoſis. 172.
Fractae. 127. 172. 180.
Morboſae. 127. 128. 172. 180. 181.
Vid. Scolioſis.
Cotyledon Uteri gravidi ovis. 25. 67. 68.
Coxa. 8. 10. 12. 61. 81. 85. 98. 99. 116.
Ancyloſi concreta cum femoris oſſe. 199. 200. 205.
ſacro. 6. 189. 190. 191. 192. 196. 197. 198. 205.
Cariofa. 200. 201.
Morboſa. 87. 128. 193 — 201.
Cranii pars ſuperior impletis arteriis. 70. 71.
Cranium. Vide Caput.
Craſſa Inteſtina. 45. 75. 120. 275.
Ligamenta eorum. 120. 121.
Cribriforme Os. 60. 76. 81. 82.
Interſtitium. 60. 76. 77.
Cricoïdea Cartilago. 12. 49. 63. 82. 104.
Cruris Oſſa & muſculi. 99.
Cryſtallina Lens. 20. 55. 102.
Balaenae. 21. 67. 101.
Bovis. 21.
Ovis. 101.
Vituli. 67. 101.
Cubiforme Os. 11. 62. 85.
cum reliquis tarſi concretum. 221.
Cubiti Articulatio morboſa. 87. 223 — 227.
& manus extremae oſſa. 117.
Cubitus cum manu infantis egregie impletus. 32. 102.
Cuneiformia Oſſa. 11. 62. 63. 85.
Ancyloſi inter ſe & cum aliis nexa. 221.
Cuniculi caput. 89.
Cuticula. 19. 29 — 36. 48. 49. 69. 89. 103. 104.
Balaenae. 102.
Clavus. 49. 64. 272.
Craſſities in diverſis locis. 29.
Color in Aethiope. 34 — 37. 69. 103.
Cornu. 124. 125. 275. 276.
Separatio ipſius a cute quomodo fiat. 29.
Cutis. 29. 30. 48. 49. 56. 69. 70. 100. 103. 104. 117.
Aethiopis. 34 — 37. 69. 103.
Arteriae. 30. 32 — 34. 48. 49. 69. 70. 103.
Balaenae. 102. 103.
Cornu. 124. 125.
Cranii, impletis arteriis, quae ſub cute ſunt. 69. 70.
Detracta de toto corpore vivi hominis & praeparata. 117.
Elephantis. 89.
Folliculi. 51. 100.
Mammae. 19. 56.
Papillae. 30. 31. 36. 37. 48. 49. 103.
Balaenae. 103.
Pori. 33.
Ulcus. 64. 272.
Cyphoſis. Coſtarum, vertebrarum, oſſium pelvis degeneratio hoc in morbo. 175. 188. ſeq.
Cyſticus Ductus. 76. 130.

D.

Dartos Membrana. 79. 80.
Daſypus Novemcinctus. 310.
Datyrae Fructus ſceletus. 69.
Decidua Hunteri membrana. 59. 109.
Deferens Vas. 23. 24. 67. 80. 106. 107. 123.
Arietis. 24.
Vituli. 25. 67.
Delphini Delphis cranium. 312.
Deltoïdes Muſculus. 99.
Dens Monodontis Monocerotis. 312.
Dentes per varias aetates. 13. 81. 82 — 85.
Aberrantes. 86. 87. 167.
Alveolis ſuis adhuc penitus incluſi. 22. 82. 83.
Novi, ſeu ſecundarii. 14. 22. 82. 83. 84. non producuntur ex radice decidui. 82. 83. 84.
Vituli. 89.
Depreſſio Cranii. 162. 163.
Diaphragma. 71. 117.
Digiti Pedis concreti. 272.
Clavus. 272.
Digitorum Oſſa. 62. 63. 64. 81. 85. 86.
Digitus ſic impletus, ut papillae optime cernantur. 103.
Diverticulum, ileo inteſtino adhaerens. 121. 235. 249. 275.
Doeveren (G. van) Memoria. 93.
Supellex Anatomica. 98.
Dorſi Vertebrae. 60. 61. 87. 98. Tredecim. 112. 113.
Drelincurtii (C.) Memoria. ix.
Ductus Choledochus. 76. 120.
Chyliferus. ix. 71. 88. 118. 120. Inſertus venae ſubclaviae dextrae. 243.
Cyſticus. 76. 130.
Deferens. 23. 24. 67. 80. 106. 107. 123.
Hepaticus. 120.
Pancreaticus. 76.
Salivalis. In eo inventi calculi. 279.
Thoracicus. Vid. Chyliferus.
Duodenum Inteſtinum cum meatu pancreatico & choledocho. 76. 119.
Dura Mater. Arteriae impletae. 26.
Fungi, ex ea enati. 142. 143. 152. 231. 232.
Morboſa. 142. 143. 152. 155. 231. 232. 273.
Oſſificata. 273.
Proceſſus falciformis. 18. 99. 115.
Sinus longitudinalis. 18. 99. 115.
Vagina ejus, opticum nervum amplectens. 54.

E.

Edentulorum Maxillae. 14. 83. 165. 167.
Elephantis Africani Cranium. 311.
Cutis. 89.
Oſſa artuum. 311.
Embryo. 26. 58. 59. 60. 108. 109.
Aethiopis. 108.
Ovis. 26. 68.
Sceletus. 60. 310.
Taton. 68.
Emollitio Oſſium, indeque natae fracturae diverſae. 127.
Enſiformis Cartilago in os mutata. 9. 127. 178. 179.
Epidermis. 19. 29 — 36. 48. 49. 69. 103. 104.
Aethiopis. 34 — 37. 69. 103.
Balaenae. 102.
Cornu. 124. 125. 275. 276. Vid. Cuticula.
Epididymis. 23. 24. 25. 67. 80. 106. 123.
Arietis. 24. 25.
Vituli. 25. 67.
Epiglottis. 49. 100. 117.
Epiphyſes Oſſium. 7. 8. 9. 63. 81.
Epiploïcae Arteriae. 40. 119.
Epulidis cancroſae in oſſa faciei effectus. 159.
Epiſtropheus. 8. 85.
Concretus cum atlante, aut ſubſequentibus vertebris. 143. 147. 148. 168. 169.
Equi Aſini ſceletus. 311.
Caballi ſceletus. 311. caput. 311.
Erinaceus Europaeus. 310.
Veſicula ſeminalis ejus. 107.
Eruca. 68.
Ethmoïdes Os. 60. 76. 81. 82.
Excreſcentia Clitoridis. 111. 263.
Exoſtoſis in Coſta. 172.
Femore. 7. 199. 211.
Fibula. 221.
Humero. 226.
Pollice. 87. 221.
Tibia. 218.
Vertice. 7. 115. 163.
Externus Mallei muſculus. 78. 79.
Extirpatio Teſticuli. 262.
Eustachii Merita in Anatomen. xxix.
Tuba. 78. 117.
Valvula. 118.

F.

Faciēi Praeparatum. 100. 117.
Offium mira deſtructio ex tumore, in ſinu maxillari enato. 161. ſeq. ex epulide cancroſa. 159.
Falciformis Proceſſus. 18. 99. 115.
Falcoburgii (A.) Memoria. VII.
Fallopii Aquaeductus. 9. 16. 78. 79.
Tubae. 58. Imperviae. 287.
Fatuae Feminae cerebrum. 99.
Felis Biceps. 305.
Caput 89.
Monſtroſa. 305. 306.
Sceletus. 3. 89.
Bicipitis. 89. 306.
Bicorporis. 89. 306.
Fellis Veſicula. 76. 120.
Calculi in ea inventi. 87. 124. 279. 280.
Femur. 8. 11. 12. 61. 81. 98.
Ancyloſi concretum cum coxa. 87. 199. 200. cum tibia & patella. 210. 112. 213.
Caput ejus degeneratum. 87. 193——200. 205. 206.
Caries. 6. 200. 211. 212.
Exoſtoſis. 7. 199. 211.
Fractura. 7. 87. 205——211.
Hyperoſtoſis. 211.
Latiſſimum. 212.
Longiſſimum. 202.
Luxatio. 87. 188. ſeq.
Morboſum. 6. 7. 87. 188. 193——213.
Necroſis. 7. 210.
Feneſtra Ovalis. 78. 79. 115. 116.
Rotunda. 78. 79. 116.
Fibrae Cordis. 40. 104.
Muſculi. 37.
Tendinis. 26. 37. 71. 99.
Fibula. 8. 9. 11. 12. 62. 81. 86. 117.
Ancyloſi concreta cum tibia. 214. 215. 216. 217. & talo. 217.
Carioſa. 7. 218. 219.
Exoſtoſis. 221.
Fracta. 7. 213. 214. 215. 217. 221. 222.
Morboſa. 213——221.
Rachitide affecta. 221.
Tumorem ſingularem exhibens. 221.
Fiſſura Oſſis. 215.
Fiſtula Uriniſera. 47. 48. 106.
Flos Aloës Americanae. 106.
Foetus Acephalos. 111. 156. 300. ſeq.
Aethiopis. 108.
Hernia umbilicali laborantes. 59. 108. 109. 234. 235. 302. 303.
Immaturi. 26. 58. 59. 60. 108. 109.
Ovilli. 26.
Sceletus. 60. 310.
Situs in parturiente, ex ruptura uteri mortua. 267.
Taton. 68.
Folii Arboris ſceletus. 90.
Folliculi Cutanei, eorumque aperturae. 51. 100.
Mucoſi inteſtini recti. 105.
Fontanellae Varietates. 5. 18. 114.
Foramen Ovale. 72. 104. Apertum in adulto. 241.
Forestus (P.) Inaugurationi Academiae interfuit. 111.
Flexura Inteſtinorum praeternaturalis. 121. 122.
Flurantii Methodus puncturam veſicae inſtituendi. 256. 258. 285. 288. 289.
Fractura Coſtarum. 127. 172. 180.
Coxarum offium. 128.
Claviculae. 127. 223.
Cranii. 150. 151.
Femoris. 7. 87. 205——211.
colli ipſius. 204. 205. 206. 207.
Fibulae. 7. 215——217. 221. 222.
Humeri. 224. 226.
Innominatorum offium. 128.
Radii. 226.
Sacri. 178.
Squamoſa. 206. 210.
Tibiae. 7. 213——217. 222.
Ulnae. 226.
Fragmenta de offibus carioſis ſeparata. 220.
Fringilla, duobus capitibus inſtructa. 111. 306.
Frontales Sinus 4. 17. 77. 114. 115.
Frontis Os. 4. 6. 17. 77. 81. 82. 114. 115.
Concretum cum multiformi. 167.
Degeneratio ex fungo durae matris. 142.
Sinus. 4. 17. 77. 114. 115.
Sutura diviſum. 4. 6. 114.
Fructus Alkekengi ſceletus. 69.
Daturae ſceletus. 69.
Fungus Articuli cubiti. 225.
Durae matris. 142. 143. 152. 231. 232.
Recti inteſtini. 111. 255.
Funis Umbilicalis. 25. 60. 80. 107. 109. 110. 123. 124.
nodis conſtrictus. 272.
velamentis ovi inſertus. 271.

G.

Galli Cranium. 4.

Gallinaceus Pullus monſtroſus. 111. 305.

Gallinae Caput difforme. 306.

Ovum. 89.

Gallo-Pavonis pullus monſtroſus. 111. 305.

Gangraena Uteri in puerpera. 269.

Gaſtro-Epiploïcae arteriae. 40. 119.

Gemelli diverſimode concreti. 299.

Gena. 50. 100.

Genu Articulus. 117.

Infantis nuper nati arteriis impletis. 71.

Morboſum. 65. 211. 212. 213. 242 — 245.

Gingiva. 83.

Glandulae. Aſperae arteriae induratae. 243. calculo obſeſſae. 280.

Colli degeneratae. 65. 243. 244. 245.

Inteſtinorum. 43. 44. 45. 46.

Linguae. 50. 100.

Lumborum induratae. 289.

Meibomianae. 101.

Meſenterii. 47. 76. 105. 119. Induratae. 149. In ſteatomata mutatae. 274.

Morboſae. 65. 243. 244. 245. 274.

Ovis. 50. 51.

Parotis morboſa. 232.

Salivales. 100. 264. 270.

Calculi, in earum ductibus inventi. 279.

Thymus. 33. In adulto homine inſignis longitudinis. 244.

Thyreoïdea morboſa. 243. 244. 274.

Tonſilla. 49. 100.

Glans Penis. Ejus involucra. 23. 31. 57. 123.

Globus oculi. 52. 53.

Balaenae. 20. 21. 67.

Ovis. 66. 67.

Vituli. 22. 66.

Glottis. 49. Ejus rima, & rima interna. 49. 100.

Gravidae Uterus. 58. 107. 111. 270. 271.

Guilielmi primi conſilium erigendi Academiam. 111.

Gula. 100. 104.

Morboſa. 65. 242 — 245.

Guſtatus. 49.

H.

Haemiſphaeria Cerebri. 99.

Hepar. 47. 76. 120.

Abſceſſus. 249.

Acini quid ſint. 47.

Ductus. 120.

Forma inſolita ex compreſſione per thoraces rigidos. 265.

Maximum. 249.

Scirrhoſum. 111. 249.

Steatomatibus obſeſſum. 249.

Heurnii (J.) Memoria. vi. not. w.

(O.) Merita. vi. vii.

Hernia Inguinalis, male adplicato bracherio compreſſa. 247. 253.

Congenita, in juvene obſervata, & poſt mortem examinata. 253. 254.

Inteſtino-vaginalis. 252.

Umbilicalis in embryone parvulo. 59. 108. 109. 234. 235. 302. 303.

Herniosa Dilatatio peritonaei. 275.

Highmori Antrum. 17. 18. 76. 100. 115.

Tumor in eo enatus, omnia faciëi oſſa deſtruens. 161.

Hippopotami Amphibii caput. 312.

Hiſpani Cranium. 4.

Hominis Monſtra. 110. 299. ſeq.

Sceleti. 3. 7. 8. 81. 90. 112. 113. 310.

Horne (J. van) Memoria. viii.

Humeri Os. 8. 10. 12. 13. 62. 63. 64. 81. 98. 117.

Articulatio cum cubito morboſa. 87. 222. 227.

ſcapula. 222.

Carioſum. 225.

Exoſtoſis. 226.

Fractum. 224. 226.

Luxatum. 224.

Morboſum. 87. 222 — 226.

Tumore ſingulari obſeſſum. 223.

Humor Cryſtallinus. 20. 55. 102.

Balaenae. 21. 67.

Bovis. 21.

Ovis. 101.

Vituli. 67. 101.

Vitreus. 20. 55.

Balaenae. 21. 67. 101.

Ovis. 101.

Humor Vitreus Vituli. 67. 101.
Hunteri Decidua membrana. 59. 109.
Hydatides. Quid proprie ſint. 65.
Placentae humanae. 25. 65. 111. 272.
Plexus Choroïdei. 232.
Hydrocephalus. Cranii mutationes hoc in morbo. 129. ſeq.
Hydrops Ovarii. 242. 269. Hiſtoria morbi & ſectio cadaveris. 270. 271.
Pectoris. Examen puerperae, hoc ex morbo defunctae. 265.
Peritonaei. Hiſtoria talis morbi. 245. 247. Sectiones cadaverum. 246. 248.
Renis. 252.
Hymen. 57. 286.
Hyoïdes Os. 12. 63. 85. 117.
Hyperoſtoſis Femoris. 211.

I.

Jacobi Fratris methodus calculoſos ſecandi. XII. XV.
Jecur. Vide Hepar.
Jejunum Inteſtinum. 22. 41. 42. 72. 73. 105. 119.
Tunicae. 41. 42. 43. 72. 73. 105.
Villi. 41. 42. 43. 105.
Ileum Inteſtinum. 23. 43—47. 59. 74. 75. 76. 105. 119. 120. 121.
Calculus. 86.
Elapſum per vulnus. XVIII.
Glandulae. 45.
Tunicae. 43. 44. 45. 74.
Villi. 44. 45. 59. 74. 105.
Vituli. 23. 88.
Ilium Os. 8. 10. 12. 61. 81.
Incarceratio Inteſtinorum ſingularis. 122.
Incus. 85. 60. 77. 78. 115.
Infantes Monſtroſi. 299. ſeq.
Innominata Oſſa. 8. 10. 12. 61. 81. 85. 98. 99. 116.
Ancyloſi nexa cum femore. 199. 200. 205.
ſacro. 6. 189—192. 196. 197. 198. 205.
Carie adfecta. 200. 201.
Diſformia in acetabulis. 87. 190—200.
Fracta. 128.
Inguinalis Hernia. 247. 253. Vid. Hernia.
Integumenta. 19. 29—36. 48. 49. 56. 69. 70. 100. 103 104. 117.
Aethiopis. 34—37. 69. 103.
Balaenae. 102.
Cornu, ex iis enatum. 124. 275. 276.
Intercoſtales Arteriae. 118.
Muſculi. 71.
Interſtitium Cribriformis. 60. 76. 77.
Naſi. 18. 26. 51. 76. 77. 113.
Inteſtino-Vaginalis hernia. 252.
Inteſtinum. Appendix. 121. 235. 249. 275.
Arteriae. 22. 41—44. 65. 72. 73. 74. 119.
Coecum. 45. 46. 75. 105. 120.
Colon. 45. 46. 75. 105. 113. 120. 121.
Morboſum. 121.
Valvula. 46. 75. 120. 121.
Craſſum. 45. 75. 120. 275.
Diverticulum. 121. 235. 249. 275.
Duodenum. 76. 119.
Glandulae. 43. 44. 45.
Jejunum. 22. 41. 42. 72. 73. 105. 119.
Ileum. 23. 43—47. 59. 74. 75. 76. 105. 119. 120. 121.
Elapſum per vulnus. XVIII.
Inhaerens ei calculus. 86.
Incarceratum. 122.
Morboſum. 86. 120. 121. 122. 249. 274.
Rectum. 105. 124.
Folliculi mucoſi. 105.
Fungus. 111. 215.
Tenue. 41—47. 65. 66. 72. 89. 105. 119.
Glandulae. 43. 44. 45. 46.
Pſeudopapillae Ruiſchii. 45.
Valvulae. 22. 41. 42. 43. 72. 75. 105. 119.
Vaſa. 22. 23. 41—44. 65. 72. 73. 74. 119.
Villi. 22. 23. 41. 42. 43. 47. 59. 65. 66. 74. 105.
Vituli. 23. 65. 66. 88.
Tunicae. 41—46. 72. 73. 89.
Ulcus. 249. 250.
Vermiculare. 45. 46. 75. 120. 121.
Involucra Linguae. 49. 50. 110. 117.
Iris. 21. Balaenae. 21. Bovis. 22. Ovis. 101.
Iſchiadicus Nervus. 116.
Iſchuria. Morbi hujus hiſtoriae, & cadaverum examina. 256—261. 283. 284. 287. 288. 289. 295.
Punctura veſicae Flurantii methodo inſtituta. 256. 258. 285. 288. 289.
ſupra pubem. 261.
Jugale Os. 76. 81. 82.
Jugulares Venae. 71. 118.

K.

Kalmukki Caput. 90.

L.

Labia Oris. 50. 100.
Pudendi. 58. Verrucae, iis adhaerentes. 263.
Labium Leporinum in cane. 111.
infante. 163. Mutationes, quas ossa in malo hoc compositio dicto subeunt. 163. 164. 302.
Labyrinthi Praeparata. 16. 78. 79. 115. 116.
Lacerta Alligator. 310.
Crocodilus. 310.
Lacrymale Punctum. 55. 56. 101.
Lacrymalis Caruncula. 55. 56. 101.
Lacrymali Sacco inhaerens calculus. 279.
Lactea Vasa. 71. 76. 88. 105. 243. 310.
Lambdiformis Sutura duplex. 166.
Officulis Wormianis plena. 114. 166.
Lamellae Osseae corpora vertebrarum conjungentes. 168. 169. 170. 171. 172.
Lamina Spiralis cochleae. 9. 16. 17. 78. 79. 115. 116.
Lapis Bezoar ex Cervo. 124.
Larynx. Cartilagines osseae. 274.
Compositio. 49. 63.
Erosio ex ulcere, in pharynge enato. 243.
Partes variae. 12. 83. 100. 104. 117.
Ventriculi. 49. 104.
Latus Thoracis. 71. 118.
Lens Crystallina. 20. 55. 102.
Balaenae. 21. 67. 101.
Bovis. 21.
Ovis. 101.
Vituli. 67. 101.
Leonis Caput. 311.
Leporinum Labium. Vid. Labium.
Lien. Arteriarum penicilli. 47. 106.
Duplex. 235.
Longissimus. 268.
Membrana externa & substantia fibrosa cum vasis. 23. 47. 106. 120.
Ovis elotus. 88.
Ligamenta. Capsulare femoris ossificatum. 199.
Ciliaria in Homine. 19. 21. 53. 101.
Balaena. 20. 21. 67. 100.
Ligamenta. Ciliaria in Bove. 21. 22.
Ove. 66.
Vitulo. 66. 101.
Crassorum intestinorum. 120. 121.
Sacro-ischiadica ossificata. 192.
Sacrum coxis adnectentia in os mutata. 191.
Uteri lata. 267.
rotunda. 58.
supernumerarium. 267.
Ligamentoso-cartilaginea substantia, quae inter corpora vertebrarum datur, in os mutata. 171.
Linguae Glandulae. 50. 100.
Involucra. 49. 50. 100. 117.
Papillae & vasa. 22. 49. 100.
Reticulum. 50.
Vasa, mercurio impleta. 90.
Longitudinalis Sinus durae matris. 18. 99. 115.
Lordosis. 189.
Luis Venereae degenerationes in ossibus observatae. 7. 152. seq. 159. 160. 231. 232.
Lumbaris Cysterna. 71. 120.
Lumborum Abscessus, ex quo prodiit calculus renalis. 282.
Glandulae induratae. 289.
Vertebrae. 60. 61. 85. 87. Quatuor. 112. 113.
Lunatum Os. 8. 11. 12. 63. 64. 86.
Lupi Sceletus. 311.
Luxatio Cubiti. 224.
Femoris ossis. 87. 188. seq.
Humeri 224.
Radii. 227.
Tali. 217.
Lymphatica Vasa. 71. 76. 88. 105. 120. 243. 310.
Nuckii in replendis illis merita. xi.

M.

Malabaricae Mulieris cranium. 4.
Malleus. 6. 15. 60. 77. 78. 81. 115. 116.
Musculus externus. 78. 79.
Processus gracilis, a Rauio restitutus. xviii.
Vituli. 88.
Mamma. Cutis. 19. 56.
Maxima. 232. 233. 234.
Papilla. 19. 48. 56. 103.
Vasa galactophora. 19. 56.
Mammaria Vasa. 71. 118.
Mammillaris Processus ossis temporis cellulae. 4. 79. 114. 115.

Manus cum cubito infantis, egregie impleta. 32. 103.
Totius ancylosis. 228.
Maxillae Inferiores. Immaturorum, modo natorum, in partes duas divisae, ad demonstrandos alveolos, dentes secundarios, canalem osseum. 14. 22. 81. 82. 83. 114.
Ancylosis. 149.
Arteria, fundum alveolorum percurrens. 83.
Carie destructae. 160. 167.
Condyli morbosi. 167.
Edentulorum. 14. 83. 165. 167.
Superiores simili modo praeparatae, ac inferiores. 14. 76. 83. 84.
Carioſae ex epulide cancrosa. 159.
lue venerea. 154.
Maxillare Superius os. 14. 76. 81 — 84.
Maxillaris Sinus. 17 18. 76. 100. 115. Vid. Antrum Highmori.
Meatus auditorius. 14. Vid. Auditus praeparata.
Medulla Cerebri. 39. 40. 99.
Ossium. 13. 64.
Spinalis. 22. 99. 100. Arteriae ejus. 22.
habitus ipsius praesente spina bisida. 235.
Meibomianae glandulae. 101.
Membrana. Adnatae. 21. 55. 56.
Balaenae. 21. 67. 109.
Albuginea. 56. 57. 67. 106. 107. 123.
Allantois. 59. vel species ejus. 109.
Amnios. 48. 59. 60. 109. 110.
Ovis. 68.
Arachnoïdea. 99. 100.
Cellulosa. 70.
Degeneratio ejus, quae peritonaeum musculis nectit, in hydrope peritonaei. 245.
Chorion. 58. 59. 109. 110.
Bruti. 25. 26.
Ovis. 68.
Choroïdes. 20. 21. 33. 52. 53. 101. 102.
Balaenae. 21. 67. 101.
Bovis. 21. 22.
Ovis. 66. 67. 101.
Vituli. 66.
Cornea. 52. 53. 67. 100.
Balaenae. 21. 67. 100.
Dartos. 79. 80.
Decidua Hunteri. 59. 109.
Membrana. Dura mater. 18. 26. 54. 99. 115. 142. 143. 152. 155. 231. 232. 273.
Fungosa uteri. 58. 59. 90 109. 110.
Intestinorum. 41 — 46. 65. 66.
Mesenterii. 46. 47.
Mucipara narium. 51. 77. 100. 117.
Ovi humani. 59.
Pia Mater. 38. 39. 72. 99.
Pupillaris. 52. 102.
Pseudomembrana ovi. 58. 59. 109. 110.
Retina. 20. 21. 52. 53. 54. 102.
Balaenae. 21. 67. 100. 101.
Ovis. 66. 67. 101.
Vituli. 66. 101.
Ruischiana oculi. 54.
Schneideriana. 51. 100. 117.
Sclerotica. 20. 52. 53. 54. 79. 101. 102.
Balaenae. 20. 67. 100.
Bovis. 21.
Ovis. 66. 67 101.
Vituli. 22. 66.
Tympani. 6. 15. 77. 78. 83. 115. 116. 117.
Vituli. 88.
Uteri int[illegible] 90.
Uvea. 20. 53. 54. 102.
Balaenae. 21. 67. 100. 101.
Bovis. 21. 22.
Ovis. 66. 67.
Vituli. 66. 101.
Vaginalis testis. 123.
Aqua expansa. 275.
Vituli. 68.
Ventriculi. 41. 105.
Memoria. Albini. (B. S.) XXII.
(F. B.) XXXIV.
Bidloi. XII.
Bontii. (G.) IV.
(J.) IV. not. h.
(R.) IV. not. f.
Doevereni. 93.
Drelincurtii. IX.
Falcoburgii. VII.
Foresti. 111.
Heurnii. (J.) VI. not. w. x.
(O.) VI.
Horne. VIII.
Nuckii. X.
Oorschoti. III.
Paawii. V.

Memoria. Rauii. XIV.
Meſenterium. 46. 47. 66. 73. 75. 76. 105. 119. 120.
Arteriae. 73. 76.
Calculi. 86. 119.
Glandulae. 47. 76. 105. 119.
Induratae. 249.
In ſteatomata mutatae. 274.
Meſocolon. 75. 121.
Metacarpus. 8. 11. 12. 13. 63. 64. 81. 86.
Ancyloſi concretus. 228.
Metatarſus. 8. 11. 12. 13. 62. 63. 81. 85. 86.
Ancyloſi nexus. 221.
Necroſi adfectus. 222.
Mola Uterina. 270.
Monodontis Monocerotis dens. 312.
Monſtra Brutorum. 111. 305.
Hominis. 111. 299. ſeq.
Muliebria. 25. 57. 80. 107. 123.
Multangulum Os. 8. 11. 12. 63. 64. 86.
Multiforme Os. 76. 81. 82. 115.
cum frontis oſſe concretum. 167.
Mumia Aegyptiaca. 89. 309. 110.
Muſculus. 16. 37. 71. 99.
Brachii. 99.
Cruris. 99.
Deltoïdes. 99.
Externus mallei. 78. 79.
Fibrae, quibus componitur. 37.
Intercoſtalis. 71.
Stapedius. 78.
Tendo. 26. 37. 71. 99.
Tenſor Tympani. 78.
Myrmecophaga jubata. 210.

N.

Nares Carioſae ex lue venerea, vel aliis cauſis. 154.
Membrana mucipara. 51. 77. 100. 117.
Ovis. 88.
Vituli. 88.
Naſus. 19. 51. 100.
Arteriae. 51.
Interſtitium. 18. 26. 51. 76. 77. 115.
Oſſa. 17. 51. 76. 77. 81. 82.
Eorum abſentia. 167.
Pori. 51.
Vibriſſae. 51.
Naviculare Os. 11. 62. 63.
Naviculare Os ancyloſi cum reliquis tarſi oſſibus concretum. 221.
Necroſis Oſſis femoris. 7. 210.
Metatarſi. 222.
Tibiae. 7. 218. 219.
Nervea tunica inteſtinorum, flatu diſtenta. 74. 75.
Nervus. 38. 100. Ejus compoſitio ex faſciculis variis. 38.
Auditorius durus. 26. 78. 115.
Adhaerens ipſi durum corpuſculum. 232.
Ciliaris. 20. 53. 79. 102.
Balaenae. 21.
Bovis. 21.
Iſchiadicus. 116.
Opticus. 20. 21. 52. 53. 54. 79. 100. 101. 102.
Arteria ejus centralis. 102.
Balaenae. 21. 67. 100.
Bovis. 22.
Ovis. 101.
Vagina durae matris. 54.
Quinti paris. Tertius ramus. 78. Ramus lingualis. Ramus retrogradus, qui radix prior chordae tympani. 78. 79.
Recurrens octavi paris. Non ſemper circa tubum pulſatilem videtur debere reflecti. 273. 274.
Spinalis. 22. 100.
Nodi veri in fune umbilicali obſervati. 272.
Nuckii. (A.) Memoria. X.
Nymphae. 57. 58.

O.

Obſtructionis ſequelae quomodo a natura praecaveantur. 69.
Occipitis Os. 81. 82.
Ancyloſi cum Atlante concretum. 143. 148.
Sutura diviſum. 83. 114. 166.
Oculi Praeparata varia. 20. ſeq. 52. ſeq. 79. 100. 101. 102.
Balaenae. 20. 21. 67. 100. 101.
Bovis. 21.
Ovis. 66. 67. 101.
Vituli. 22. 66. 101.
Oeſophagus. 100. 104.
Morboſus. 65. 242—245.
Olfactus Praeparata varia. 51. 76. 77.
Olorinum Corpus teſtis. 24.
Omentum. 40. 119.
Ejus degeneratio in hernia inguinali congenita. 254.
puerpera. 268.

Opticus Nervus. 20. 21. 52. 53. 54. 79. 100. 101. 102.
Balaenae. 21. 67. 100.
Bovis. 22.
Centralis ejus arteria. 102.
Ovis. 101.
Vagina durae matris, eum amplectens. 54.
Orchotus (L.) Inaugurationi Academiae interfuit. 111.
Orbiculus Ciliaris. 20. 52. 53. 67. 100. 101. 102.
Balaenae. 21. 67. 100. 101.
Ovis. 67. 101.
Vituli. 22. 66. 101.
Oris Glandulae, labia. 50. 51. 100.
Os Tincae. 58. 107.
Ossa. Annulus ossis temporis. 16. 17. 77. 78. 81. 82.
Artuum. 99.
Atlas. 8. 61. 85.
Ancylosis ipsius. 143 — 147.
Auditus. 6. 14. 15. 16. 17. 60. 77. 78. 81. 115. 116.
Balaenae. 88.
Vituli. 17.
Brachii. 8. 10 — 13. 62. 63. 64. 81. 86. 98. 117.
Calcaneus. 11. 61.
Morbosus. 217. 221.
Capitatum. 11. 63.
Ancylosi cum aliis ossibus nexum. 228.
Carpi. 8. 11. 12. 63. 64. 86.
& metacarpi ancylosi concreta. 6. 228.
Cavernosum. 76.
Clavicula. 8. 10. 11. 12. 81. 98.
Morbosa. 127. 223.
Coccygis. 85. 98.
cum sacro concreta. 176. 177. 190. 191. 192.
Costae. 8. 9. 10. 12. 61. 62. 81. 98. 99.
Bifidae. 87. 116.
Coalitae inter se. 87. 173. 180.
Concretae cum vertebris. 6. 87. 172 — 176.
Coxa. 8. 10. 12. 61. 81. 85. 98. 99. 116.
Morbosa. 6. 87. 128. 190 — 201.
Cribriforme. 60. 76. 81. 82.
Cruris. 99.
Cubiforme. 11. 62. 85.
cum reliquis tarsi concretum. 221.
Cuneiforme. 11. 62. 63. 85.
Ancylosi cum vicinis nexum. 221.
Digitorum. 62. 63. 64. 81. 85. 86.
Ossa. Epistropheus. 8. 85.
Concretus cum atlante, aut subsequentibus vertebris. 143. 147. 148. 168. 169.
Ethmoïdes. 60. 76. 81. 82.
Femur. 8. 11. 12. 61. 81. 98.
Morbosum. 6. 7. 87. 188. 193 — 213.
Fibula. 8. 9. 11. 12. 62. 81. 86. 115.
Adfecta. 7. 87. 213 — 221.
Fissa, ut fabrica interna pateat. 13. 62. 63. 64. 86.
Frontis. 4. 6. 17. 77. 81. 82. 114. 115.
Cum multiformi concretum. 167.
Morbosum. 142.
Humeri. 8. 10. 12. 13. 62. 63. 64. 81. 98. 117.
Morbosum. 87. 222 — 226.
Hyoïdes. 12. 63. 85. 117.
Ilium. 8. 10. 12. 61. 81.
Incus. 15. 60. 77. 78. 115.
Jugale. 76. 81. 82.
Lunatum. 8. 11. 12. 63. 64. 86.
Malleus. 6. 15. 60. 77. 78. 81. 115. 116.
Vituli. 88.
Maxilla Inferior. 14. 81. 82. 83. 114.
Edentulorum. 14. 83. 167.
Morbosa. 160. 162. 187.
Superior. 14. 76. 81 — 84.
Destructio ejus. 165.
Metacarpi. 8. 11. 12. 13. 63. 64. 81. 86.
Ancylosi nexa. 5. 228.
Metatarsi. 8. 11. 12. 13. 62. 63. 81. 85. 86.
Invicem concreta. 221.
Morbosa. 125. seq.
Multangulum majus & minus. 8. 11. 12. 63. 64. 86.
Multiforme. 76. 81. 82. 115.
Concretum cum frontis osse. 167.
Nasi. 17. 51. 76. 77. 81. 82.
Horum absentia. 167.
Naviculare. 11. 62. 63.
Cum reliquis tarsi concretum. 221.
Occipitis. 81. 82.
Cum atlante concretum. 143 — 148.
Sutura divisum. 83. 114. 166.
Palati. 76. 81. 82.
Cariosum. 154.
Patella. 9. 11. 12. 62. 99. 115.
Morbosa. 7. 210. 213.
Petrosum. 16. 17. 77. 78. 81. 82. 114. 115. 116.
Planum. 76.
Pollicis cum exostosi. 87.

Offa. Pubis. 85. 99.
Morboſa. 128. 189. 191.
Nexus eorum in puerpera. 269.
Rachiticorum. 128. 129. 212. 221. 224.
Radius. 8. 11. 12. 62. 63. 81. 86. 117.
Morboſus. 6. 87. 225.
Sacrum. 60. 61. 85. 98.
Vario modo vitiatum. 6. 87. 174. 176. 177. 178. 189—192. 196. 198. 205.
Scapula. 8. 10. 12. 62. 81. 86. 98.
Morboſa. 87. 128. 222.
Seſamoïdeum. 13. 62. 86.
Spongioſum inferius & ſuperius. 51. 76. 77. 82.
Squamoſum. 14. 15. 81. 82.
Stapes. 6. 15. 60. 77. 78. 81. 115. 116.
Sternum. 8. 9. 10. 12. 61. 85. 99. 127.
Carioſum. 87. 178.
Subrotundum. 8. 11. 12. 63. 64. 86.
Talus. 8. 11. 12. 13. 56. 62. 85. 86.
Tarſi. 8. 11. 12. 13. 56. 62. 85. 86.
concreta. 218. 221.
Temporis. 14. 15. 64. 77. 78. 79. 82.
Tibia. 8. 9. 11. 12. 62. 63. 64. 81. 86. 115. 117.
Morboſa. 7. 87. 212—220.
Triquetrum. 8. 11. 12. 63. 64. 86.
Ulna. 8. 11. 12. 13. 62. 63. 81. 86. 117.
Morboſa. 8. 87. 224—227.
Unguis. 76. 81. 82.
Vertebra. 60. 61. 81. 85. 87. 98. 112. 113.
Morboſa. 6. 87. 143—148. 167—176. 188. 189.
Verticis. 81. 82.
Morbo adfecta. 7. 115. 163.
Vomer. 77. 81. 82.
Wormiana. 4. 113. 114. 115. 132. 165. 266.
Offificatio. Praeparata varia ad demonſtrandum offium ortum & incrementum. 10. 11. 12. 60. 61. 62. 63. 98. 99. 118.
Partium mollium. 242. 273.
Offificationis defectus. 114. 132. 134. 164.
Offium Arteriae. 64.
Cartilago. 64.
Emollitio, indeque natae fracturae. 127.
Fabrica. 13. 63. 64. 86.
Meduila. 13. 64.
Oſteoſteatoma. 188. 189. 223.
Ovalis Feneſtra. 78. 79. 105. 116.
Ovale Foramen. 72. 104. in adulto apertum. 241.
Ovarium. 58. 107.
Durum corpuſculum in eo inventum. 267. 275.
Hydropicum. 242. 269. Hiſtoria talis hydropis & anatomicum cadaveris examen. 270, 271.
Ovis. Amnios. 68.
Chorion. 68.
Choroïdes. 66. 67. 101.
Cornea. 66.
Cotyledon. 25. 67. 68.
Embryo. 26. 68.
Iris. 101.
Lens cryſtallina. 101.
Lien. 88.
Ligamenta ciliaria. 66.
Nares. 88.
Oculus. 66. 67. 101.
Opticus nervus. 101.
Orbiculus ciliaris. 67. 101.
Placenta. 68.
Retina. 66. 67. 101.
Sceletus. 311.
Sclerotica. 66. 67. 101.
Septum narium. 88.
Uterus. 25. 68.
Uvea. 66. 67.
Ovum Gallinae. 89.
Humanum. 58. 59. 109. 110. 310.
Inane. 270.

P.

Paaw (Petri) Memoria. v.
Paedarthrocace. 87. 218.
Palati Os. 76. 81. 82.
Carioſum ex lue venerea. 154.
Velum. 100.
Palatum. 117.
Palpebra. 55. 56. 101.
Tertia. 56.
Pampiniforme Corpus. 67. 106. 123.
Pancreas. 76. 106.
Ductus. 76.
Induratum. 259. 289.
Panniculus Adipoſus. 70.
Papillae Cutis. 30. 31. 36. 37. 48. 49. 103.
Balaenae. 102.

Papillae Linguae. 22. 49. 100.
Mammae, ejusque vaſa galactophora. 19. 48. 56. 103.
Renis. 23. 47. 48. 106.
Papionis & aliarum ſimiarum crania. 311.
Parotidis Tumor. 232.
Patella. 9. 11. 12. 62. 99. 117.
Concreta cum femore. 210. 213.
Pectoris Os. 8. 9. 10. 12. 61. 65.
Carioſum. 87. 178. Vid. Sternum.
Hydrops. Examen puerperae, hoc ex morbo defunctae. 265.
Pedes ſponte de corpore delapſi poſt ſubortum ſphacelum. 222.
Pedis Ancyloſis. 211.
Clavus. 272.
Digiti concreti. 272.
Luxatio. 217.
Muſculi, tendines, vaſa. 117.
Pelagra. Concretio ſingularis, inventa in glandula thyreoïdea hominis, qui Pelagra laboravit. 274.
Pelvis Renis. 23. 47. 76. 123.
Morboſa, aut inſolitae formae. 250. 251. 252.
Oſſea. 98. 116.
Morboſa. 128. 129. 189—192. in Scolioſi, & Claudicatione. Videantur Scolioſis & Claudicatio.
Penis. 23. 57. 80. 106. 123.
Arteriae. 80.
Balaenae. 123. 312.
Coronae glandisque involucrum. 23. 31. 57. 123.
Corpora cavernoſa. 23. 57. 80. 106. 123.
Cancroſus. 262.
Venae. 80.
Penicilli Ruiſchiani, hepatis & lienis. 47.
Penna Marina alba & rubra. 69.
Pericardium. 72.
Periglottis. 50.
Perioſtei Abſceſſus indeque nata oſſium deſtructio. 212.
Vaſa. 64. 70. 116.
Peritonaei Craſſities notabilis. 252.
Hernioſa dilatatio. 275.
Hydrops. Hiſtoria hujus morbi. 245. 247.
Sectio cadaverum. 246. 248.
Membrana, veſicam pro parte tegens. 259. 262.
Petroſum Os. 16. 17. 77. 78. 81. 82. 114. 115. 116.
Pharynx. 49. 100.
Eroſio. 243.
Phocae Pili ex barba. 88.
Pia Mater. 38. 39. 72. 99.
Arteriae & proceſſus ejus. 38. 39. 72. 99.
Pili. 19. 30—37.
Natura ejus expoſita. 32.
Prodeuntes ex abſceſſu in abdomine. 124.
Placenta Humana. 25. 59. 80. 102. 108. 109. 110. 123. 124.
Duplex. 123. 170.
Gemellorum. 123.
Hydatides ipſius. 25. 65. 111. 272.
Segmento anteriori uteri adhaerens. 266. 269.
Vaſa. 59. 108.
Ovis. 68.
Planta Pedis impleta. 48. 103.
Planum Os. 76.
Plexus Choroïdeus. 40.
Tumoribus & hydatidibus obſeſſus. 232.
Podagrae Calculus. 88. 279.
Pollex. Exoſtoſis in ejus oſſe. 87. 221.
Polypus in uteri cavo inventus. 266. 267.
Porcinus Foetus monſtroſus. 111. 305.
Pori Cutanei in auricula & naſo. 19. 51.
Praeputium. 80.
Proceſſus Coracoïdeus ſcapulae morboſus. 222.
Durae matris. 18. 19. 115.
Mammillaris. 4. 79. 114. 115.
Piae matris. 38. 39.
Styliformes longiſſimi. 114. ex tribus partibus compoſiti. 4.
Vermicularis. 45. 46. 75. 120. 121.
Proſtata admodum magna & dura in cadavere hominis, ex iſchuria mortui. 256—259. 262.
Prunarum halitus pernicioſus. 239.
Pſeudomembrana Ovi. 58. 59. 109. 110.
Pſeudopapillae Inteſtinorum Ruiſchii. 45.
Pſittaci Sceletus. 89.
Pubis Oſſa. 85. 99.
Ancyloſi concreta 190.
Morboſa. 128. 189. 191.
Nexus eorum in puerpera examinatus. 269.
Puellae Monſtroſae. 299. ſeq.
Pudendi Labia. 57.
Verrucae iis adhaerentes. 263.
Puerperae Uterus. 107. 265—270.
In partu mortuae examen anatomicum. 265.
Ruptura uteri defunctae ſectio. 267.
Pullus Gallinaceus monſtroſus. 111. 305.

Pullus Gallopavonis deformis. 111. 306.
Pulmo. 40. 72. 104. 105. 118.
Arteriae. 118.
Morboſae quoad valvulas. 234. 241.
Calculus. 279.
Nexus cum corde. 104. 105.
Venae. 118.
Pulſatio Venarum. 237. 239.
Puncta Lacrymalia. 55. 56. 101.
Punctura Veſicae methodo Flurantii. 256. 258. 285. 288. 289.
Supra pubem. 261.
Pupilla. 20. 52. 53. 103.
Balaenae. 21. 67. 100.
Bovis. 21.
Membrana pupillaris. 52. 102.
Ovis. 21.
Pylorus. 119.

R.

Rachitis. Mutationes, quas oſſa ſubeunt in hoc morbo. 128. 129. 212. 221. 224.
Radius. 8. 11. 12. 62. 63. 81. 86. 117.
Morboſus. 6. 87. 224. 225. 228.
Rauii. (J. J.) Memoria. XIV.
Methodus calculoſos ſecandi. XVIII.
Supellex Anatomica. XXV. 1 — 26.
Rectum Inteſtinum. 105. 124.
Folliculi mucoſi. 105.
Fungus. 111. 255.
Recurrentes nervi octavi paris non debent reflecti circa tubos arterioſos pulſatiles. 273. 274.
Ren. 23. 47. 48. 106. 122. 123. 235. 250. 251. 252. 280. 281. 282. 289. 290.
Abortuum & foetuum. 23.
Bruti. 23.
Calculi, in eo reperti. 87. 88. 280. 281. 282.
Cortex. 47. 106.
Fiſtulae Uriniferae. 47. 48. 106.
Hydropicus. 252.
Morboſus. 235. 250. 251. 252. 289. 290.
Monſtroſus. 250. 251.
Papillae. 23. 47. 48. 106.
Pelvis. 23. 47. 76. 123. inſolitae formae. 250. 251. 252.
Succenturiatus. 106.
Ren. Ureter. 47. 76. 106. 122. 123. admodum dilatatus. 236. 290. duplex. 122. 252. 275.
Unicus. 250.
Vaſa. 47. 106. 123. numeroſiſſima. 250.
Vaſculoſa Subſtantia. 23.
Rete Vituli. 65.
Reticulum. 29 — 35. 48. 49. 103. 104.
Aethiopis. 34. 35. 36. 103. 104.
Linguae. 50.
Retina. 20. 21. 52. 53. 54. 102.
Balaenae. 21. 67. 100. 101.
Ovis. 66. 67. 101.
Vituli. 66. 101.
Rhinocerotis Cornua. 89. 311.
Cranium. 311.
Pes. 311.
Avis roſtrum. 312.
Rictus Oris Squali Canis Carchariae. 312.
Rima & rima interna glottidis. 49. 100.
Roſtrum Squali Priſtis. 312.
Rotunda Feneſtra. 78. 79. 116.
Ruischii. Praeparata varia, a Ruiſchio confecta, in Supellectile Doevereniana memorata, ſunt ſequentia.
Partis I. N. 39. 47. 71 — 78. 105. 116. 117. 118. 119. 129. 130. 132. 136. 140. 146. 148. 149. 157. 158. 159. 174. 214. 216. 218 — 221. Partis II. N. 95. 96. 104. 125. 126. 132. 137. 138. 139. 164. 169.
Membrana oculi. 54.
Penicilli hepatis, lienis. 47.
Pſeudopapillae inteſtinorum. 45.
Rumen Bovis. 65.
Ruptura Uteri. Examen anatomicum parturientis, hac ex cauſa mortuae. 267. ſeq.
Ruſſi Caput. 90.

S.

Sacci Lacrymalis calculus. 279.
Sacro-Iſchiadica ligamenta offificata. 192.
Sacrum Os. 60. 61. 85. 98.
Ancyloſi concretum cum innominato. 6. 189 — 192. 196 — 198.
Vertebris & coccyge. 87. 174. 176. 177. 189 — 192.
Fractum. 178.

Sacrum Os Morboſum. 6. 87. 176. 177. 178. 191. 192. 205.
Sex vertebris conſtans. 176. 177. 178.
Sagittalis Sutura ad naſi officula decurrens. 4. 6. 114.
deleta vel tota vel pro parte. 4. 83. 114. 165.
Salivales Glandulae. 100. 264. 270.
Calculi in earum ductibus inventi. 279.
Salmonis Caput monſtroſum. 111. 308.
Sanguis Concretus. 65. 106. calculo contentus. 293.
Effuſus ex eroſa aörta in oeſophagum & ventriculum. 242.
Scala Cochleae. 9. 16. 17. 78. 79. 115. 116.
Scapula. 8. 10. 12. 62. 81. 86. 98.
Morboſa. 87. 128. 222.
Sceletus Arietis. 311.
Aſini. 311.
Balaenae Phyſali. 311.
Bovis Tauri 311.
Canis. 89. 311.
Familiaris. 311.
Moloſſi. 311.
Cercopitheci. 89.
Embryonis. 60. 310.
Equi Aſini. 311.
Caballi. 311.
Felis. 3. 89. 306.
Bicipitis. 89. 306.
Bicorporei. 89. 306.
Folii arboris. 90.
Fructus Alkekengi. 69.
Daturae. 69.
Hominis, junioris & adulti. 3. 7. 8. 81. 90. 112. 113. 310.
Infantis nuper nati. 80.
Lupi. 311.
Ovis arietis. 311.
Pſittaci. 89.
Rachitici. 128.
Serpentis. 311.
Simiae Capucinae. 311.
Caudatae. 3. 89.
Suis Scrofae. 311.
Vituli bicipitis. 111. 306.
Schneideriana Membrana. 51. 100. 117.
Scirrhus Uteri. 111. 264. ſeq.
Cerebelli. 111. 232.
Hepatis. 111. 249.
Sclerotica. 20. 52. 53. 54. 79. 101. 102.
Sclerotica. Balaenae. 20. 67. 100.
Bovis. 21.
Ovis. 66. 67. 101.
Vituli. 22. 66.
Scolioſis. Coſtarum, vertebrarum, ſterni, pelvis offium, degenerationes hoc in morbo. 167. 168. 169—175. 181—188.
Scrotum. 79. 106.
Septum ejus nullum datur. XVIII.
Scuta Teſtudinum variarum. 312.
Scutiformis Cartilago. 12. 49. 63. 104.
Secundinae Humanae. 25. 80. 102. 108. 109. 110. 123. 124.
Gemellorum. 123.
Hydatides. 25. 65. 111. 272.
Semicircularis Canalis. 9. 16. 17. 78. 79. 115. 116.
Seminalis Veſicula. 80. 123.
Erinacei. 107.
Septum Narium. 18. 26. 51. 76. 77. 115.
Ovis. 88.
Vituli. 88.
Serpentis Sceletus 311.
Seſamoïdeum Os. 13. 62. 86.
Enaſci incipiens in tendine peronei longi. 37.
Simiae Capucinae ſceletus. 311.
Caudatae ſceletus. 3. 89.
caput. 89. 311.
Sinus Durae matris. 18. 99. 115.
Frontales. 4. 17. 77. 114. 115.
Maxillares. 17. 18. 76. 115. Vid. Antrum Highmori.
Sphaenoïdales. 4. 18. 76. 77. 115. 167.
Spasmus oris extirpationem teſticuli inſequens. 262.
Sphacelus artuum inferiorum, eumque inſequuta offium fractura. 222.
Sphaenoïdales Sinus. 4. 18. 76. 77. 115. 167.
Spina Dorſi embryonis. 60. 61. 98.
Bifida. 110. 235. 304.
Incurva. 129. 167. 168.
Ventoſa. 6. 67. 111. 200. 211. 212. 273.
Spinalis Medulla adulti & junioris. 22. 99. 100.
Arteriae ejus. 22.
Habitus ejus in ſpina bifida. 235.
Spinalium Nervorum ortus. 22. 100.
Spongioſa Oſſa. 51. 76. 77. 80.
Superius in inſignem magnitudinem extenſum. 162.
Squalus Carcharias. 310.
Rictus oris. 312.

Squalus Priſtis. 310.
Roſtrum. 312.
Squamoſa Fractura. 206. 210.
Squamoſum Os. 14. 15. 81. 82.
Stapedius. 78.
Stapes. 6. 15. 60. 77. 78. 81. 115. 116.
Steatoma Aörtae. 64. 242.
Hepatis. 249.
Meſenterii. 274.
Strumae. Cauſam cariëi cranii dederunt, ut videtur. 160.
Sternum cum cartilaginibus coſtarum, impletis vaſis. 71.
Carioſum. 87. 178.
Degeneratum in Scolioſi. Vid. Scolioſis.
Oſſe uno conſtans. 127. 178. 179.
Pluribus officulis compoſitum. 8. 9. 10. 12. 61. 65. 99. 118.
Styliformes Proceſſus oſſium temporum, ex tribus partibus compoſiti. 4. longiſſimi. 114.
Subclaviae Arteriae. 118.
inſolito modo ex aörta enaſcentes. 243. 273.
Venae. 71. 118. 120.
ductus thoracici inſertio in ſiniſtram. 71. 118. 120.
dextram. 243.
Subcutaneae Cranii arteriae. 69. 70.
Subrotundum Os. 8. 11. 12. 63. 64. 86.
Subſtantia, quae inter corpora vertebrarum datur, in os mutata. 171.
Succenturiatus Ren. 106.
Sueci Caput. 90.
Suis Barbyruſſae caput. 312.
Scrofae. Caput. 312.
Sceletus. 311.
Supellex Anatomica Albini. 27.
Doevereni. 98.
Rauii. 1.
Suppreſſio Urinae. 256 — 262. 295.
Juncta cum involuntario ejus ſtillicidio. 256.
Vid. Iſchuria.
Sutura. Coronalis. 159.
Deleta. 4. 83. 114. 135. 159. 164. 165.
Duplex. 165. 166.
Lambdiformis. 114. 165.
Sagittalis. 4. 6. 83.
per os frontis ſe extendens. 4. 6. 114.
Occipitis os dividens. 83. 166.
Sutura. Progreſſum fracturarum non impedit. 150. 151.
Wormiana officula, in futuris obvia. 4. 113. 114. 115. 132. 165. 166.

T.

Tactus Organon. 30. 48.
Talpa Europaea alba. 310.
Talus. 8. 11. 12. 13. 56. 62. 85. 86.
Ancyloſi concretus cum fibula. 217. 218. reliquis oſſibus tarſi. 217. 218. 221.
tibia. 213. 217.
Luxatus. 217.
Tarſus. 8. 11. 12. 13. 56. 62. 85. 86.
Concreta officula tarſi. 218. 221.
Tartari Caput. 90.
Taton Embryo. 68.
Temporum Oſſa. 14. 15. 64. 77. 78. 79. 82.
Praeparata ad demonſtrandam aurem internam. 9. 14 — 17. 26. 52. 77. 115. 116.
Tendo. 26. 37. 71. 99.
Fibrae, earumque ortus. 26. 37. 99.
Vaſa. 37.
Tenſor Membranae tympani. 78.
Tenue Inteſtinum. Vid. Inteſtinum.
Teſtis. Albuginea. 56. 57. 67. 106. 107. 123.
Arietinus. 24. 25.
Corpus olorinum. 24.
Epididymis. 23. 24. 25. 67. 80. 106. 123.
Extirpatio. 262.
Morboſus. 111. 162. 263.
Pulpa. 24. 56. 57. 80. 123.
Situs in foetu morboſo. 235.
hernia inguinali congenita. 254.
Tunicae. 23. 24. 50. 57. 67. 106. 123.
Vaginalis membrana. 123.
Aqua expanſa. 275.
Vas deferens. 23. 24. 67. 80. 106. 107. 123.
Vaſa ſanguifera. 23. 24. 25. 56. 57. 67. 107.
ſeminifera. 24. 107.
Vituli. 25. 67.
Teſtudinum Variarum ſcuta. 312.
Theatrum Anatomicum, quando erectum. v. quo tempore renovatum. XIII. XIV.

Thoracicus Ductus IX. 71. 88. 118. 120. 243.
Valvula ad ejus finem. 71. 120.
Venae ſubclaviae dextrae inſertus. 243.
Thoracis Cavitas difformis. 128. in Scolioſi 167—188.
Latus. 71. 118.
Hydrops. 265. 266.
Viſcera. 118.
Thoracum Balaenariorum noxae. 265.
Thorax Oſſeus. 85.
Thymus Glandula. 33.
In adulto homine admodum magna. 244.
Thyreoïdea Cartilago. 12. 49. 63. 104.
Oſſea. 87. 104. 274.
Glandula morboſa. 243. 244. 274.
Tibia. 8. 9. 11. 12. 62. 63. 64. 81. 86. 115. 117.
Ancyloſi concreta cum femore. 212. 213.
fibula. 214. 215. 216. 217.
talo. 213.
Exoſtoſis. 218.
Fracta. 7. 213—217. 222.
Morboſa. 7. 212—222.
Necroſi adfecta. 7. 218. 219. 221.
Rachitide vitiata. 221.
Squamis ſpinisque obſeſſa. 219. 220.
Tincae Os. 58. 107.
Tinea, cariëi, ut videtur, in cranio cauſa. 155.
Tigridis Cranium. 311.
Tonſilla Glandula. 49. 100.
Trichechi Manati manus. 311.
Trichiaſis Species. 55.
Triquetrum Os. 8 11. 12. 63. 64. 86.
Truncus Integer ſceleti. 116.
inſigniter vitiatus. 127.
Tuba Euſtachii. 78. 117.
Fallopii. 58. 107.
impervia. 267.
Tumor Aörtae adhaerens. 62.
Capiti foetus octimeſtris adnexus. 110. 303.
Fibulae capitis. 221.
Humeri. 223.
In Hydrope peritonaei. 246.
Omento adhaerens. 268.
Parotidis glandulae. 232.
Teſticuli duriſſimus, cartilagineus. 262. 263.
Uteri cavum adimplens. 267.
Utero adnexus, variae in variis naturae. 264. ſeq. 270. 271.
Tumor Veſicae cavo contentus. 263.
Collo adhaerens. 285.
Tunicae Arteriarum. 37. 38. 99.
Inteſtini. 41—46. 72. 73. 89.
Teſtis. 23. 24. 56. 57. 67. 106. 123.
Arietis. 24.
Vituli. 67.
Ventriculi. 41. 105.
Tympanum. 6. 16. 78. 79. 83. 115. 116.
Chorda. 78. 79.
Membrana. 6. 15. 77. 78. 83. 115. 116. 117.
Tenſor. 78.
Vituli. 88.

U.

Ulcus Aörtae. 242.
Cutis. 64. 272.
Inteſtini. 249. 250.
Oeſophagi. 243. 244. 245.
Ulna. 8. 11. 12. 13. 62. 63. 81. 86. 117.
Morboſa. 8. 87. 224. 225. 226. 227.
Umbilicalis Arteria & vena. 25. 59. 76. 107. 117. 123. 124. arteria unica. 235.
Funis. 25. 60. 80. 107. 109. 110. 123. 124. 271. 272.
Nodis conſtrictus. 172.
Hernia congenita. 59. 108. 109. 234. 235. 302. 303.
Unguis. 19. 29—36. 49. 104.
Natura ipſius expoſita. 31. 32.
Os. 76. 81. 82.
Urachus. 76. 236.
Ureter. 47. 76. 106. 122.
Admodum dilatatus. 236. 290.
Duplex. 122. 252. 275.
Urethrae Bulbus. 80. 123.
Calculus. 289. 294. 295.
Cavernoſum corpus. 123.
Urinae Suppreſſio. 256—262. 287. 288. 289. 295.
& involuntarium ſtillicidium. 256.
Vid. Iſchuria.
Urinifera Fiſtula. 47. 48. 106.
Uropoïeticum Syſtema totum. 122. 123.
Urſi Arcti cranium. 311.
Melis caput. 311.
Uterus. Adultae, quae pepererat. 58. 210.

Uterus. Caeſarea ſectione apertus. 111.
Corpus globoſum durum continens. 275.
Decidua Hunteri membrana. 59. 109.
Disruptus in partu. 111. 267.
Fungoſa membrana. 58. 59. 90. 109. 110.
Gangraena adfectus in puerpera. 269.
Humanus gravidus. 58. 107. 111. 210. 270. 271.
Ligamenta lata. 267. Supernumerarium. ib.
rotunda. 58.
Orificio carens. 263.
Oblique ſitus. 267.
Ovis gravidae. 25. 68.
Puerperae. 107. 265—270.
Scirrhoſus. 111. 264. ſeq.
Tumoribus obſeſſus. 264. 265. 270. 271.
Vaccae gravidae. 26.
Vaſa. 25.
Polypo oppletus. 266. 267.
Uvea. 20. 53. 54. 102.
Arteriae. 102.
Balaenae. 21. 67. 100. 101.
Bovis. 21. 22.
Ovis. 66. 67.
Vituli. 66. 101.

V.

Vaccae Gravidae uterus. 26.
Vagi Nervi recurrens ramus an debeat reflecti circa tubum arterioſum pulſatilem? 274.
Vagina. 58. 107.
Durae matris, nervum opticum amplectens. 54.
Vaginalis Hernia, inteſtinum continens. 252.
Vaginalis Tunica teſtis. 123.
Aqua expanſa. 275.
Vituli. 67.
Valkenburg (A. van) Memoria. VII.
Valvulae Arteriae pulmonalis tantum duae. 234. 241.
Coli. 46. 75. 120. 121.
Cordis. 40. 104.
Euſtachii. 118.
Inteſtinorum. 22. 41. 42. 43. 72. 75. 105. 119.
Vaginae, ut nonnullis dicuntur. 58.
Vaſa Cerebri, corticis & medullae. 40.
Choroïdeae membranae. 20. 30. 33. 52. 53. ſeq. 101. 102.
in bove. 21. 22.
Chylifera. 71. 76. 88. 105. 243. 310.
Cordis. 104. 118.
Deferentia. 23. 24. 67. 80. 106. 107. 123.
Arietis. 24.
Vituli. 25. 67.
Galactophora mammae. 19. 56.
Intercoſtalia. 71.
Inteſtinorum. 22. 23. 41. 42. 43. 65. 72. 73. 74. 105. 119.
Lactea. 71. 76. 88. 105. 243. 310.
Lentis cryſtallinae. 55.
Vituli. 67.
Lienis. 47.
Linguae & papillae. 22. 49. 90. 100.
Lymphatica. Vid. Lactea.
Mammaria. 71. 118.
Oculi. 20. 52. 100. 101. 102.
Penis. 80.
Perioſtei. 64. 70. 116.
Placentae. 59. 108.
Renis. 47. 106. 123. Numeroſiſſima. 250.
Sanguinea praecipua, in ſceleto infantis praeparata. 113.
Spermatica. 23. 24. 25. 56. 57.
Tendinis. 37.
Umbilicalia. 25. 59. 107. 117. 123. 124.
Uteri. 25.
Ventriculi. 72. 105.
Veſicae. 76.
Vorticoſa choroïdeae membranae. 52. 53. 102.
Velum Palatinum. 100.
Vena Azygos. 117. 118.
Cava inferior. 71. Syſtema ejus totum. 123.
ſuperior. 118.
Gaſtroëpiploïcae. 40.
Inteſtinorum. 23. 41—44. 65. 73. 74. 119.
Jugularis. 71. 118.
Lienis. 47.
Oculi. 52.
Pampiniformes. 67. 106. 123.
Penis. 80.
Pulmonis. 118.
Subclaviae. 71. 118. 120.
Subcutaneae. 71.

Venae Teſtium. 57. 67. 107.
Venarum Pulſatio. 237. 239.
Venereae Luis in oſſibus obſervati effectus. 7. 152. ſeq. 159. 160. 231. 232.
Venoſus Canalis. 76.
Ventriculus. 40. 41. 72. 105. 119.
Anſeris. 105.
Male conformatus. 235.
Orificium ſuperius morboſum. 245.
Tunicae. 41. 105.
Vaſa. 72. 105.
Cordis. 40. 72. 104.
Laryngis. 49. 104.
Vermiculare Inteſtinum. 45. 46. 75. 120. 121.
Vermis Humanus teres. 105.
Verrucae, genitalibus mulieris adhaerentes. 263.
Vertebra. Ancyloſi concreta cum capite. 143—148.
coſtis. 6. 87. 172—176.
ſacro. 87. 174. 176. 189. 190. 191. 192.
vertebris vicinis. 6. 87. 147. 167—176.
Balaenae. 312.
Carioſa. 169. 175. 176.
Colli. 60. 61. 81. 85. 98.
Degenerata in Cyphoſi. 175. 188.
Lordoſi. 189.
Scolioſi. 167—172.
Dorſi. 60. 61. 87. 98. tredecim. 112. 113.
Lumborum. 60. 61. 85. 87. quatuor. 112. 113.
Supernumeraria. 112. 113.
Verticis Os. 81. 82.
Exoſtoſis, ex eo enata. 7. 115. 163.
Veſica. 48. 76. 117. 123. 124.
Calculi in ea inventi. 87. 88. 124. 256. 262. 282—296.
Calculorum minimis fragmentis obſeſſa. 256. 257. 290.
Morboſa. 236. 256. 257. 259. 262. 263. 275. 284. 285. 290. 295.
Punctura. Methodo Flurantii. 256. 258. 285. 288. 289.
Supra pubem. 261.
Sacculi, calculos continentes. 284. 287.
Tumor cavo ejus contentus. 263.
collo adhaerens. 285.
Veſicae Vaſa. 76.
Veſicula Fellis. 76. 120.
Calculus. 87. 124. 279. 280.
Seminalis. 80. 123.
Erinacei. 107.
Singularis in ovis humanis ſubinde obvia. 59. 109.
Veſtibulum Auris internae. 78. 79. 115.
Vibriſſae, ſeu pili, naribus inhaerentes. 51.
Villi Inteſtinorum. 22. 23. 41. 42. 43. 47. 59. 65. 66. 74. 105.
Virginal Adultae. 58.
Embryonis. 57.
Virilia. 23. 56. 79. 106. 123.
Viſcera. 38. 72. 104. 118.
Conditio eorundem poſt lapſum in caput. 151.
Viſus. 20. 52. 79.
Vitreus Humor oculi. 20. 55.
Balaenae. 21. 67. 101.
Ovis. 101.
Vituli. 67. 101.
Vituli. Bicipitis ſceletus. 111. 306.
Choroïdes. 22. 66. 101.
Ciliaris orbiculus. 101.
Cornea. 22.
Dens. 89.
Epididymis. 25. 67.
Humor vitreus. 67. 101.
Inteſtina, eorumque villi. 23. 65. 66. 88.
Iris. 22. 101.
Lens cryſtallina. 67. 101.
Ligamenta ciliaria. 22. 66. 101.
Malleus. 88.
Membrana tympani. 88.
Nares. 88.
Oculus. 22. 66. 101.
Orbiculus ciliaris. 22. 66. 101.
Pupilla. 101.
Rete mirabile. 65.
Retina. 66. 101.
Sclerotica. 22. 66.
Septum naſi. 88.
Teſtis. 67.
Uvea. 66. 101.
Vaginalis. 67.
Vas deferens. 25. 67.
Vomer. 77. 81. 82.

Vulnus Cordis. 104.
Cranii. 151.
Vulpis Cranium. 311.

Wilhem (D. le Leu de) Mumias Theatro dono dedit. xiii. 309.
Wormiana Officula in locis variis. 4. 113. 114. 115. 132. 165. 166.

W.

Wandelarii in delineando & in aes incidendo dexteritas & peritia. xxviii.

X.

Xiphiae Gladii cranium. 312.

FINIS.

Huic volumini addantur Tabulae novem, exhibentes

Crania

Kalmukki, Tartari, Aethiopis, Ruffi, Sueci, Angli, Galli, Itali, Hanoveranae Feminae.



CRANIUM KALMUKKI.



CRANIUM TARTARI.





CRANIUM AETHIOPIS.



CRANIUM RUSSI.





CRANIUM SUECI.





CRANIUM ANGLI.



CRANIUM GALLI.



CRANIUM ITALI.



CRANIUM FEMINAE HANOVERANAE.

Rijksmuseum voor Volkenkunde Postbus 9517 2300 RA Leiden Nederland
BIBLIOTHEEK
N N N
7 7496 00037640 8

MVSEVM

ANATOMICVM.

VOLVMEN SECVNDVM.

MVSEVM
ANATOMICVM
ACADEMIAE
LVGDVNO-BATAVAE

DESCRIPTVM

AB

EDVARDO SANDIFORT.

VOLVMEN SECVNDVM

LVGDVNI BATAVORVM

APVD S. ET J. LVCHTMANS

ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.

MDCCXCIII.

TABULAE
ANATOMICO
PATHOLOGICAE.

TABULAE
ANATOMICO
PATHOLOGICAE.

Optimum & laudabile fuit Anatomicorum inſtitutum, quo partes corporis, accurate deſcriptas, ſimul etiam ad vivum in charta adumbrandas curaverunt. Ita enim, quidquid in deſcriptione vel planiſſima, obſcuritatis occurrit, adpoſita figura clarius reddit, & ante oculos quaſi ponit. Hoc ſummi Albini adſertum, veritati cum maxime conſentaneum, attendens, ampliſſimum, quod in me ſuſceperam, opus tanto utilius redditurum me cenſui, quanto pluribus figuris praeparata Pathologica illuſtrarem: ut enim, cum omni tempore inciſum corpus praeſens habere & inſpicere non licet ei, cui naturalis partium fabrica eſt addiſcenda, defectum hunc accuratae icones ſupplent, quae olim viſa in memoriam vivide revocant; ſic morboſae adfectiones, & a naturali via aberrationes, quamvis ſollicita cura deſcriptae, vix unquam rite cognoſci poſſunt, niſi icones addantur, & ſuppleant, quae verbis exprimi facile nequeunt. Agnoſco cum venerando Praeceptore, ingentis molis ac difficultatis eſſe, ſimplicem bonam exhibere figuram, & ipſe expertus ſum, quantum laboris & taedii devorandum ſit, ut delineatio accurata, integra, nitidiſſima ſit, ſed ut Ille, ſuperatis difficultatibus omnibus, Anatomicas tabulas, quas mirati ſunt in arte periti, quas emendare, imo imitare, vix ullus potuit, ſic videor mihi, in difficilioribus hiſce, ut pote a naturali forma abludentibus, non omni caruiſſe ſucceſſu.

Delineatorem elegi Abrahamum Delfos, a Wandelaario, quem quanti faceret Albinus ex vita ſummi Viri abunde conſtat, in arte delineandi, ut alia, ſic & Anatomica, inſtructum, atque in arte caelandi etiam verſatiſſimum. Hic, poſtquam prius intellexerat, quid eſſet exprimendum, omnes figuras accuratiſſime delineavit. Hic chalcographos, R. Muys Roterodamenſem, & P. de Mare Leidenſem, qui ambo omnes tabulas feliciter in aes inciderunt, ita direxit, ut vix quicquam hac in re deſiderari poſſe videatur, & icones omnes ita paratae ſint, ut ex iis aeque facile deſcriptae partes intelligi queant, ac ſi eaedem eſſent ad manum; praecipue quia, dum fieri vix poſſit, ut picturae plene opera naturae exprimant, ſi unam tantum cor-

corporis ſuperficiem repraeſentant, partium a vario latere viſas facies tot figuris exhibui, quot cenſui eſſe neceſſarias, & praeterea plurimorum praeparatorum juſtam magnitudinem obſervavi, quod tamen in omnibus non licuit, in quorum figuris adeo menſurae, exacte in deſcriptionibus memoratae, non convenire poſſunt.

Ordinem in tabulis ſequentem ſervavi. Quinque prioribus totius ſceleti adfectum, emollitioni ut videtur adſcribendum, delineavi; a capite porro orſus ad truncum artusque progreſſus ſum. Oſſibus partes molles, calculos, monſtra, ſubjunxi. Si forte plura ejusdem mali exempla depinxi, ea, quantum licuit, conjunxi, &, ſi illud ſenſim alias aliasque degenerationes excitat, eas a primo initio ad plenum incrementum ſequi conatus ſum.

Poſſunt aliae figurae facilius, aliae difficilius, intelligi; prioribus paucae vel nullae, poſterioribus multae litterae adſcriptae ſunt. Has omnes in expoſitione, primo hujus libri volumine data, non repetii, contentus, monuiſſe, qua tabula, qua figura, deſcriptum praeparatum delineetur; ſed credidi, ſufficere, ſi quis, hoc vel illud cognoſcere geſtiens, lecta deſcriptione, ſuo loco data, quem etiam in Tabularum explicatione ubique citavi, eam, qua delineatur, inſpiciat, conſulatque adnexam expoſitionem, & hoc pacto vel tale praeparatum facile cognoſcet, votoque ſuo ſatisfaciet, vel, omnia examinando ingentem morborum numerum intelliget, quorum cognitio ipſum ſine talibus adminiculis forte latuiſſet ſemper.

Etenim pauci adhuc huic artis noſtrae parti operam navarunt, &, etiamſi utilitatem Anatomes Pathologicae, ſatis ſuperque a Bonneto, Valſalva, Morgagnio, Lieutaud, aliisque probatam, agnoſcant hodie omnes, ac ſuas, quas dederunt, morborum hiſtorias ſectionibus cadaverum illuſtraverint, non ita multi deſcriptarum rerum idoneas icones parari curarunt.

Exſtant tamen nonnullae, eaeque utiliſſimae, hujus generis tabulae. Habent Ruiſchius in operibus, Trioen in Obſervationum faſciculo, figuras nonnullas, merito huc referendas. Inveniuntur in diverſarum Academiarum Actis picturae morboſarum partium, quae prorſus exactae dici debent. Multas dedit Cheſeldenus in ſplendida Oſteographia icones oſſium morboſorum, jure laudatas. Ex collectione etiam Ludwigii in Diſſertationibus, a diſcipulis digniſſimi viri defenſis, aut in programmatibus ab ipſo editis, depicta diverſa oſſa ſunt, vario ſenſu adfecta, aliaque praeparata pathologica, quae in Adverſariis medico practicis ſunt recuſa. Aſt prae omnibus, quas memorare poſſem, nominandae mihi ſunt Tabulae oſſium morboſorum, praecipue Theſauri Hoviani, quas in lucem emiſit Vir Clariſſimus & Amiciſſimus A. Bonn, illuſtris Athenaei Amſtelaedamenſis verum ornamentum, variis ſcriptis celebris, cui etiam deſcriptionem modo nominati Theſauri debemus. Ejus generis illae Tabulae ſunt, ut mecum omnes continuationem egregii operis non tantum exoptent, ſed etiam efflagitent. Tum demum enim Anatome Pathologica exoptandos faciet progreſſus, ſperatamque utilitatem producet, quando omnes, quibus praeparatorum hujus generis collectio eſt, vires ſuas conjungant, inceptum opus ulterius erigant, demumque abſolvere conentur.

TABULARUM EXPLICATIO.

TABULAE I. II. III.

Deſcriptum Sectionis Quartae N. I. Vol. I. pag. 127. truncum feminae, vario ſenſu difformem, ex emollitione oſſium, ut videtur, tribus hiſce tabulis delineandum curavi, quartâ vero ſuperiorem ac poſteriorem trunci faciem, pelvimque ob oculos poſui. Tabula itaque Prima ſiſtit truncum hunc ab anteriore, exhibetque clavicularum, coſtarum, oſſium pubis, fracturas, innominatorum inſolitam figuram, coccygis verſus interiora curvamen, ſternum ex uno oſſe compoſitum, aliaque, in citata expoſitione latius memorata. Tabulâ ſecundâ idem truncus a latere dextro, tertiâ a latere ſiniſtro, delineatur.

TABULAE IV.

Fig. 1.

Ejusdem trunci, qui Tab. I. II. III. exhibetur, pars poſterior ac ſuperior, ut ſcapularum, maxime extenuatarum, ſeſe ad difformes coſtas accommodantium, clavicularum, praecipue dextrae, fractura, & praeternaturalis forma, conſpiciantur.

Fig. 2.

Ejusdem trunci pelvis a ſuperiore exhibita. Oſſa innominata, ab interiore multum excavata, fracturas exhibent, ab inciſuris ſacro-iſchiadicis ſurſum retrorſumque tendentes, adeo ut illae horum oſſium partes, quae ultra os ſacrum prominent, huic quaſi ſint appreſſae, & in eadem linea cum proceſſibus ſpinoſis vertebrarum lumborum inveniantur. Oſſium pubis rami ſuperiores, qui in os iſchium tendunt, non longe ab acetabulo fracturam paſſi ſunt, & hac de cauſa multum introrſum ſunt preſſi. Figura orae ſuperioris pelvis hinc admodum irregularis eſt, & interrupta, praecipue cum pars ſuperior oſſis ſacri cum ultima lumborum vertebra multum antrorſum prominet, ſic ut diſtantia inter os ilium dextrum & ſacrum circiter ſesquipollicis ſit, in latere ſiniſtro paulo major; diſtantia inter nexum ultimae lumborum vertebrae cum ſacro & illam orae pelvis partem, quae eſt ſupra marginem anteriorem acetabuli, pollicis unius in dextro, ferme ſesquipollicis in ſiniſtro; & nexus oſſium pubis a nexu ſacri cum ultima lumborum vertebra duos pollices & dimidium diſtet.

Fig. 3.

Eadem pelvis a parte inferiore. Os ſacrum ea parte, cui a lateribus adhaerent ligamenta ſacro-iſchiadica, ita antrorſum preſſum eſt, ut apex ipſius introrſum reflexus ſit, & cum eo nexa coccyx multum intra pelvim adſcendat, ſic ut inter ipſam & anteriorem oſſis ſacri ſuperficiem, ubi prima ipſius foramina ſunt, ſesquipollicis tantum diſtantia detur. Oſſa ilia ab exteriore rotundula fracturarum, olim praeſentium, veſtigia monſtrant. Tubera oſſium iſchiorum ſunt magis verſus exteriora incurvata. Rami, ab his ad oſſa pubis tendentes, non longe a tuberibus, fractura, in cadavere adhuc mobili, laborant, &, ubi ad corpora oſſium pubis appropinquant, ſimilis adeſt, ſic ut primum ad ſe invicem accedant, & ſpatium intermedium vix pollicare relinquant, dein verſus exteriora promineant, rotundulum cum oſſibus pubis marginem forment, quae omnia in Tab. I., ubi pelvis ab anteriore conſpicitur, melius apparent.

TABULAE V.

Qualem mutationem oſſa, rachitide laborantia, ſubeant, unica hac Tabula oſtendere, viſum fuit, eâque tum dextri tum ſiniſtri lateris artuum inferiorum Sceleti, Sectionis quartae N. III. pag. 129. deſcripti, oſſa omnia; ſuperiorum vero cubiti oſſa, & his nexas partes inferiores oſſium humerorum, delineare.

TABULAE VI.

Hac & ſequentibus tabulis Cranii ex hydrocephalo in infantibus atque adultis mutationes exhibiturus, incipio a cranio, quod non admodum notabilem aquae quantitatem continuit, ac eapropter tantummodo incipiebat diſtendi.

Fig. 1.

Cranium infantis, neonati, hydrocephalo laborantis, ab anteriore. Partes duae, quibus in foetu os frontis ſemper conſtat, ad ſesquipollicem ſupra naſum penitus cohaerent, inde ad fontanellam parum a ſe invicem recedunt. Dimotae eaedem partes ſunt ab illis oris oſſium verticis, quae in adultis ad formandam ſuturam coronalem concurrunt. Receſſerunt ab invicem etiam oſſa verticis, ut ex Fig. 3. melius apparet. Partes, quae faciem conſtituunt, inſigniter a ſe invicem ſunt remotae. Notabilis diſtantia eſt inter radices proceſſuum zygomaticorum; maxillae hinc inferioris condyli magis diſtant. Oſſa jugalia, & cum his nexa maxillaria ſuperiora, majorem latitudinem habent. Lamellae oſſis frontis, quae partes ſuperiores orbitarum formant, oculorumque cava a conceptaculo cerebri diſtinguunt, admodum deſcendunt, ſic ut capacitates, quas oculi occupant, multum imminuant; ſuntque praeterea tenuiſſimae. Foramina oculorum inſolitam formam habent ex eo, quod facies latior exiſtit.

Fig. 2.

Fig. 2.

Idem cranium a latere ſiniſtro. Magnitudo oſſis verticis; diſtantiae inter illud, frontis, multiformis, temporis, occipitis, oſſa; membranae, omnibus his in locis inveniendae, egregie apparent.

Fig. 3.

Idem cranium a parte poſteriore exhibitum. Inter oſſa verticis & occipitis amplisſima pars membranacea eſt, & per eandem partes oſſeae radiorum inſtar ſeſe diſtribuunt.
De hoc cranio vide Sect. IV. N. IV. pag. 129. ſeq.

Fig. 4.

Portio dextra oſſis frontis pueri ex hydrocephalo mortui; ut & magnitudo oſſis pateat, & praecipue conſtet, qualem mutationem ſubierit lamella oſſis, quae ad partem ſuperiorem cavi oculi pertinet; haec enim non introrſum tendit, ſed in recta linea ferme procurrit.

Fig. 5.

Eadem pars oſſis frontis, ab interiore delineata.
Conf. Sect. IV. N. XI. pag. 133.

Fig. 6.

Portio ſiniſtra oſſis frontis infantis neonati, duobus notabilibus foraminibus patens. Lamella, quae cavi oculi partem ſuperiorem facit, ferme tota deëſt.

Fig. 7.

Portio dextra oſſis frontis ejusdem infantis, ſic exhibita, ut non tantum duo foramina in parte ſuperiore cernantur, ſed etiam duo majora, totidemque minora, in parte oſſea, quae orbitae ſuperiora format.
Vide Sectionis IV. N. XIII. pag. 134.

TABULAE VII.

Cranium admodum notabile infantis, hydrocephalo laborantis, difficili partu in lucem emiſſi, quod, paratis ferme omnibus tabulis, accepi a dexterrimo Obſtetricante Soek, quemadmodum Sectionis IV. N. V. pag. 131. dictum, ubi caſus hujus pleniorem deſcriptionem dedi.

Fig. 1.

Cranium a ſuperiore. Cernitur latitudo membranae, quae oſſa frontis verticisque nectit. Separatum oſſiculum, ſesquipollicem longum, & circiter ejusdem latitudinis in

in hac membrana adeſt. Sub hoc oſſiculo decurrit ſinus longitudinalis, juxta ſuperiorem proceſſus falciformis partem ſeſe extendens. Dextra conceptaculi cerebri pars multo major, quam ſiniſtra, & haec retrorſum ſeſe multum extendens in rotundulum finem terminatur.

Fig. 2.

Idem cranium a parte poſteriore. Diſtantia magna inter oſſa verticis; irregularia horum oſſium latera poſteriora; oſſiculum, in figura prima totum depictum; aliud inter os occipitis & verticis ſiniſtrum; innumera oſſificationis principia praeſertim a latere oſſis verticis ſiniſtri, hac icone ob oculos ponuntur.

Fig. 3.

Cranium idem ab inferiore, ut irregularis forma capitis, magnitudo & forma partis ſuperioris oſſis occipitis, oſſiculum ſeparatum inter os verticis ſiniſtrum & vicinam oſſis occipitis partem; nonnulla oſſificationis principia pateſcant. Partes, quae a latere foraminis magni, & ante illud dantur, non exacte hoc in ſitu depingi potuerunt, & ad has, utpote non mutatas, non adeo fuit attendendum.

TABULAE VIII.

Fig. 1.

Cranium feminae junioris, hydrocephalo laborantis, ſolito longius, ſuperiore in parte parum compreſſum, ſagittali ſutura deſtitutum, a latere quaſi tuberculatum, ob prominentes maxime ſquamoſas oſſium temporum partes; a latere ſiniſtro exhibitum.

Fig. 2.

Idem cranium, ab anteriore viſum. Partium lateralium inſolita prominentia hoc pacto melius in oculos incurrit.

Conf. Sect. IV. N. XV. pag. 134.

TABULAE IX.

Fig. 1.

Cranium idem, quod Tabula praecedenti ſiſtitur, a parte poſteriore exhibitum. Sagittalis ſutura deëſt. Lambdiformis inſolito modo decurrit.

Fig. 2.

Cranium idem a parte ſuperiore viſum. Oſſa verticis inter ſe confluxerunt, & non niſi parva admodum pars ſuturae ſagittalis adeſt.

Fig. 3.

Fig. 3.

Idem Cranium facta horizontali ſectione, ab interiore & inferiore parte.

a. b. c. c. d. d. Craſſities hujus Cranii: a. in fronte; b. in occipite; c. c. in temporibus; ubi partes ſquamoſae oſſium temporum dantur; d. d. in partibus lateralibus & poſterioribus, ubi oſſa verticis ſeſe inter os occipitis, & partes ſquamoſas & petroſas, interſerunt.

e. e. Lamellae oſſis frontis, quae conceptaculum cerebri a foraminibus oculorum diſtinguunt.

f. f. Locus, ubi hae lamellae cum intermedio oſſe cribriformi cohaerent, multum depreſſus. Inde illae verſus latera adſurgunt, multas inaequalitates acutiusculas, multas depreſſiones, varia foramina habent, quae in foramina oculorum penetrant.

g. g. Os cribriforme inſignis latitudinis, praeſertim a parte poſteriore, ubi cum baſi & vicino proceſſu priore oſſis multiformis cohaeret.

h. Criſta galli.

i. Foramen coecum, inter dictam criſtam galli, & aliam k. ex media interna parte oſſis frontis adſurgentem.

l. Pars prior baſeos oſſis multiformis, cum oſſe cribriformi nexa.

m. Pars poſterior ejusdem baſeos, cum oſſe occipitis cohaerens.

n. n. Proceſſus priores oſſis multiformis.

*. *. Foramina pro nervis opticis.

o. o. Proceſſus clinoïdei anteriores.

p. p. Proceſſus clinoïdei poſteriores.

q. Sella turcica.

r. Foramen, ad ſinum ſphaenoïdalem penetrans.

s. Foramen pro ſecundo ramo quinti nervorum paris.

t. t. Foramina pro tertiis ramis ejusdem nervi.

v. v. Foramina, per quae penetrant arteriae carotides internae.

†. †. Proceſſus laterales oſſis multiformis.

w. w. Partes ſquamoſae, multum excavatae, inaequales, tenuiſſimae.

x. x. Partes petroſae oſſium temporum.

y. y. Foramina pro nervis auditoriis.

z. z. Fiſſurae, per quarum partes anteriores penetrant nervi octavi paris, per poſteriores autem ſeſe evacuant ſinus laterales durae matris.

α. α. Partes mammillares oſſium temporum.

β. β. Partes oſſium verticis, quae ſeſe interſerunt inter partes mammillares dictas, & os occipitis.

γ. Oſſis occipitis pars, quae cum baſi oſſis multiformis nectitur.

δ. Foramen magnum.

ε. ε. Scrobes in oſſe occipitis, quibus accumbunt lobi cerebelli.

ζ. ζ. Similes ſcrobes ſupra criſtam, cui proceſſus laterales durae matris adhaerent, pro lobis poſterioribus cerebri.

η. Eminentia, quae ſcrobes cerebelli diſtinguit.

ϑ. Similis, inter ſcrobes cerebri.

ι. Veſtigium ſinus lateralis dextri durae matris.

κ. Veſtigium ſinus lateralis ſiniſtri.

λ. Veſtigium ſinus longitudinalis.

Fig. 4.

Pars ſuperior ejusdem cranii, ab interiore.

a. Frontis os.

b. Criſta in parte interiore hujus oſſis, cum qua falciformis proceſſus nectitur.

c. Veſtigium ſinus longitudinalis, verſus latus dextrum tendens.

d. d. Excavationes variae hoc in oſſe.

e. e. Foraminum nonnullorum ſpecies.

f. f. Verticis oſſa, nulla ſutura ſagittali diſtincta, niſi parva admodum g. prope coronalem.

h. h. Coronalis ſutura.

i. Portio partis ſquamoſae oſſis temporis.

k. Os occipitis.

l. l. l. l. Loca varia, in quibus, abſumta lamella oſſis interna, & diploë, vix quidquam de externa ſupereſt, adeo ut parvis foraminibus haec etiam hiet.

m. Pars ſuturae lambdiformis.

Vide Sect. IV. N. XV. pag. 134.

TABULAE X.

Fig. 1.

Cranium inſignis magnitudinis hominis, ſtaturae puſillae, ingenii tenuis & hebetis, a latere dextro exhibitum.

a. b. c. d. Os verticis.

e. Frontis os.

f. f. Os occipitis.

g. Condylus oſſis occipitis pro articulatione cum atlante.

h. Pars ſquamoſa oſſis temporis.

i. Proceſſus zygomatici, pro parte abrupti, portio.

k. Meatus auditorius magis, quam ſolet, compreſſus.

l. Sinus pro condylo maxillae inferioris.

m. Proceſſus mammillaris.

n. Proceſſus lateralis oſſis multiformis.

o. Lamella exterior proceſſus aliformis oſſis multiformis.
p. Os jugale.
q. q. Maxilla ſuperior.
r. Proceſſus naſalis oſſis maxillaris ſuperioris.

Fig. 2.

Cranium idem a parte poſteriore.
a. Os occipitis.
b. b. Oſſa verticis, inter quae vix quidquam de ſutura ſagittali conſpicitur.
c. c. c. Suturae lambdiformis levia veſtigia.
d. d. Proceſſus mammillares oſſium temporum.

TABULAE XI.

Fig. 1.

Cranium, Tabula praecedenti delineatum, ab anteriore. Licet ea imprimis oſſa, quae conceptaculum cerebri componunt, inſigniter ſint expanſa, ea vero, quae faciem conſtituunt, tantam non ſubierint mutationem, reliquis hujus cranii iconibus haec tamen addenda fuit, ut tanto melius in oculos incurrat inſignis magnitudo ſubjecti oſſis frontis, facile nunc comparanda cum hujus cranii, admodum magni, eodem oſſe.

De hoc autem cranio conferatur data deſcriptio ad Numerum XVI. Sectionis quartae, pag. 135. & XXX. Sectionis I. pag. 5.

Fig. 2.

Os frontis enormis magnitudinis ab anteriore delineatum.
a. a. a. Ambitus hujus oſſis ſemicircularis, qui ſuturae coronalis ope cohaeſit cum oſſibus verticis.
b. b. Loca, ad quae accedebant proceſſus laterales oſſis multiformis.
c. c. c. c. Supercilia.
d. d. Foramina, per quae tranſierunt nervi frontales, rami primi rami nervorum quinti paris.
e. e. Oſſicula naſi, pro parte conſpicua.
f. Septum oſſis cribriformis.
g. g. Prominentes ſinus frontales.
Vide Sect. I. N. XXXI. pag. 5. Sect. IV. N. XVII. pag. 136.

TABULAE XII.

Pars inferior ejusdem cranii, cujus os frontis Tabula XI. depingitur.
a. b. c. d. e. f. Os occipitis.

a. Apex oſſis occipitis, qui ſe inter duo oſſa verticis interſerit.

a. b. a. f. Latera hujus oſſis, quae per ſuturam lambdiformem cum oſſibus verticis conjunguntur.

b. c. f. e. Partes, quae copulantur cum partibus mammillaribus & petroſis oſſium temporum.

d. Locus, ubi os occipitis confluxit cum baſi oſſis multiformis.

g. g. Diameter longior foraminis magni oſſis occipitis.

h. h. Diameter brevior foraminis magni.

i. Criſta, cui proceſſus falciformis cerebri adhaeret.

k. Criſta, cui proceſſus falciformis cerebelli adnectitur.

l. Sinus lateralis dextri durae matris veſtigium.

m. m. Scrobes, quibus accumbunt lobi poſteriores cerebri.

n. n. Scrobes, in quibus lobi cerebelli collocari ſolent.

o. o. Portiones oſſium verticis.

p. p. Partes mammillares oſſium temporum.

q. q. q. q. Partes oſſium temporum petroſae.

r. r. Partes ſquamoſae oſſium eorundem.

s. s. Foramina, per quae ſe evacuabant ſinus laterales durae matris, & tranſibant nervi octavi paris cum ſpinali recurrente.

t. t. Foramina pro nervis auditoriis.

u. Baſis oſſis multiformis ſellam turcicam formans.

v. v. v. Sinuum ſphaenoïdalium partes, medio ſepto diſtinctae.

x. x. Partes proceſſuum lateralium oſſis multiformis, quae cum oſſe frontis conjunguntur.

y. y. Partes proceſſuum lateralium oſſis multiformis, quae foraminum oculorum partem lateralem externam formant.

z. z. Foramina pro ſecundis ramis quinti nervorum paris.

α. α. Foramina pro tertiis ramis quinti nervorum paris.

β. β. Foramina pro vaſis, ad duram matrem pertinentibus, quorum veſtigia in parte ſquamoſa oſſium temporum, & proceſſu laterali oſſis multiformis cernuntur.

γ. γ. Aperturae canalium, per quos arteriae carotides internae penetrant.

δ. δ. Diſtantia inter ſummitates oſſium ſquamoſorum; quae conſtituit diametrum minorem capitis, & pollices octo cum dimidio aequat.

Vide Sect. I. N. XXXI. pag. 5. Sect. IV. N. XVII. pag. 136.

TABULAE XIII.

Fig. 1.

Caput oſſeum virile, cujus oſſa frontis, verticis, occipitis, ſquamoſa, & cuneiformis laterales partes, quae in temporibus conſiſtunt, fere digitum craſſa, ſubſtantia

ſtantia oſſea, fungoſa quaſi, rara, copioſiſſima, inter binas tabulas, per ſe ſatis tenues, repoſita. Ad * leviſſimum ſinus frontalis cernitur veſtigium.

Partes interiores hujus cranii admodum leviter ſunt indicatae, ut craſſities & ſpongioſa natura oſſium tanto melius in oculos incurrat.

Fig. 2.

Cranii, Figura primâ delineati, oſſa verticis, ſic ſecta, ut diſtantia inter externam internamque tabulam pateat, & ſimul degenerata his in oſſibus diploë optime cernatur.

a. a. Tabula interna, ſive vitrea.

b. b. Tabula externa.

c. c. Media diploë, rara, ſpongioſa.

Vide Sect. IV. N. XVIII. pag. 141.

Fig. 3.

Cranium, mirabiliter craſſum, compactum, durum, forte, ponderoſum, & mire ubique a naturali ſpecie recedens. Hoc tali modo delineatum eſt, ut & craſſities mediorum oſſium frontis, verticis, conſpiciatur, & ſimul pateat, quomodo verſus futuras, coronalem, ſagittalem, lambdiformem, ſenſim iterum extenuata ſint oſſa.

Fig. 4.

Portio de oſſe verticis ejusdem cranii ablata.

a. Lamella interna.

b. Externa lamella.

c. Media ſubſtantia ejusdem naturae, ac in praecedenti figura.

Fig. 5.

Ejusdem cranii pars ſuperior oſſis frontis.

a. Lamella vitrea.

b. Lamella externa.

c. Media ſubſtantia, ut in Fig. 4., compacta admodum, duriſſima, eburnea.

Conf. Sect. IV. N. XIX. pag. 141. & 142.

Fig. 6.

Pars ſiniſtra oſſis frontis, ex fungo durae matris quam maxime degenerati, a parte priore exhibita, ſic ut orbitae interiora etiam conſpiciantur.

a. Pars oſſis ſuperior, quae ſynciput format.

b. Latus externum.

c. c. Supercilium, craſſiſſimum, tuberculoſum.

d. d. Lamella, quae ſuperiorem orbitae partem conſtituit, & hanc a conceptaculo cerebri diſtinguit.

e. e. Eminentiae aſperae, acutae, inaequales, quibus tota haec pars orbitae oppleta eſt.
f. f. Externa ſuperficies hujus oſſis ſupra glabellam, maxime tumida, quaſi fungoſa.

Fig. 7.

Idem os ſic delineatum, ut interior ſuperficies pateat, & partes, quae in Fig. 6. verſus inferiora diriguntur, ſuperiora ſpectent.

a. a. Lamella, quae ſuperiorem orbitae partem conſtituit. Fig. 6. d. d.

b. Supercilii Fig. 6. c. c. pars inferior.

c. c. Latus externum. Fig. 6. b.

d. d. Pars oſſis frontis, quae verſus os verticis tendit, cum eo per ſuturam coronalem connectenda, ferrae ope non longe ab illa ſutura diviſa.

e. e. e. Interior ſuperficies hujus oſſis, quae tota inaequabilis, exeſa, carioſa quaſi exiſtit.

Fig. 8.

Idem os tali exhibitum ratione, ut craſſities, quam medio loco habet, ubi ſinus frontalis adeſt, ſpectetur.

a. Supercilium. Fig. 6. c. c. Fig. 7. b.

b. Lamella, quae ſuperiorem orbitae partem conſtituit. Fig. 6. d. d. Fig. 7. a. a.

c. Sinus frontalis pars.

d. Craſſities inſignis oſſis mox ſupra ſinum.

e. Craſſities, ubi ad os verticis accedit.

f. Superficies interna lamellae illius, quae cavum conceptaculi cerebri a foramine oculi diſtinguit, inaequalis, tuberculoſa.

Fig. 9.

Fungus, ex dura matre enatus.
De his vide Sect. IV. Num. XX. pag. 142.

TABULAE XIV.

Fig. 1.

Ancyloſis cranii & atlantis vera.

a. a. Lamellae palatinae oſſium maxillarium ſuperiorum.

b. b. Baſes oſſium palati, quae cum dictis lamellis palatum oſſeum perficiunt.

c. c. Margo alveolaris oſſium maxillarium ſuperiorum, a naturali forma maxime recedentes, quia plurimi perierunt alveoli.

d. d. Aperturae poſteriores narium.

e. Vomer.

f. f. Lamellae exteriores proceſſuum pterygoïdeorum oſſis multiformis.

g. g. Oſſa jugalia.
h. h. Proceſſus zygomatici oſſium temporum.
i. i. Proceſſus eorundem oſſium mammillares.
k. k. Proceſſus eorundem oſſium ſtyliformes.
l. l. Sinus pro articulo maxillae inferioris.
m. m. m. m. Os occipitis.
n. n. Atlas.
o. o. Arcus Atlantis anterior.
p. Sinus, ad quem accedit dens Epiſtrophei.
q. q. Arcus Atlantis poſterior.
r. r. Proceſſus transverſi Atlantis.
s. s. Superficies articulares, cum quibus committitur Epiſtropheus.
t. t. Plenaria concretio articulationis dextrae.
u. u. Concretio articulationis ſiniſtrae.
Vide Sect. IV. N. XXII. pag. 144.

Fig. 2.

Ancyloſis cranii & atlantis alia, eaque notabilior.
a. Os occipitis, ubi cum baſi oſſis multiformis cohaeret.
b. b. Oſſis occipitis partes pone foramen magnum.
c. c. Oſſa temporum.
d. d. Sinus pro articulo maxillae inferioris.
e. e. Proceſſus mammillares oſſium temporum.
f. f. Proceſſus ſtyliformes eorundem oſſium.
g. g. Lamellae exteriores proceſſuum pterygoïdeorum oſſis multiformis.
h. h. Lamellae eorundem proceſſuum interiores.
i. Vomer.
k. k. Atlas.
l. Arcus Atlantis anterior.
m. Sinus, cum quo conjungitur dens Epiſtrophei.
n. n. Arcus Atlantis poſterior.
o. Lamella oſſea, ab arcu poſteriore Atlantis in os occipitis tendens.
p. p. Superficies, cum quibus committitur corpus Epiſtrophei.
q. q. Proceſſuum transverſorum Atlantis partes poſteriores.
r. r. Excavationes in oſſibus temporum, in quibus proceſſus transverſi Atlantis quaſi reconduntur.
s. Condylus oſſis occipitis ſiniſter.
Reliqua ex figura prima ſatis cognoſcuntur, eadem itaque repetere, non neceſſe viſum fuit.
Vide Sect. IV. N. XXIII. pag. 144.

Fig. 3.

Cranii & atlantis concretio per proceſſus, ex oſſe occipitis in proceſſus transverſos Atlantis deſcendentes.

a. a. Proceſſus zygomatici oſſium temporum.

b. b. Sinus, ad radices horum proceſſuum pro articulatione maxillae inferioris.

c. c. Proceſſus mammillares oſſium temporum.

d. d. Proceſſus eorundem oſſium ſtyliformes.

e. e. Margo poſterior foraminis magni.

f. Arcus anterior Atlantis.

g. Sinus, in parte interiore arcus anterioris Atlantis, cum quo dens Epiſtrophei cohaeret.

h. Arcus poſterior Atlantis.

i. i. Superficies Atlantis, cum quibus corpus Epiſtrophei connectitur.

k. k. Proceſſus transverſi Atlantis foramine medio pertuſi.

l. Proceſſus, ex oſſe occipitis deſcendens in radicem poſteriorem proceſſus lateralis dextri Atlantis, & cum eo ſic cohaerens, ut non niſi linea quaedam extrinſecus appareat.

m. Similis proceſſus, in ſiniſtro latere obvius, & cum proceſſus transverſi Atlantis radice poſteriore, ut & cum apice confluens. Ad radicem hujus inciſura quaedam conſpicitur, quae in oppoſito latere non datur.

n. n. Foramina, per quae arteriae vertebrales ſeſe inflectere debuerunt, ut foramen magnum oſſis occipitis attingerent.

o. Parva exoſtoſis, ex margine foraminis magni prodiens.

Vide Sect. IV. N. XXIII. pag. 145.

Fig. 4.

Singularis confluxus oſſis occipitis & atlantis.

a. a. Oſſa temporum.

b. b. Proceſſus zygomatici horum oſſium.

c. c. Proceſſus eorundem mammillares.

d. d. Partes petroſae oſſium temporum.

e. e. Foramina pro arteriis carotidibus.

f. Pars oſſis occipitis, quae cum baſi oſſis multiformis connectitur.

g. Margo anterior foraminis magni oſſis occipitis.

h. h. Margo poſterior ejusdem foraminis.

i. Arcus prior Atlantis, in latere dextro ſic cohaerens cum oſſe occipitis, ut diſtinctionis nota nulla appareat, in ſiniſtro cohaerens quidem, ſed ſic, ut fovea ſatis profunda impreſſa videatur, quam in figura exprimere non licuit.

k. Sinus, cui accumbit dens Epiſtrophei.

l. Arcus poſterioris Atlantis pars dextra, quae in marginem foraminis magni oſſis occipitis evaneſcit.

m. Arcus poſterioris Atlantis pars ſiniſtra, quae admodum tenuis eſt, & cum dicto margine non cohaeret.

n. n. n. Superficies pro nexu cum Epiſtropheo, ſinuatae, & longe alio modo factae, quam in ſtatu naturali. Conferantur Tab. hujus Fig. 1. s. s. Fig. 2. p. p. Fig. 3. i. i.

o. Proceſſus transverſus Atlantis dexter, cum oſſe occipitis plane coalitus.

p. Proceſſus transverſi Atlantis ſiniſtri radix poſterior, quae ſic reconditur in fovea, in oſſe occipitis invenienda, ut cum ea tamen non cohaereat.

q. Ejusdem proceſſus radix anterior abrupta.

Vide Sect. IV. N. XXIV. pag. 146.

TABULAE XV.

Fig. 1.

Plenaria concretio cranii, omnium vertebrarum cervicis, duarumque ſuperiorum dorſi: ab anteriore.

a. a. Oſſa jugalia.

b. b. Maxillaria ſuperiora.

c. c. Sinus pro articulo maxillae inferioris.

d. d. Meatus auditorius.

e. e. Proceſſus ſtyliformes.

f. f. Proceſſus mammillares.

g. g. Margo poſterior palati oſſei.

h. Oſſis occipitis ea pars, quae cum baſi oſſis multiformis conjungitur.

i. i. Partes poſteriores & inferiores oſſis occipitis.

k. k. Arcus anterior atlantis.

l. Tuberculum, in arcu anteriore atlantis, cui intrinſecus excavato accumbit dens Epiſtrophei.

m. Parva fiſſura, quae remanſit inter atlantem, & marginem anteriorem foraminis magni.

n. n. Proceſſus transverſi atlantis, inter quos & corpus ejusdem vertebrae conſpiciuntur foramina, quae vaſa vertebralia transmittunt.

o. o. Corpus Epiſtrophei.

p. Dens ejusdem vertebrae, a cujus utroque latere apparet foramen quoddam.

q. q. Proceſſus transverſi hujus ſecundae vertebrae.

r. Corpus vertebrae tertiae.

s. s. Proceſſus ejusdem vertebrae transverſi, apice bifido inſtructi.

t. Corpus vertebrae quartae.

u. u. Proceſſus transverſi ejusdem.

v. Corpus vertebrae quintae.

w. w. Proceſſus hujus transverſi.

x. Corpus vertebrae ſextae.

y. y. Proceſſus transverſi hujus vertebrae.

z. Corpus vertebrae ſeptimae.

α. α. Proceſſus transverſi ejus.

β. Corpus vertebrae ſupremae dorſi.

γ. γ. Proceſſus hujus transverſi.

δ. Corpus vertebrae ſecundae dorſi.

ε. ε. Proceſſus transverſi hujus vertebrae.

ζ. Corporis vertebrae ſecundae dorſi ſuperficies inferior, quae cohaeſit cum ſuperiore vertebrae tertiae.

η. Proceſſus ſpinoſus hujus vertebrae.

*. Hiatus inter ſecundam tertiamque colli vertebram, ubi periit ſubſtantia cartilagineo-ligamentoſa, quae corpora vertebrarum nectere ſolet. Similis hiatus inter tertiam & quartam, quartam, & quintam, &c. datur.

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. Confluxus plenarius corporis vertebrae ſecundae & tertiae colli a latere dicti hiatus *. Idem in ſubſequentibus vertebris omnibus locum habet.

Inter corpora vertebrarum foramina etiam conſpiciuntur, quibus exeunt nervi cervicales, dorſales; aliaque in proceſſibus transverſis pro vaſis vertebralibus.

Fig. 2.

Eadem ancyloſis a parte poſteriore. Hac ex figura obliquus cranii, reſpectu cervicis, ſitus egregie patet.

a. a. Partes poſteriores & inferiores oſſis occipitis.

b. b. Partes mammillares oſſium temporum.

c. c. Proceſſus mammillares.

d. d. Proceſſus ſtyliformes.

e. Margo poſterior foraminis magni, aliquantum ab arcu poſteriore atlantis diſtans, & cum eo non concretus.

f. f. Arcus poſterior atlantis.

g. Tuberculum, quod atlanti loco proceſſus ſpinoſi eſt.

h. h. Proceſſus transverſi atlantis.

i. i. Confluxus & plenaria concretio condylorum oſſis occipitis cum ſinubus, in atlante inveniendis.

k. k. Partes poſteriores arcus epiſtrophei.

l. Proceſſus hujus vertebrae ſpinoſus, apice bifidus.

m. m. Concretio proceſſuum articularium atlantis & epiſtrophei.

n. n. Proceſſuum transverſorum apices.

o. o. Partes poſteriores arcus vertebrae tertiae.

p. Proceſſus ſpinoſus.

q. q. Proceſſus transverſi ejusdem vertebrae.
r. r. Partes poſteriores arcus vertebrae quartae.
s. Proceſſus ſpinoſus.
t. t. Proceſſus transverſi.
u. u. Partes poſteriores arcus vertebrae quintae.
v. Proceſſus ſpinoſus.
w. w. Proceſſus transverſi.
x. x. Partes poſteriores arcus vertebrae ſextae.
y. Proceſſus ſpinoſus.
z. z. Proceſſus transverſi.
α. α. Partes poſteriores arcus vertebrae ſeptimae.
β. Proceſſus ſpinoſus.
γ γ. Proceſſus transverſi.
δ. δ. Partes poſteriores arcus vertebrae primae dorſi.
ε. Proceſſus ſpinoſus.
ζ. ζ. Proceſſus transverſi.
η. η. Partes poſteriores arcus vertebrae ſecundae dorſi.
ϑ. Proceſſus ſpinoſus.
ι. ι. Proceſſus transverſi.
κ. κ. Proceſſus ejusdem vertebrae obliqui deſcendentes.
λ. Corporis vertebrae ſecundae dorſi ſuperficies inferior, quae cohaeſit cum ſuperiore vertebrae tertiae.

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. Proceſſus articulares ſeu obliqui adſcendentes & deſcendentes omnium vertebrarum, plenarie concreti. Fig. 3. N. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21.

Fig. 3.

Eadem ancyloſis, a latere dextro viſa.

a. Os jugale.
b. Oſſis hujus proceſſus frontalis, ſeu ſuperior.
c. Ejusdem oſſis proceſſus prior ſeu maxillaris. Inter hunc & praecedentem margo lunatus eſt, qui orbitae latus exterius conſtituit.
d. Oſſis jugalis proceſſus poſterior, cum zygomatico oſſis temporis nexus.
e. Os maxillare ſuperius.
f. Proceſſus lateralis oſſis multiformis.
g. Meatus auditorius.
h. Sinus pro articulo maxillae inferioris.
i. Pars mammillaris oſſis temporis.
k. Proceſſus maſtoïdeus.
l. Proceſſus ſtyliformis.

 m. Mar-

m. Margo lateralis foraminis magni.

n. Condylorum offis occipitis cum atlante plenaria concretio.

o. Similis nexus arcus anterioris atlantis cum offe occipitis.

p. Pars lateralis atlantis.

q. Proceffus lateralis dexter primae hujus vertebrae.

r. Atlantis & Epiftrophei ancylofis.

s. Pars lateralis epiftrophei.

t. Ejusdem proceffus lateralis.

u. v. Pars lateralis & proceffus vertebrae tertiae.

w. x; y. z; α. β; γ. δ; ε. ξ; η. ϑ; Partes eaedem vertebrae, quartae, quintae, fextae, feptimae colli, primae & fecundae dorfi.

ι. Foramen inter vertebram infimam colli & fupremam dorfi.

κ. Foramen fimile inter primam & fecundam dorfi.

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. Corpora feptem vertebrarum colli.

8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. Earundem proceffus fpinofi.

15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. Proceffus obliqui adfcendentes & defcendentes invicem concreti.

A. Corpus vertebrae fupremae dorfi.

B. Corpus vertebrae fecundae dorfi.

C. Proceffus obliquus defcendens feu articularis vertebrae fecundae dorfi.

D. E. Proceffus fpinofi vertebrae primae & fecundae dorfi.

Vide Sect. IV. N. XXV. pag. 147.

Fig. 4.

Plenaria concretio cranii, atlantis, & epiftrophei, harumque vertebrarum dislocatio.

a. a. Ora dextra poſterior foraminis magni offis occipitis.

b. Arcus poſterioris atlantis latus dextrum, ab ora foraminis magni liberum.

c. Tuberculum, quod atlanti loco proceſſus ſpinoſi eſt, cohaerens cum oſſe occipitis.

d. Linea, os occipitis diſtinguens.

e. Pars oſſea, cum arcu poſteriore atlantis ſemicanalem formans pro arteria vertebrali dextra, quae ex proceſſu transverſo atlantis egreſſa retrorſum ſe inflectit, ut foramen magnum offis occipitis attingat, & ingrediatur.

f. Pars lateralis ſiniſtra arcus poſterioris atlantis, cum ora foraminis magni ſic concreta, ut tamen via pro arteria vertebrali libera maneat.

g. Apex proceſſus transverſi dextri atlantis.

h. Radix ipſius prior.

i. Radix poſterior. Inter has radices foramen conſpicitur medium.

k. Superficies atlantis, quae cum parte laterali dextra corporis epiſtrophei articulo mobili cohaerere ſolet, ſed jam ab illa parte libera eſt, quoniam epiſtropheus ſedem naturalem reliquit.

l. l. Superficies inferior corporis epiſtrophei, eroſa quaſi, in latere ſiniſtro excavata, in dextro in duas exoſtoſes prominens.

m. Proceſſus ſpinoſus epiſtrophei, dimidium pollicem a linea media oſſis occipitis diſtans, & tantopere verſus latus ſiniſtrum diſlocatum, ut os occipitis ferme attingat.

n. n. Proceſſus transverſi epiſtrophei.

o. o. Foramina horum proceſſuum, aliam directionem habentia.

p. p. Proceſſus articulares, cum quibus obliqui ſuperiores tertiae vertebrae cohaeſerunt.

q. Latus dextrum epiſtrophei, ex proceſſu transverſo in ſpinoſum excurrens.

r. Latus ſimile ſiniſtrum.

Vide dicta ad finem Num. XXV. Sect. IV. pag. 148.

TABULAE XVI.

Fig. 1.

Cranium, cum quo maxilla in latere ſiniſtro firmiter concrevit; a latere ſiniſtro.

a. a. Margo alveolaris maxillae ſuperioris.

b. Lunula in proceſſu naſali oſſis maxillaris ſuperioris, quae foramen narium in latere ſiniſtro terminat.

c. Os jugale.

d. Dens molaris, ſuperiori maxillae inhaerens.

e. Alius, ei vicinus.

f. g. Dentes ſimiles duo, maxillae inferiori infixi, & ſingulari ratione cum illis maxillae ſuperioris nexi.

h. Ultimus dens molaris ejusdem lateris.

i. Exoſtoſis e parte interiore & laterali dextra maxillae enata.

k. k. Margo alveolaris lateris ſiniſtri maxillae inferioris.

l. Mentum.

m. Foramen, quo exit ramus tertius quinti nervorum paris.

n. Mucro, in quem angulus maxillae definit.

o. o. Condylus ſiniſter cum ſinu oſſis temporis firmiter concretus.

p. Proceſſus coronoïdeus.

q. Zygoma.

r. Meatus auditorius.

s. Proceſſus mammillaris.

t. Proceſſus ſtyliformis.

Fig. 2.

Idem cranium a parte inferiore viſum.

a. a. Margo alveolaris maxillae ſuperioris.

b. c. Dentes molares quatuor, ſuperiori & inferiori maxillae inhaerentes, ſingulari ratione invicem nexi.

d. d. Zy-

d. d. Zygoma unius alteriusque lateris.

e. Condylus dexter maxillae inferioris a ſinu oſſis temporis plane liber.

f. Proceſſus coronoïdeus hujus lateris.

g. Mentum.

h. h. h. Condylus ſiniſter cum ſinu oſſis temporis & vicinis partibus firmiter concretus.

i. Exoſtoſis, ex interiore parte menti enata.

k. Similis major ex parte interna & laterali dextra proveniens.

Fig. 3.

Idem Cranium, a latere dextro.

a. Sinus frontalis dexter multum prominens.

b. Maxilla ſuperior.

c. Margo, in quo olim alveoli fuerunt.

d. Dentes molares duo in ſuperiore, totidemque in inferiore maxilla, ſingulari ratione ſibi invicem occurrentes.

e. Maxilla inferior.

f. Apertura canalis, per quem ramus tertii rami quinti nervorum paris tranſit.

g. Latus dextrum maxillae inferioris.

h. Proceſſus ipſius condyloïdeus.

i. Proceſſus coronoïdeus.

k. Porus acuſticus.

l. Dens molaris ultimus.

m. Proceſſus mammillaris.

Fig. 4.

Cranium idem ab anteriore.

a. a. Prominentes maxime ſinus frontales.

b. b. Lamellae oſſis frontis, foramina oculorum a conceptaculo cerebri diſtinguentes, tenerrimae, & variis foraminibus pertuſae.

c. c. Maxilla ſuperior verſus latus ſiniſtrum diſtorta.

d. Margo maxillae ſuperioris, in quo olim fuere alveoli, jam fere omnes deleti.

e. e. e. Dentes molares ſuperioris & inferioris maxillae, ſingulari ratione ſibi invicem occurrentes.

f. f. Maxilla inferior, multum ſiniſtrorſum promota.

g. Mentum. Linea, a mento ſurſum producta non in medias nares incurrit, ſed in lunulam h., qua proceſſus naſalis, de maxilla ſuperiori adſurgens, narium aperturam anteriorem in latere ſiniſtro terminat.

i. Margo maxillae inferioris.

k. k. Aperturae canalium, per quos rami tertii rami quinti nervorum paris tranſeunt.

l. Ultimus dens molaris dexter.

m. Latus dextrum maxillae, proceſſu ſuo libere cum ſinu oſſis temporis commiſſum, licet magis verſus anteriora dimotum.

n. La-

n. Latus ſiniſtrum maxillae

o. Pars ipſius inferior, multum extrorſum flexa.

p. p. Proceſſus mammillares.

Conf. Sect. IV. N. XXVI. pag. 149.

TABULAE XVII.

Fig. 1.

Cranium hominis, qui ex notabili altitudine in latus dextrum capitis ceciderat, unde fiſſura ſuborta inſignis, per varia oſſa tranſiens.

a. Pars inferior oſſis verticis, ubi fiſſura incipit.

b. Locus, ad quem ſe in hoc oſſe fiſſura extendit, & unde antrorſum retrorſumque alia, minus notabilis, progreditur, quae per futuram coronalem c. tranſiens deſcendit ad proceſſum lateralem oſſis multiformis d. d. ad baſim cranii.

e. Fiſſura alia parum ſupra nexum proceſſus zygomatici cum oſſe frontis, inde per partem lateralem cavi oculi ſeſe extendens.

f. Nexus proceſſus zygomatici oſſis temporis cum oſſe jugali, parum ſolutus.

Fig. 2.

Pars inferior ejusdem cranii, ſic exhibita, ut decurſus fiſſurae per baſim calvariae pateſcat.

a. a. Ubi progreditur per proceſſum lateralem oſſis multiformis. Fig. 1. d. d.

b. b. Fiſſa pars baſeos oſſis multiformis, quae eſt ad radicem proceſſus clinoïdei anterioris dextri.

c. Eadem hic loci retrorſum ſeſe extendit ad proceſſum clinoïdeum poſteriorem ſiniſtrum.

d. Pars lateralis ſiniſtra partis anterioris oſſis occipitis a vicino oſſe petroſo per lapſum dimota.

e. Soluta ſutura, quae nectit partem mammillarem oſſis temporis ſiniſtri cum oſſe occipitis.

f. Fiſſura, quae per partem lateralem lamellae ſuperioris orbitae ſe extendit retrorſum in proceſſum priorem oſſis multiformis. Fig. 1. e.

g. Fiſſura alia, quae inter foramina optica oblique dextrorſum & antrorſum ad os cribriforme procedit.

De forma foraminum, figura proceſſuum clinoïdeorum anteriorum, defectu poſteriorum, partibusque aliis, nonnulla hic poſſent notari, ſi hunc in finem figura haec eſſet exhibita; jam vero iis partibus litteras adſcribere neceſſe non duxi.

Conf. Sect. IV. N. XXVII. pag. 150.

TABULAE XVIII.

Fig. 1.

Pars ſuperior cranii hominis, qui in latus dextrum capitis ceciderat, ab exteriore.

a. a. Os frontis.

b. Verticis os finiſtrum.

c. Os verticis dextrum.

d. Sutura coronalis, quae hoc in loco admodum hiat, remotis ab invicem offibus frontis & verticis.

e. Fractura, a coronali ſutura, non longe ſupra ſquamoſam finiſtri offis temporis partem f., ad diſtantiam duorum circiter pollicum retrorſum tendens g., ſurſumque h., ſic ut pars hujus ab h. ad e. introrſum preſſa ſit, & portionis inferioris i. i. tota craſſities compareat.

k. Fractura, per os frontis progreſſa ad l. Inde ad ſuturam ſagittalem m. ſeſe extendens.

n. o. A coronali ſutura oblique ad ſagittalem decurrentes fiſſurae duae, quarum finiſtra n. major tantum extrinſecus conſpicitur; dextra o. ab interiore melius cernitur.

Fig. 2.

Eadem pars cranii ab interiore.

a. a. Os frontis.

b. b. Partes ſuperiores ſinuum frontalium, medio ſepto diviſorum. In quoque ſinu praeterea parvum aliud ſepimentum adeſt.

c. Os Verticis dextrum.

d. Verticis os finiſtrum.

e. e. e. Sutura ſagittalis.

f. g. h. Fractura, in parte inferiore offis verticis dextri, longe alio modo ſeſe exhibens, quam ab exteriore. Fig. 1. e. g. h.

i. i. k. k. Fiſſurae aliae, a coronali ſutura per verticis os dextrum procedentes, ab exteriore non conſpicuae.

l. m. n. o. Habitus fracturae offis frontis. Fig. 1. l. m. Inter m. & n. de ea nil apparet.

p. q. Fiſſurae parvae, a coronali ſutura per os frontis ſeſe extendentes, ab exteriore non conſpicuae.

r. r. Sutura coronalis, quae hoc in latere finiſtro admodum hiat, remotis ab invicem offibus frontis & verticis. Fig. 1. d.

s. Diſtantia magna inter partes offis verticis finiſtri diffractas. Verticis enim os finiſtrum primum, ſoluta ſutura r. r., a frontis oſſe receſſit, dein vero fractura per idem hoc os verticis tranſit, partesque ſic ſolutae admodum hiant.

Vide Sect. IV. N. XXVIII. pag. 150.

TABULAE XIX.

Fig. 1.

Pars ſuperior cranii hominis, cui vulnus admodum notabile fuit inflictum, dein pro parte ſanatum. A medio offis frontis vulnus ſeſe extendit dextrorſum deorſumque per magnam offis verticis partem, adeo ut ſuturae coronalis veſtigium hoc in latere nullum appareat. Margines vulneris craſſi, inaequales, multum a ſe invicem ſunt remo-

remoti, ſic tamen ut a natura ſubſtantia granuloſa, duriſſima, ſit productа, quae maximam partem illos margines jungit, efficitque, ut ab exteriore profundus & inaequalis ſulcus conſpiciatur, in aliis vero locis majora, minorave, adſint foramina.

Fig. 2.

Eadem pars cranii ab interiore. Tantae extenſionis hic non videtur eſſe vulnus; granuloſa autem ſubſtantia, quae multum introrſum prominet, longe melius cernitur.

De hoc Cranio vide Sect. IV. N. XXX. pag. 151.

Fig. 3. & 4.

Portio oſſis frontis, cui vulnus olim fuit inflictum, duos cum dimidio pollices longum, ſic ſanatum, ut ab exteriore Fig. 3. ſinus profundus remanſerit, ab interiore Fig. 4. prominentia oblonga, inaequalis, conſpiciatur.

Conf. Sect. IV. N. XXXI. pag. 151.

TABULAE XX.

Fig. 1.

Pars ſuperior cranii, cui per inflictum vulnus pars de oſſe verticis remota eſt, ſic tamen, ut, licet naturalem ſitum non recuperaverit, & parte ſua poſteriore a reliquo oſſe ſit remota, praeſente etiam hiatu, tamen pro parte iterum concreverit.

Vide Sect. IV. N. XXXII. pag. 151.

Fig. 2.

Cranii feminae, cujus partes variae per cariem mire exeſae ſunt, pars inferior, ab interiore exhibita.

Oſſis occipitis pars anterior, quae cum baſi oſſis multiformis necti ſolet, ſic caric exeſa eſt, ut inter carioſum marginem & foramen magnum parva tantum diſtantia detur. Baſeos oſſis multiformis pars poſterior tota conſumta eſt, ſic ut pateant ſinus ſphaenoïdales, & lamella, in clinoïdeos proceſſus poſteriores terminata, perierit tota. Capitelli vomeris magna pars etiam conſumta eſt. Ante foramen magnum hinc aliud datur, carie productum, ſed admodum irregulare propter reliquias tenues oſſium, illud in alia parva foramina dividentes.

Conf. Sect. IV. N. XXXIII. pag. 151.

TABULAE XXI.

Fig. 1.

Pars ſuperior ejusdem cranii, quod Tab. XX. Fig. 2. delineatur, ab exteriore exhibita. In oſſe verticis dextro inſigne foramen conſpicitur, per cariem enatum, cujus fora-

raminis margines ſunt admodum tenues, ex eo, quod caries non tantum de tabula externa, quam de interna & diploë conſumſerit.

Fig. 2.

Pars ſuperior ejusdem cranii ab interiore delineata.

Siſtitur idem illud foramen, carioſum, ab interiore, ut, quantum de interna lamella, & de diploë perierit, conſtet.

Vide Sect. IV. N. XXXIII. pag. 151.

Fig. 3. & 4.

Fruſta duo oſſium cranii, lue venerea maximam partem conſumtorum.

Vide Sect. IV. N. XL. pag. 155.

TABULAE XXII.

Fig. 1.

Cranium hominis adulti, per luem veneream maxime carioſum. Frontis & verticis oſſa praecipue diro hoc morbo ſunt adfecta, pars etiam ſuperior & lateralis dextra oſſis occipitis. Tabula externa cum diploë non tantum laeſa eſt, ſed bene multis in locis vitrea etiam, ſic ut foramina, licet non magna, dentur, ad conceptaculum cerebri penetrantia. Suturarum vix veſtigia adſunt.

Vide Sect. IV. N. XXXVII. pag. 153.

Fig. 2.

Pars ſuperior & anterior cranii hominis, viginti & ſeptem annos nati, cui, cachectico, & a pueritia ſtrumis laboranti, poſt immanes capitis dolores, abſceſſus magnitudine ovi ſuper ſynciput ſiniſtrum enatus eſt. Hoc aperto, cranium non tantum denudatum apparuit, ſed in ipſo foramen inſigne viſum. Licet ex lege artis omnia idonea remedia fuerint adhibita, & videretur ſanari; tamen, diarrhaea ſuborta, tandem periit. In examine cranii ulcus, quod ad duram matrem penetraverat, videbatur quidem oppletum ſubſtantia, veluti carnea, ex dura matre & pericranio proveniente; ſed tamen a latere ſiniſtro ſuturae ſagittalis foramen admodum amplum, irregulari margine cinctum, conſpiciebatur, ſeſe ad coronalem ſuturam extendens, & parum ultra ſagittalem verſus latus dextrum vergens.

Fig. 3.

Idem cranium a parte interiore. Non tantum hac in figura foramen, Fig. 2. ab exteriore delineatum, conſpicitur, ſed ſimul apparet, tabulam oſſis internam, & verſus poſteriora & verſus latus dextrum, eſſe arroſam.

Vide Sect. IV. N. XLIII. pag. 156.

Fig. 4.

Fig. 4.

Pars ſuperior cranii militis, ex lue venerea carioſi. In oſſe verticis ſiniſtro duo cernuntur foramina; prius prope ſuturam ſagittalem, praeruptum, inaequale, & circulo, jamjam abſceſſuro, anguſtatum, alterum minus, magis verſus latus ſiniſtrum vergens, aeque praeruptum; hic ſola interna lamella pro parte ſupereſſe videbatur.

Fig. 5.

Idem cranium ab interiore, eadem exhibens. Praecipue autem circumcirca foramen majus circulus partis oſſeae, abſcedere conantis, conſpicitur.

Conf. Sect. IV. N. XXXIX. pag. 154.

TABULAE XXIII.

Fig. 1.

Pars ſuperior cranii hominis adulti, carie exeſi. Pars maxima oſſis frontis, & vicini oſſis verticis ſiniſtri periit, ac foramen, admodum amplum, enatum eſt, cujus margines inaequales, acuti, latitudinem ab anteriore notabilem habent, ſic ut vitium hoc ab exteriore enatum ſenſim ad interiora videatur prorepſiſſe.

Fig. 2.

Idem Cranium ab interiore. Vide Sect. IV. N. XXXIV. pag. 152.

Fig. 3.

Pars lateralis dextra & anterior cranii juvenis, paraplegia diu adfecto & ex tabe defuncto. Ulcere lato diu laboraverat eo loci, ubi frontis & verticis oſſa committuntur, quod a tinea videbatur productum. Hac in figura ex decem eroſionibus, quae in tabula exteriore cranii adſunt, quatuor, hac in parte obviae, delineantur. Mediam aream limbus cingit, velut corrugatus, & ferme radiatus a multiplici fibrarum oſſearum inter ſe implexarum ordine. Circa radiatum limbum plures ſulci & foveolae conſpiciuntur.

Fig. 4.

Interior facies ejusdem calvariae. Eaedem conſpiciuntur eroſiones, ſimiles radiati margines, ſulcique inter radios vorticoſe decurrentes. Areae mediae foraminulentae ſunt, foraminaque & amplitudine & profunditate variant.

Vide Sect. IV. N. XLII. pag. 155.

Fig. 5. & 6.

Portiones de tabula externa cranii viri, ſcrophuloſi, ſponte ſeparatae; ab exteriore & ab interiore exhibitae, deſcriptae Sect. IV. N. XLV. pag. 157.

Fig. 7.

Pars inferior & anterior baſis cranii viri, qui epulide cancroſa laboraverat, qua oſſa etiam inſigniter ſunt vitiata.

a. Palati pars dextra.

b. b. Margines conſumtae lamellae palatinae & baſeos oſſis palati ſiniſtri.

c. Inferior orbitae oſſeae margo.

d. d. Os jugale.

e. Locus, ubi hoc jungitur cum proceſſu zygomatico oſſis temporis.

f. f. Margo exeſi oſſis maxillaris ſiniſtri.

g. g. Vomer, cujus pars poſterior & inferior periit, ſic ut cavitas dextra naris etiam pateat.

h. h. Oſſis ethmoïdis apertae & conſumtae cellulae.

i. Lamella oſſis frontis, quae partem ſuperiorem cavi oculi format, & hoc a conceptaculo cerebri diſtinguit.

Conf. Sect. IV. N. XLIX. pag. 159.

TABULAE XXIV.

Hac & tribus ſequentibus tabulis ſiſtitur cranium feminae, carie venerea, multis in locis eroſum, dum foramina, ab interiore parte maxime patentia, intrabant Fungi, ex dura matre enati, ut latius expoſui Sect. IV. N. XXXV. pag. 152. 153. & Sect. V. N. I. pag. 231. & 232.

Fig. 1.

Pars ſuperior hujus cranii, prout recens, ſeparatis ſolis integumentis, ſeſe exhibuit. Sublatum perioſteum eſt, ſi partem parvam, a coronali futura ſeſe retrorſum extendentem, excipias. Haec relicta, ut pateat, quali modo ſeſe monſtraverint, ſub integumentis & Epicranio muſculo, tumores varii, diverſae magnitudinis, ichoroſo ſanguine diſtenti, & ſolum perioſteum attollentes. Separato perioſteo, ut in omni reliqua parte factum eſt, ichoroſa illa materies nuda, cum conſumta oſſea ſubſtantia mixta, conſpicitur.

Fig. 2.

Eadem pars ſuperior ejusdem cranii, delineata poſt praegreſſam macerationem. Nil de perioſteo amplius ſupereſt. Periit ichoroſa ſubſtantia, quae carioſis foraminibus inhaerebat; ipſa illa foramina itaque cernuntur, ſed, dictam ob rationem minora. Adparent leviores caries, in locis, in quibus tales adeſſe, ex prima figura concludere non licet, ſine dubio, quia non penitus conſumta, ſed foraminulenta tantum, externa oſſis lamella eſt.

TABULAE XXV.

Fig. 1.

Facta ejusdem cranii, Tab. XXIV. delineati, horizontali per ſerram diviſione, cernitur Dura Mater, ex qua multi procreverunt fungi.

In utroque latere haec membrana admodum inaequalis eſt; a latere dextro praecipue duo majores, aliique minores, adſunt fungi, a latere ſiniſtro quatuor majores confluentes quaſi, & minores varii. Omnes, magis minusve ultra ſuperficiem durae matris prominentes, oſſeae cranii ſubſtantiae adeo firmiter inhaerebant, ut absque adhibita majori, quam ſolet, vi, cranii pars ſuperior a Dura matre ſeparari non potuerit, qua vi lacerari etiam quodammodo fungi debuerunt.

Fig. 2.

Differt haec figura a praecedenti in eo, quod dura mater, in latere dextro, a proceſſus falciformis parte anteriore usque ad partem poſteriorem, juxta marginem oſſeum, ſit diſſecta & ſupra partem ſiniſtram reclinata.

Vix notabilem ſubiiſſe mutationem internam ſuperficiem durae matris, liquet, ſi excipiantur loca, ubi fungi majores haerent. Ab anteriore maximus omnium cernitur, qui inſignem foveam ſubſtantiae cerebri impreſſit. Cerebrum autem, ut in aliis locis ſaniſſimum apparebat, ſic in hoc, praeter compreſſionem, vix aliam ſubierat mutationem. Pia etiam mater in fundo hujus loci erat illaeſa, integerrima.

TABULAE XXVI.

Fig. 1.

Baſis cranii, cujus figurae aliae Tab. XXIV. & XXV. datae ſunt, a parte interiore.

Multa & hic cernuntur loca carioſa, alia, luci magis expoſita, melius, alia in umbra conſtituta, minus in oculos incurrunt. Inter poſteriora, quae non ita facile exprimi potuerunt, pertinet notabilis caries in proceſſu laterali ſiniſtro oſſis multiformis, & vicina parte oſſis frontis, quae & extrinſecus, ubi muſculus temporalis accubuit, & intrinſecus in cranio videri poteſt. Pertinet huc etiam alia, in parte illa oſſis verticis ſiniſtri, quae & cum occipitis oſſe, & cum parte mammillari oſſis temporis nectitur. Reliqua carioſa loca in parte laterali oſſis multiformis ſiniſtra, quae arteriam ſpinoſam transmittit; in eadem ejusdem oſſis parte dextra, in oſſe frontis, occipitis, aliis, longe melius conſpiciuntur.

Fig. 2.

Pars ſuperior ejusdem cranii ab interiore. Octodecim notabiliora, alia minora, magis minusve profunda, foramina, eroſiones carioſae, hic cernuntur, quibus omnibus

bus fungoſa inhaeſit ſubſtantia, ex dura matre originem trahens. Multo majores hac eroſiones ſunt hac in parte, quam in exteriore, quum tabulae vitreae partes longe majores ſunt abſumtae, quam lamellae externae.

TABULAE XXVII.

Fig. 1.

Cranii ejusdem, Tab. XXIV. XXV. XXVI. depicti, baſis a parte inferiore.

In diverſis iterum partibus foramina carioſa conſpiciuntur; praecipue in latere dextro ad radicem proceſſus zygomatici. Maxima pars proceſſus pterygoïdei oſſis multiformis dextri lateris etiam periit. Caries eadem abſumſit maximam partem oſſis maxillaris, in ſinus hujus oſſis penetravit, & periit dens molaris ultimus. In latere dextro adeſt etiam foramen carioſum prope condylum pro nexu cum atlante. Alia adſunt in latere ſiniſtro.

Fig. 2.

Maxilla inferior ejusdem cranii, a parte interiore. Angulus dexter periit totus. In utroque condylo principium mali cernitur. In latere ſiniſtro foramen ſatis magnum adeſt carioſum, non multum diſtans ab eo loco, ubi extrinſecus ramus tertii rami quinti nervorum paris exit.

Fig. 3. & 4.

Partes oſſeae ſeparatae ab angulo dextro maxillae inferioris.

Fig. 5.

Atlas & Epiſtropheus ex eodem ſceleto, cujus cranium praecedentibus figuris eſt delineatum, ab anteriore. Partes laterales atlantis ſunt carioſae; conſumti apices foraminum, per quae adſcendunt vertebrales arteriae. Epiſtrophei pars magna anterior carioſa eſt.

Fig. 6.

Epiſtropheus a parte poſteriore. Arcus in latere ſiniſtro foramine pertuſus eſt. Corpus ipſum a parte poſteriore, qua reſpicit arcum, ſimiliter carie adfectum.

Conf. Sect. IV. N. XXXV. pag. 152.

Fig. 7.

Os carioſum, quod de cranio puellae ſeceſſit ab exteriore.

Fig. 8.

Idem os ab interiore.

Fig. 9.

Fig. 9.

Fragmentum parvum oſſis carioſi, quod de eodem cranio ſeparatum eſt. Hiſtoriam morbi vide Sect. IV. N. XLVIII. pag. 157.

TABULAE XXVIII.

Fig. 1.

Pars cranii hominis adulti, cui ex lue Venerea maxillae ſuperioris pars dextra, palatum, nares internae multum ſunt paſſae.

a. Pars lateralis ſiniſtra palati oſſei.

b. b. Margo ipſius poſterior, multum eroſus.

c. Capitellum vomeris; cujus oſſis reliqua, eaque deſcendens, pars corrupta eſt, ſic ut ſeptum narium oſſeum ab inferiore nullum ſit.

d. Partis lateralis dextrae & ſiniſtrae palati oſſei nexus.

e. e. e. Foramen magnum, dextra in parte; ſed ſimul marginem alveolarem occupans.

f. Foramen aliud, medio in palato.

g. Tertium foramen, in margine alveolari, ad interiora narium etiam tendens.

h. h. h. Officuli naſi dextri, vicini proceſſus naſalis oſſis maxillaris ſuperioris, & lamellae palatinae ejusdem oſſis margines exeſi.

Vide Sect. IV. N. XXXVIII. pag. 154.

Fig. 2.

Pars inferior & anterior cranii pueri, qui ulcere in parte laterali dextra faciei laboraverat, carie partim deſtructa.

a. a. a. Caries admodum notabilis, quae marginem alveolarem inter dentem molarem primum & quartum deſtruxit, & ſimul ſeſe ad palatum extendit.

b. Foramen in palato oſſeo, quod ad interiora narium penetrat.

c. Caries, ſinum pro condylo maxillae inferioris adficiens.

Fig. 3.

Ejusdem pueri maxilla inferior a latere ſiniſtro & exteriore.

a. a. a. Caries ab alveolo dentis canini ad radices maxillaris tertii.

b. b. Ad angulum maxillae ſeſe ferme extendens idem vitium.

c. c. Defectus in margine inferiore, ubi ſanata quodammodo caries eſt.

Fig. 4.

Eadem maxilla a parte laterali dextra.

a. a. a. Apex rotundulus, in quem pars lateralis dextra maxillae definit, reliqua parte omni abſumta. Fig. 3. a. a. a.

b. Foramen, quod per omnem ſubſtantiam penetrat.

c. Pars alveoli dentis molaris primi.

d. Pars interior lateris ſiniſtri.

e. e. Caries, quae angulum maxillae occupat. Fig. 3. b. b.

Fig. 5.

Eadem maxilla a poſteriore & interiore.

a. a. a. Omne, quod de parte laterali dextra ſupereſt, ab interiore totum carioſum.

b. Foramen idem, quod Fig. 4. b.

c. Proceſſus, cui tendo temporalis muſculi adhaeſit. Lineis indicatae ſunt partes conſumtae.

d. Caries, quae angulum occupat. Fig. 3. b. b. Fig. 4. e. e.

e. Defectus in margine maxillae. Fig. 3. c. c.

Conf. Sect. IV. N. LIV. pag. 160.

Fig. 6. & 7.

Pars ſuperior & anterior cranii viri adulti, in qua cernuntur veſtigia varia praegreſſae, jam vero ſanatae, cariëi; ab exteriore & interiore.

Sect. IV. N. XXXVI. pag. 153.

TABULAE XXIX.

Fig. 1.

Os frontis, verticis dextrum, & multiforme ex infante octo annorum, tam firmiter invicem concreta, ut unam maſſam, non ſolubilem, ſiſtant. Deleta eſt ſuturae coronalis pars dextra. Cum frontis verticisque oſſe proceſſus lateralis oſſis multiformis ſic concrevit, ut & hujus nexus veſtigium nullum appareat.

a. Os frontis.

b. Verticis os.

c. Pars hujus oſſis, quae concurrit ad formandam ſuturam lambdiformem.

d. Qua parte cohaeſit cum parte mammillari oſſis temporis.

e. Qua cum parte ejusdem oſſis ſquamoſa.

f. Proceſſus lateralis oſſis multiformis.

g. Ejusdem oſſis proceſſus pterygoïdeus.

h. Pars hujus oſſis, quae ſeſe inter partem ſquamoſam & petroſam oſſis temporis interſerit.

i. Pars poſterior baſeos oſſis multiformis.

k. Lamella ipſius, quae ſellam turcicam a parte poſteriore terminat.

l. Pars proceſſus lateralis oſſis multiformis, & oſſis frontis, m. quae cum zygomate cohaeſerunt.

n. Pars ſuperior orbitae.

o. La-

6. Lamella ossis frontis, quae cavum oculi a conceptaculo cerebri distinguit.
p. Superficies hujus ossis, hoc in loco admodum porosa & foraminulenta.

Fig. 2.

Eadem ossa a parte posteriore, & interiore.

a. Os frontis ab interiore.

b. Locus, olim per os cribriforme oppletus.

c. Processus lateralis ossis multiformis.

d. Ejusdem ossis processus prior, qui cum lamella ossis frontis, quae cavum oculi a conceptaculo cerebri distinguit, penitus confluxit.

e. Pars processus lateralis multiformis, quae inter partem squamosam & petrosam ossis temporis sese interserit.

f. Lamellae, exterioris & interioris processus pterygoïdei, fines.

g. Lamella, quae ex basi multiformis ossis enata sellam turcicam a parte posteriore terminat.

h. Verticis os.

i. Superficies hujus ossis hoc in loco admodum porosa, foraminulenta.

Vide Sect. IV. N. L. pag. 159.

Fig. 3.

Os frontis infantis junioris, carie venerea adfectum.

a. a. Loca duo, ubi hujus ossis tota substantia intumuit, spongiosior reddita est, & extrinsecus innumera foramina minora conspiciuntur.

b. Similis degeneratio in glabella. Haec a foramine c., per quod transit nervus frontalis sinister, sese sursum dextrorsumque extendit.

d. d. Lamellae, quae cava oculorum a conceptaculo cerebri distinguunt, quartam ferme partem pollicis rhenolandici crassae, versus cava oculorum prominentes, substantiam, vel ad visum molliorem, e. e. exhibent.

Fig. 4.

Idem os frontis totum ab exteriore, in quo loca morbosa Fig. 3. a. a. b. optime cernuntur.

Fig. 5.

Ejusdem cranii os verticis sinistrum, ab exteriore. A sutura coronali juxta sagittalem ad & juxta lambdiformen hoc os simili modo ac os frontis vitiatum est, abiitque in substantiam crassam, spongiosam, foraminulentam.

Natura ulcusculorum, quae totum caput faciemque deturpabant, luem veneream congenitam hoc in casu fuisse incusandam, docere videbatur.

Conf. Sect. IV. N. LI. pag. 159.

TABULAE XXX. XXXI. XXXII. & XXXIII.

Siſtunt hae quatuor Tabulae ſingularem degenerationem partium mollium faciei, ſed praecipue oſſium, quae eam componunt, per morbum, in ſinu maxillari haerentem, cujus vi oſſa ſenſim extenuata, a ſe invicem remota, ſunt, & maximam partem ſic deſtructa, ut vix quicquam de illis ſuperſit, quemadmodum latius expoſui Sect. IV. N. LV. pag. 161.

Tabulae XXX. Fig. 1. diſformem hancce faciem ab anteriore delineavi; Fig. 2. mutationes oſſium, quas cranium, ab anteriore viſum, exhibet. Tabulae XXXI. Fig. 1. & 2. lateralem earundem partem adſpectum ob oculos poſui; aſt, cum non facile omnibus oſſibus his in figuris litterae apponi potuerunt, in Tabula XXXII. lineares figuras easdem, quae Tab. XXX. Fig. 2. & XXXI. Fig. 2. fuere datae, addidi, & hiſce litteras adſcripſi.

Tabulae itaque XXXII. Fig. 1. quae eſt Tab. XXX. Fig. 2. deſignatur.

a. Os frontis.

b. b. Supercilia.

c. Pars proceſſus naſalis oſſis maxillaris ſuperioris dextri.

d. Officulum naſi dextrum.

e. Siniſtrum officulum naſi.

f. Proceſſus naſalis oſſis maxillaris ſuperioris ſiniſtri.

g. Apertura ſinus frontalis dextri.

h. Lamella media oſſea oſſis cribriformis.

i. i. i. Oſſis frontis lamellae, quae cava oculorum a conceptaculo cerebri diſtinguunt.

k. Os jugale dextrum.

l. l. Jugale ſiniſtrum.

m. Proceſſus lateralis oſſis multiformis ea pars, quae concurrit ad formandum cavum oculi.

n. Reliquiae proceſſus aliformis ſiniſtri.

o. Proceſſus ſtyliformis.

p. Oſſis petroſi ſiniſtri pars.

q. Dextri oſſis petroſi portio.

r. Os occipitis, qua marginem anteriorem foraminis magni format.

s. s. Condyli oſſis occipitis.

t. Foramen magnum.

u. u. u. u. Degenerati oſſis maxillaris ſuperioris dextri partes variae.

v. v. Foramina in ſinum hujus oſſis penetrantia.

w. Unicus, qui ſupererat, dens molaris, isque ultimus.

x. x. Condyli maxillae inferioris.

y. y. Proceſſus ejus anteriores.

z. Maxilla inferior.

α. α. Pars ejus, per tumorem multum antrorſum promota.

β. Fo-

β. Foramen magnum, deſtructo oſſe multiformi productum.

Figura 2. hujus tabulae XXXII. quae eſt Tab. XXXI. Fig. 2. idem cranium a latere exhibet.

a. a. Margines ſuperciliorum.
b. Pars proceſſus naſalis oſſis maxillaris ſuperioris.
c. Oſſiculum naſi dextrum.
d. Siniſtrum oſſiculum naſi.
e. e. Lamella media oſſis cribriformis.
f. Ejusdem oſſis partes laterales dextrae.
g. Apertura ſinus frontalis.
h. Apertura, deſtructo oſſe multiformi, vicinisque partibus, enata.
i. Os jugale dextrum.
k. k. Siniſtri oſſis jugalis partes ſuperſtites.
l. Pars poſterior integra oſſis maxillaris ſuperioris.
m. Dens poſtremus molaris, ei infixus.
n. n. n. n. Partes variae oſſis maxillaris ſuperioris.
o. o. Aperturae, in ſinum hujus oſſis penetrantes.
p. Proceſſus zygomaticus oſſis temporis dextri.
q. Idem ſiniſtri lateris.
r. r. r. Maxilla inferior.
s. Pars ipſius ſiniſtra, per tumorem inſigniter antrorſum promota. Mutatio, quam baſis cranii ſubiit, ex figuris hactenus datis facile intelligi non poteſt, ſuperaddenda ergo fuit Tab. XXXIII., cujus explicationem nunc ſubjungo.

a. a. Partes oſſis frontis, quae foramina oculorum a conceptaculo cerebri diſtinguunt.
b. b. Lamella media oſſis cribriformis.
c. c. Partes hujus laterales dextrae.
d. Proceſſus naſalis oſſis maxillaris ſuperioris ſiniſtri.
e. Oſſiculum naſi ſiniſtrum.
f. Idem oſſiculum dextri lateris.
g. Proceſſus naſalis oſſis maxillaris ſuperioris dextri.
h. Pars oſſis jugalis dextri, quae cum proceſſu zygomatico oſſis temporis nectitur.
i. i. Partes reliquae oſſis jugalis ſiniſtri.
k. Dens molaris ultimus dexter.
l. l. l. l. Reliquiae oſſis maxillaris ſuperioris dextri.
m. Hiatus inter oſſa relictus, ubi antea fuit ſinus maxillaris.
n. n. Superſtites partes proceſſuum lateralium oſſis multiformis.
o. o. Partes petroſae oſſium temporum.
p. Proceſſus aliformis ſiniſter.
q. q. Proceſſus ſtyliformes.
r. Foramen pro tertio ramo quinti nervorum paris.
s. s. Foramina pro vaſis, in ultimis proceſſuum lateralium oſſis multiformis finibus.

t. t. Foramina, per quae penetrant arteriae carotides internae.
u. u. Foramina, quibus adhaerent venae jugulares internae.
v. Osſis occipitis pars, marginem anteriorem foraminis magni conſtituens.
w. w. Condyli hujus osſis, cum atlante olim nexi.
x. Foramen magnum.
y. Hiatus notabilis, deſtructis variis osſibus, earumve partibus, productum.

TABULAE XXXIV.

Fig. 1.

Cranium infantis, qui, difficillimo partu in lucem emiſſus, quartam tantum attigit aetatis hebdomadem. Hoc, pelvi maxime incuneatum, ſenſim magnitudine auctum, osſibus, quibus appreſſum erat, ſeſe accommodavit, & hac de cauſa depreſſionem in oſſe verticis notabilem habet.

a. a. Depreſſio admodum profunda in oſſe verticis dextro, a ſutura lambdiformi ad medium hocce os & ultra ſeſe extendens, duos pollices longa, totidem alta, circumcirca, praecipue ab inferiore, rotundulo margine cincta.

b. b. Plaga, ſeſquipollicem longa, ad fontanellam c. ſeſe ferme extendens, rubicundo colore a reliquo oſſe diſtincta. Videtur hic loci fuiſſe hiatus, quem natura per oſſeam ſubſtantiam rurſus opplevit. Haec etiam ſubſtantia reliquo oſſe magis depreſſa eſt, & inaequales partes oſſeas intermixtas habet.

Fig. 2.

Idem cranium a parte interiore. Prominens introrſum, ab exteriore in Fig. 1. ad litteras a. a. a. conſpicienda, compreſſio ſic optime cernitur: reliqua vero plaga Fig. 1. b. b., dum cuncta oſſa durâ matre tecta ſunt, non comparet.

Conf. Sect. IV. N. LIX. pag. 163.

Fig. 3.

Pars ſuperior cranii infantis mortui in lucem emiſſi. Os verticis dextrum & frontis pars vicina ſimilem ex eadem cauſa ſubierunt depreſſionem, quae pollicem duasque lineas profunda eſt.

a. a. a. Depreſſio, partim ex oſſe verticis partim ex oſſe frontis facta.
b. b. Suturae coronalis pars dextra per fundum ferme depreſſionis ſeſe extendens.
c. Fiſſura, quae rurſus coalita eſt.
d. Alia fiſſura, eaque major, cujus partes per perioſteum tantum videntur cohaerere.

Fig. 4.

Eadem pars cranii, ab interiore exhibita, ut prominentia notabilis, per quam ſutura coronalis decurrit, conſpiciatur.

Fig. 5.

Eadem cranii pars, ſic exhibita, ut exactius pateat, quantopere introrſum preſſa ſint dicta oſſa. Conf. Sect. IV. N. LX. pag. 163.

Fig. 6.

Cranium foetus immaturi, vario modo morboſi, ob compreſſionem in utero materno male conformatum, viſum a latere dextro. Compreſſum hoc cranium in oſſibus frontis, verticis, parte ſquamoſa oſſis temporis, varios oſſificationis monſtrat defectus, & foramina, ſolâ membranâ clauſa. Extendunt ſeſe oſſa verticis retrorſum deorſumque tantopere, ut oſſis occipitis pars ſuperior a foramine magno retrorſum multum procurrat, & apex tantum ipſius, vix duas lineas longus, parum inflexus, a parte poſteriore conſpiciatur.

Fig. 7.

Idem cranium ab inferiore, ut oſſis occipitis ſitus ac conformatio tanto melius pateſcant. Vide Sect. IV. N. LXVI. pag. 164. & Obſervat. Anat. Pathologic. Lib. 3. cap. 1.

TABULAE XXXV.

Fig. 1.

Cranium infantis, qui labio leporino compoſito laboravit, ab inferiore exhibitum. Data ad N. LXIII. Sect. IV. pag. 163. deſcriptio, collata cum hac figura, abunde indicabit mutationes omnes, quae hic obtigerunt.

Conf. Obſervat. Anatom. Pathologic. Lib. 4. cap. 3. tab. 7.

Fig. 2. 3. 4. & 5.

Vario adſpectu a ſuperiore, ab inferiore, ab anteriore, & a latere dextro ſiſtitur cranium infantis, ita dicti acephali, cujus deſcriptionem exactisſimam dedi in Anatome infantis cerebro deſtituti. Conf. Sect. IV. N. LXV. pag. 164.

In gratiam eorum, quibus dicta anatome ad manus non eſt, breviter indicaſſe ſufficiat, quae in quaque figura exhibentur

Fig. 2.

Figura ſecunda in quoque latere & a priori ſupra oculorum cava exhibet marginem, quo os frontis deſinit, lamellas, quae oculorum cava a conceptaculo cerebri diſtinguunt, inter quas vix quicquam de cribriformi deliteſcit. Adſurgit multum baſis oſſis multiformis, cujus proceſſus priores inſolitum occupare videntur locum. A quoque latere hujus baſis cavitas eſt, quae omne, quod de cerebro degenerato ſupererat, recondiderat, facta praecipue ex proceſſibus lateralibus oſſis multiformis, ibique con-

ſpiciuntur foramina pro ramis ſecundis & tertiis quinti nervorum paris, & pro vaſis. Pone baſin multiformis cartilago eſt, cujus ope pars anterior oſſis occipitis cum hac baſi conjungitur. Partes petroſae oſſium temporum, quae deſcendunt, & verſus anteriora decurrunt in bene conformato cranio, multum adſurgunt, & in parte, nunc ſuperiore, conſpicitur foramen, quod intravit ſeptimum nervorum par. Inter illud foramen, atque ſupra nominata, aliud eſt, maxime contractum, per quod arteria carotis adſcendere debuit. Cum partibus poſterioribus horum oſſium petroſorum cohaerent, multum a ſe invicem remotae, partes laterales oſſis occipitis, & in ipſis illis oſſibus diverticulum adeſt, valde excavatum, unde vena jugularis interna ſanguinem accepit. Laterales cranii partes conſtitui ab oſſe occipitis, hac ex figura patet, confirmatque occipitis oſſis portionem ſuperiorem ad foramen magnum eſſe diviſam, alteram partem dextrorſum, alteram ſiniſtrorſum, ſecesſiſſe, & cum reliquiis partium ſquamaſarum oſſium temporum atque frontis cohaerere. In his etiam partibus adſunt fiſſurae, quae in maxima oſſis occipitis parte in foetu ſemper adeſſe ſolent. Recedunt praeterea multum ab invicem partes laterales oſſis occipitis, & hinc non niſi margo anterior foraminis magni ſupereſt, cui dens epiſtrophei accubuit. Partes omnes dictae melius in dextro, quam in ſiniſtro, latere apparent, quoniam in ſiniſtro relicta membrana eſt, quae partes omnes integebat.

Ad faciem ſi attendimus, frontis oſſis portiones duae, media linea diſtinctae, inter oculorum cava ſeſe multum extendunt, & cum naſi oſſiculis conjunguntur. In oculorum cavis, quae ea componunt, oſſa optime diſtinguuntur.

Fig. 3.

Idem cranium ab inferiore. Pone palatum oſſeum duae narium cavitates, medio vomere ſeparatae, apparent; ab horum lateribus proceſſus pterygoïdei oſſis multiformis, oſſium temporum annuli, tympani membranas continentes, partes mammillares oſſium temporum, a lateribus foramina, inter partes laterales oſſis occipitis, multum remotas, atque illas ejusdem oſſis portiones, in quas ſecesſit apex, ut & inter partes petroſas oſſium temporum. Oſſa petroſa inter ſe magnum relinquunt hiatum, ſeu ſulcum, exinde enatum, quod pars anterior oſſis occipitis, quae ſe inter dicta oſſa interſerit, & cum baſi multiformis conjungitur, multum ſurſum eſt protruſa, & illae oſſium petroſorum partes, quae cum dicto oſſiculo cohaerent, pariter adſcendunt, depreſſis partibus lateralibus. Loco condylorum, in partibus lateralibus oſſis occipitis ſemper praeſentium, pro nexu cum atlante, duae ſatis aequales, parum excavatae, ſunt ſuperficies, cum quibus prima vertebra Fig. 6. committitur.

Fig. 4.

Idem cranium ab anteriore. Maxilla inferior, ſolito majorem longitudinem, altitudinem, craſitiem habens, ſic eſt in lateribus compreſſa, ut latera haec ab anteriore vix dimidium pollicem diſtent, a poſteriore, quia ibi haec oſſa magis introrſum prominent, diſtan-

diſtantia etiam non adeo magna ſit. Unicum os totam conſtituit maxillam, linea tantummodo conſpicitur, quae nexum duarum partium, interventu cartilaginum, indicare videtur, ſed ad parvam tantum a margine alveolari diſtantiam levis fiſſura eſt, reliqna pars penitus concreta eminentem & acutiusculam lineam format. Maxillae ſuperioris oſſa a ſuſtentaculis oſſium jugalium inſigniter verſus anteriora ſunt promota, unde forma faciëi ab humana multum differt. Jugalia oſſa nimium deſcendunt. Foveae oculorum minus ſunt excavatae, & oſſa omnia, quae eas componunt, a ſtatu naturali alienam figuram monſtrant. Vertices oſſium maxillarium latera conſtituunt interna. Singulari ratione partibus ſuis inferioribus verſus foramina oculorum, ſuperioribus verſus nares ſunt promota oſſa plana, cum dictis oſſium maxillarium vertibus nexa. Inferiores foraminum oculorum partes conſtituunt ſola ferme oſſa jugalia, multum excavata, & verſus latera deorſum promota. Latera externa pro parte formant oſſa jugalia, pro parte os frontis, illae enim proceſſuum lateralium oſſis multiformis portiones, quae latera dictorum foraminum caeterum perficiunt, magis verſus partem ſuperiorem ſunt dimotae. Reliquas ſuperiores partes lamellae illae oſſis frontis formant, quae ſemper oculorum foramina a conceptáculo cerebri diſtinguunt, ſed hoc in capite vix duas octavas pollicis partes latae ſunt. Foramen in quoque cavo oculi non niſi unicum eſt, confluxerunt enim tria, quae adeſſe debuiſſent, quod opticum transmittit, lacerum, & quod verſus tempus tendit. A capite verſus latera duae quaſi alae ſecedunt, factae ex partibus ſquamoſis oſſium temporum, admodum parvis, & portionibus oſſis occipitis, in quas apex hujus oſſis diviſus eſt, quae partes in Fig. 5. melius apparent.

Fig. 5.

Idem cranium, a parte laterali dextra. Conſpiciuntur hoc in ſitu partes variae, os frontis, planum, vertex oſſis maxillaris ſuperioris, os unguis, proceſſus naſalis oſſis maxillaris ſuperioris, ejusdem oſſis corpus, maxillam ſuperiorem ſtricte dictam conſtituens, & alveolarem marginem formans, introitus narium, os jugale, proceſſus zygomatiçus oſſis temporis, ejusdem oſſis reliqua pars ſquamoſa, pars apicis oſſis occipitis. Apparent praeterea oſſa omnia, quae poſteriorem hujus cranii partem conſtituunt, pars lateralis oſſis occipitis, pars petroſa oſſis temporis, proceſſus lateralis oſſis multiformis, ejusdem oſſis baſis, lamella oſſis frontis, ſuperiorem cavi oculi partem conſtituens, & ejusdem oſſis margo, qui ſupercilium format. Sed hae partes omnes in Fig. 2. melius diſtinguuntur.

Fig. 6.

Atlas a parte ſuperiore. Partes ipſius laterales oſſeae ſuperficies monſtrant duas, parum prominulas, quae planitiebus, in partibus lateralibus oſſis occipitis, Fig. 3. depictis, ſeſe accommodarunt.

Fig. 7.

Fig. 7.

Atlas a parte inferiore. Duo hic adſunt ſinus pro nexu cum partibus lateralibus epiſtrophei. Arcus poſterior & hic & in Fig. 6. deëſt. Partes laterales oſſeae multum ab invicem receſſerunt, & deſinunt in mucronem tuberculatum.

Fig. 8. & 9.

Sex ſubſequentes colli vertebrae a poſteriore, & a latere. Partes laterales epiſtrophei multum a ſe invicem remotae ſunt, depreſſae praeterea, ſic ut ultra ſubſequentis vertebrae partes laterales deſcendant, in apicem obtuſum terminatae. Tertiae & quartae vertebrae partes laterales tenuiores, pro parte ſecundâ tectae, cartilaginis ope a parte poſteriore cohaerent. Quartae & quintae apices magis adſcendunt. Sexta atque ſeptima ſunt naturales.

TABULAE XXXVI.

Vertebrae dorſales plurimae ex ſceleto hominis, qui Scolioſi notabili laboravit, eum in finem a ſuperiore & inferiore parte exhibitae, ut mutationes, quas ſubierunt proceſſus articulares, ſeu obliqui adſcendentes & deſcendentes, cerni commode queant, & praeterea pateant degenerationes, quas tali in caſu in proceſſibus transverſis, dum hi coſtarum nexui inſerviunt, obſervare ſolemus.

Fig. 1.

Vertebra dorſi prima ab inferiore.

a. Proceſſus obliquus inferior, ſiniſter, naturali forma gaudens.

b. Idem proceſſus dexter, multum degenerans, & duabus gaudens ſuperficiebus, quarum altera interior c., altera inferior d.

Fig. 2.

Vertebra dorſi ſecunda a ſuperiore.

a. Proceſſus obliquus adſcendens, ſiniſter, qui ſe ad a. Fig. 1. accommodavit, & vix a forma naturali recedit.

b. Similis proceſſus dexter. Hic pariter duabus ſuperficiebus gaudet, ut b. Fig. 1. quarum altera c. ſurſum tendit, & cohaeſit cum c. Fig. 1.; altera d. retrorſum, ad proceſſum transverſum, & articulata fuit cum d. Fig. 1.

Fig. 3.

Vertebra dorſi ſecunda ab inferiore.

a. Proceſſus obliquus deſcendens ſiniſter iterum vix mutatus.

b. Dexter vero duas ſuperficies habet, alteram c. oblongam, ab inferiore & laterali parte conſpiciendam, ſeſe a proceſſu transverſo ad ſpinoſum extendentem; alteram d., ut in oppoſito latere ab interiore conſpicuam, & verſus anteriora directam.

Fig. 4.

Fig. 4.

Vertebra dorſi tertia a ſuperiore.

Proceſſus articulares ferme eodem modo ſeſe habent, ut in parte ſuperiore ſecundae Fig. 2., & ſeſe perfecte accommodarunt ad obliquos deſcendentes vertebrae ſecundae. Fig. 3. a. b. Hujus vertebrae proceſſus obliqui deſcendentes concreti ſunt cum obliquis adſcendentibus vertebrae quartae, hinc neque tertia haec vertebra ab inferiore, neque quarta a ſuperiore, delineari potuit.

Fig. 5.

Vertebra quarta dorſi ab inferiore.

Vix conſpicitur ad a. proceſſus obliquus ſiniſter. Multo autem major eſt, & inſolitam, admodum irregularem, formam habet obliquus dexter b. Cernitur ad c. pars ea ſinus, cum quo capitulum coſtae quintae fuit articulatum, qui ſinus a forma naturali etiam multum recedit.

Fig. 6.

Vertebra quinta dorſi a ſuperiore.

a. Proceſſus obliquus adſcendens ſiniſter.

b. Idem proceſſus dextri lateris.

c. Degeneratus ſinus, cum quo capitulum coſtae quintae fuit nexum.

d. Similis ſinus, ab inferiore ſuperficie corporis hujus vertebrae ſurſum ſeſe extendens, & praecedentem ferme attingens, pro nexu capitis coſtae ſextae.

e. Sinus in parte laterali dextra, eaque ſuperiore, cum quo capitulum coſtae quintae cohaeſit.

Fig. 7.

Eadem vertebra quinta ab inferiore.

a. Proceſſus obliquus deſcendens ſiniſter.

b. Dexter multo major.

c. Superficies d. Fig. 6. pro nexu capitis coſtae ſextae.

Fig. 8.

Vertebra ſexta dorſi a ſuperiore.

a. Proceſſus obliquus adſcendens ſiniſter.

b. Dexter proceſſus, qui iterum a forma ſolita multum recedit.

c. Pars arcus inter corpus & proceſſum transverſum multo tenuior, quam in latere oppoſito.

Fig. 9.

Eadem vertebra ſexta ab inferiore.

Proceſſus articulares a. & b. non adeo multum mutati ſunt. Dexter tamen b. majorem ſuperficiem habet, quam ſiniſter a. Ad c. cernitur ſuperficies, cum qua caput coſtae ſextae cohaeſit.

Fig. 10.

Vertebra dorſi ſeptima a ſuperiore.

Superficies corporis in latus ſiniſtrum eſt inclinata; tenuior hinc arcus in eodem latere. Superficies proceſſuum articularium a. b. ad ſimiles a. & b. Fig. 9. ſeſe accommodant. Haec iterum vertebra in latere ſiniſtro firmiter concreta eſt cum octava; octava cum nona; haec cum decima. Septimae ergo ſuperficies inferior, octava & nona plane non, & decimae pars inferior tantum potuit delineari.

Fig. 11.

Vertebra decima ab inferiore.

a. Proceſſus obliquus deſcendens dexter, vix mutatus. In vertebris jam delineatis proceſſus articulares ſiniſtri erant ferme naturales; in ſequentibus vero, dum curvatura in parte inferiore ſpinae alia eſt, dextri proceſſus articulares non adeo mutati ſunt, quam ſiniſtri.

b. Proceſſus obliquus deſcendens ſiniſter multum a naturali forma recedens.

Fig. 12.

Vertebra undecima a parte ſuperiore.

In hac rurſus talem mutationem ſubiit proceſſus articularis ſiniſter a., quum perfecte ſe accommodet ad obliquum deſcendentem b. vertebrae decimae Fig. 11. Dexter proceſſus articularis vix mutatus eſt.

Fig. 13.

Eadem vertebra undecima ab inferiore.

Mutatus maximopere proceſſus obliquus inferior ſiniſter, mutatus quidem dexter, ſed non adeo multum.

Fig. 14.

Vertebra dorſi duodecima a ſuperiore.

Maxima mutatio, quam ſubierunt proceſſus articulares, in latere ſiniſtro quaerenda, & hi cum transverſis ſingulari ratione confuſi.

Fig. 15.

Eadem vertebra duodecima ab inferiore.

Obliquus deſcendens ſiniſter a. longior, quam dexter b., aliamque ſuperficiem articularem habet. Proceſſus transverſi c. c. etiam degenerarunt.

TABULAE XXXVII.

Quatuor priores Figurae ſiſtunt vertebras duas lumborum ſupremas ejusdem ſpinae, cujus dorſales in tabula praecedenti ſunt delineatae.

Fig. 1.

Vertebra lumborum ſuprema a parte ſuperiore.
a. Proceſſus obliquus adſcendens dexter.
b. Idem ſiniſtri lateris, parum mutatus.
c. c. Tubercula, quae his vertebris praeter proceſſus transverſos d. d. in lateribus adſtant.

Fig. 2.

Eadem vertebra lumborum ſuprema ab inferiore.
a. b. Proceſſus obliqui deſcendentes.
c. c. Tubercula c. c. Fig. 1.
d. d. Proceſſus transverſi.

Fig. 3.

Vertebra lumborum ſecunda a dorſo, a ſuperiore.
a. b. Proceſſus articulares.
c. c. Tubercula, qualia adſtant etiam primae ſeu ſupremae lumborum vertebrae, c. c. Fig. 1. & 2.
d. d. Proceſſus transverſi.

Fig. 4.

Eadem vertebra ab inferiore.
a. b. Proceſſus obliqui deſcendentes.
c. c. Tubercula. Fig. 1. 2. 3. c. c.
d. d. Proceſſus transverſi.

Fig. 5.

Vertebrae omnes dorſales, ſuperiores duae lumborum, quarum, ferme omnium, proceſſus articulares degenerati, praecedenti & hac tabula, delineati ſunt, ſic compoſitae, ut qualem in vivente homine curvaturam formaverint, conſtet.

1. — 12. Vertebrae omnes dorſales.
13. — 14. Vertebrae duae ſupremae lumborum.
a. a. — o. o. Harum omnium vertebrarum proceſſus transverſi unius alteriusque lateris. Figuram ſuam mutarunt praecipue d. e. f. g. h. i. tum in uno, tum in altero, latere, cum, propter ſpinae incurvationem, coſtarum ſedes, nexus, forma etiam mutari debuerit, & ſuperficies illae, quae pro nexu coſtarum in illis proceſſibus dantur, aliam formam etiam acceperint.

p. p. Proceſſus obliqui deſcendentes vertebrae infimae dorſi, mobili articulo nexi cum adſcendentibus ſupremae lumborum.

q. q. Similis nexus obliquorum inferiorum vertebrae ſupremae lumborum & ſuperiorum ſubſequentis.

Fig. 6.

Eaedem vertebrae a parte poſteriore.

1.— 12. Vertebrarum dorſalium omnium arcus, quorum quisque in proceſſum ſpinoſum terminatur.

13. 14. Arcus vertebrarum duarum ſuperiorum lumborum.

a. a.— o. o. Proceſſus transverſales omnium harum vertebrarum.

p. Pars lateralis ſiniſtra corporis vertebrae ſecundae dorſi.

q. Pars lateralis ſiniſtra inferior corporis vertebrae tertiae dorſi, & ſuperior vertebrae quartae.

r. Pars lateralis ſiniſtra inferior vertebrae undecimae.

s. Articulatio proceſſus obliqui deſcendentis vertebrae undecimae, & adſcendentis duodecimae.

t. Pars lateralis ſiniſtra ſuperior corporis vertebrae duodecimae.

u. Pars lateralis ſiniſtra inferior ejusdem vertebrae.

v. v. Articulatio proceſſus obliqui deſcendentis vertebrae duodecimae, & adſcendentis decimae tertiae.

w. w. Similis nexus inter vertebras, decimam tertiam & quartam.

x. Pars lateralis dextra corporis vertebrae ſextae.

y. Pars lateralis dextra inferior corporis vertebrae ſeptimae, & ſuperior vertebrae octavae.

z. Lateralis dextra pars inferior corporis vertebrae octavae & ſuperior vertebrae nonae.

α. β. Similes partes corporum ſubſequentium vertebrarum.

γ. γ. Partes laterales ſiniſtrae vertebrae ſupremae lumborum.

δ. δ. Eaedem partes vertebrae ſubſequentis.

ε. ε. Hujus proceſſus obliqui deſcendentes.

Conf. Sect. IV. N. CIV. pag. 167.

TABULAE XXXVIII.

Fig. 1.

Vertebrae quatuor dorſales, ſexta, ſeptima, octava & nona, a latere ſiniſtro exhibitae, ut principium Scolioſeos appareat, & mutatio pateſcat, quam, incipiente hoc morbo, corpora vertebrarum ſubeunt.

6. 7. 8. 9. Vertebrae quatuor dorſales. Sextae & nonae corpus habet ſolitam craſſitiem; ſeptimae corpus in hoc latere ſiniſtro parum compreſſum, magis corpus octavae.

a. b. c. d. Harum vertebrarum proceſſus obliqui adſcendentes.

e. f. g. h. Proceſſus deſcendentes. Omnes liberi ſunt.

Proceſſus transverſi, & in his ſinus, cum quibus articulata fuerunt coſtarum capita, ut & proceſſus ſpinoſi, ſponte in oculos incurrunt.

Fig. 2.

Eaedem vertebrae dorſales quatuor, a latere dextro.

6. 7. 8. 9. Corpora ſextae, ſeptimae, octavae, & nonae vertebrae.

a. Lamella oſſea, quae ex parte inferiore corporis vertebrae octavae enata deſcendit, & ſe accommodat ad ſinum b. in parte ſuperiore vertebrae nonae, absque ut tamen concreverint invicem. Hoc pacto ſenſim degenerare, & dein confluere, ſolent vertebrarum corpora, & alterum alteri necti.

Vide Sect. IV. N. CV. pag. 168.

Fig. 3.

Vertebrae quatuor dorſales, maximam partem concretae per lamellam oſſeam, qualis lamellae initium cernitur Fig. 2. a.

a. Lamella oſſea, quae ab inferiore parte corporis vertebrae ſupremae ad ſuperiorem ſubſequentis tendit.

b. Similis inter vertebram ſecundam & tertiam.

c. Ejusdem naturae lamella inter vertebram tertiam & quartam. Haec multo latius ſeſe extendit.

d. Hiatus inter corpus vertebrae primae & ſecundae.

e. Similis inter vertebram ſecundam & tertiam.

f. Lamella oſſea, quae corpora vertebrarum, tertiae & quartae, nectit.

Fig. 4.

Eaedem vertebrae quatuor dorſales, a latere dextro.

Omnia corpora hoc in latere confluxerunt per lamellam oſſeam, quae a corpore unius ad corpus proximae vertebrae progreditur, ſic ut nullus hiatus pateat, qualis cernitur in latere oppoſito Fig. 3. d. e.

Conf. Sect. IV. N. CXXXII. pag. 171.

Fig. 5.

Corpora inter ſe confluere, ex Fig. 4. patet: idem autem locum habere quoad arcus vertebrarum hac icone demonſtratur. Siſtit enim tres infimas dorſi & ſupremam lumborum vertebras, concretas parte poſteriore arcuum.

1. 2. 3. Proceſſus ſpinoſi trium infimarum dorſi vertebrarum.

4. Similis proceſſus ſupremae lumborum vertebrae.

a. b. Oſſea ſubſtantia emiſſa ex arcu ſupremae vertebrae, quae cum ſuperiore parte arcus proximae vertebrae confluit. Idem locum habet in latere dextro.

c. c. Principia ſimilis oſſeae ſubſtantiae inter arcus ſecundae & tertiae vertebrae.

d. Confluxus ultimorum proceſſuum ſpinoſorum vertebrae primae & ſecundae. Conf. Sect. IV. N. CXXXIII. pag. 171.

Fig. 6.

Vertebrae duae cervicales invicem concretae & corporibus & proceſſibus articularibus. Corpus ſuperioris in latere ſiniſtro magis eſt compreſſum.

Fig. 7.

Eaedem vertebrae a parte poſteriore. Arcus usque ad proceſſus ſpinoſos, imo proceſſus etiam hi pro parte, confluxerunt; docentque proceſſus obliqui adſcendentes ſuperioris vertebrae, male etiam conformatam fuiſſe vertebram, quae cum hac olim cohaeſit.

TABULAE XXXIX.

Fig. 1.

Vertebrae lumborum tres, invicem concretae, non mutata forma naturali.

1. 2. 3. Corpora trium vertebrarum lumborum.

a. b. Vertebrae primae proceſſus obliqui adſcendentes.

c. d. Ejusdem vertebrae proceſſus transverſi.

e. f. Proceſſus transverſi vertebrae ſecundae.

g. h. Transverſi proceſſus vertebrae tertiae.

i. k. Duae lamellae oſſeae, quae corpora vertebrae primae & ſecundae invicem nectunt, ab uno corpore ad alterum procedentes, dum ipſa corpora libera ſunt, & hiatus inter illa conſpiciantur, quos ſubſtantia ligamentoſo-cartilaginea olim opplevit.

l. Similis lamella oſſea, quae vertebram ſecundam & tertiam nectit.

m. Principia varia ſimilis lamellae, ex parte anteriore & ſuperiore vertebrae tertiae enata.

Fig. 2.

Eaedem vertebrae, quae Fig. 1. exhibentur, a latere dextro.

a. b. Proceſſus obliqui adſcendentes vertebrae primae.

c. c. Obliquus deſcendens hujus vertebrae, quae cum adſcendente vertebrae ſecundae confluxit.

d. Proceſſus transverſus.

e. Spinoſus proceſſus, qui parte ſua inferiore confluxit cum proceſſu ſpinoſo h. vertebrae ſecundae.

f. Obliquus deſcendens proceſſus vertebrae ſecundae, quae non confluxit cum obliquo adſcendente i. vertebrae tertiae, ſed inaequali & irregulari ejus figurae ſeſe tamen accommodavit.

g. Hujus vertebrae proceſſus transverſus.

h. Spi-

h. Spinoſus proceſſus ejusdem, qui confluxit cum proceſſu ſpinoſo e. vertebrae primae, ſed a ſimili n. vertebrae tertiae pro parte liber eſt.

i. Proceſſus obliquus adſcendens vertebrae tertiae.

k. l. Ejusdem proceſſus obliqui deſcendentes.

m. Proceſſus transverſus.

n. Spinoſus proceſſus.

o. Lamella oſſea, quae corpora vertebrae primae & ſecundae connectit. Conferatur Fig. 1. i.

p. Similis lamella inter corpus vertebrae ſecundae & tertiae. Fig. 1. l.

q. Principia ſimilis lamellae. Fig. 1. m.

Fig. 3.

Eaedem vertebrae, quae Fig. 1. & 2. ſunt depictae, a latere ſiniſtro.

a. Lamella oſſea, quae corpora vertebrae 1. & 2. nectit. Fig. 1. k.

b. Similis lamella, quae nectit corpora vertebrae ſecundae & tertiae. Fig. 1. l.

c. d. Proceſſus obliqui adſcendentes vertebrae primae.

e. Proceſſus transverſus.

f. Spinoſus proceſſus, qui parte ſua inferiore penitus confluxit cum parte ſuperiore proceſſus ſpinoſi vertebrae ſecundae.

g. Obliquus deſcendens vertebrae primae.

h. Obliquus adſcendens vertebrae ſecundae. Qui ambo maximam partem confluxerunt.

i. Proceſſus transverſus vertebrae ſecundae.

k. Spinoſus proceſſus vertebrae ſecundae cum ſimili proceſſu f. vertebrae primae unam maſſam oſſeam conſtituens, pro parte cum ſimili proceſſu q. vertebrae tertiae cohaerens.

l. Proceſſus obliquus deſcendens vertebrae ſecundae.

m. Obliquus adſcendens vertebrae tertiae.

n. o. Ejusdem obliqui deſcendentes.

p. Proceſſus transverſus.

q. Spinoſus proceſſus.

Conf. Sect. IV. N. CXXIV. pag. 170.

Fig. 4.

Vertebrae lumborum tres, in latere dextro multum compreſſae, concretae, degeneratae, in latere ſiniſtro multum a ſe invicem recedentes. Exhibitae a latere dextro.

a. b. Proceſſus obliqui adſcendentes vertebrae primae.

c. Ejusdem vertebrae proceſſus transverſus dexter.

d. Proceſſus transverſus ſiniſter.

e. f. Proceſſus transverſi vertebrae ſecundae.

g. h. Similes proceſſus vertebrae tertiae.

i. k. Ejusdem vertebrae tertiae proceſſus obliqui deſcendentes.

l. Spinoſus proceſſus hujus vertebrae.

m. Lamella oſſea, quae maxime compreſſas & ad ſe invicem accedentes partes laterales dextras vertebrae primae & ſecundae nectit.

n. Tuber enatum ex nexu vertebrarum ſecundae & tertiae, ſurſum retrorſumque ſeſe extendens, ad lamellam m. etiam pertingens, ſed huic, licet pariter multum retrorſum promotae, non accretum.

o. Eminentia oſſea, inaequalis, ex parte inferiore vertebrae tertiae enata.

Fig. 5.

Eaedem vertebrae, quae Fig. 2. ſiſtuntur, ſed a latere ſiniſtro. Inter earum corpora, hoc in latere multo latiora, quam in dextro, hiatus ampli adſunt, quos ſubſtantia ligamentoſo-cartilaginea olim opplevit. In corpore primae cernuntur foramina duo, ſatis notabilia, in corpore ſecundae & tertiae alia minora.

a. a. Proceſſus obliquus adſcendens ſiniſter vertebrae primae.

b. Ejusdem vertebrae proceſſus transverſus.

c. Proceſſus transverſus vertebrae ſecundae.

d. Similis proceſſus vertebrae tertiae.

e. f. Proceſſus obliquus deſcendens vertebrae primae, & adſcendens vertebrae ſecundae, toti quanti a naturali forma recedentes, ſed non concreti.

g. h. Obliquus deſcendens vertebrae ſecundae & adſcendens vertebrae tertiae, ſimili modo degenerati, ſed parum ab invicem diſtantes.

i. Obliquus deſcendens proceſſus vertebrae tertiae.

k. Proceſſus transverſus dexter tertiae vertebrae.

l. Proceſſus articulares vertebrae primae & ſecundae dextri lateris.

m. Similes vertebrae ſecundae & tertiae.

n. o. p. Proceſſus ſpinoſi.

Fig. 6.

Vertebrae eaedem, quae Fig. 4. & 5. delineatae ſunt, ſed a parte poſteriore.

a. b. Proceſſus obliqui adſcendentes vertebrae primae.

c. d. Ejusdem vertebrae proceſſus obliqui deſcendentes.

e. f. Proceſſus transverſi.

g. Proceſſus ſpinoſus.

h. Pars lateralis ſiniſtra corporis vertebrae primae.

i. i. Lateralis ſiniſtra pars vertebrae ſecundae.

k. l. Vertebrae ſecundae proceſſus obliqui adſcendentes, parum a proceſſibus obliquis deſcendentibus vertebrae primae diſtantes.

m. Proceſſus obliquus deſcendens ſiniſter vertebrae ſecundae. Dexter hoc in ſitu, & ob maxime degeneratum proceſſum obliquum adſcendentem r. vertebrae tertiae, non conſpicitur.

n. o. Vertebrae ſecundae proceſſus transverſi.
p. Spinoſus proceſſus vertebrae ſecundae.
q. r. Vertebrae tertiae proceſſus obliqui adſcendentes.
s. t. Ejusdem proceſſus obliqui deſcendentes.
u. v. Ejusdem proceſſus transverſi.
w. Spinoſus vertebrae tertiae proceſſus.
x. Tuber enatum ex nexu vertebrarum ſecundae & tertiae. Fig. 4. n.
y. Eminentia oſſea inaequalis, ex parte inferiore vertebrae tertiae enata. Fig. 4. o.
De his Vide Sect. IV. N. CXXV. pag. 170.

TABULAE XL.

Fig. 1.

Vertebrae quinque, plenarie inter ſe concretae, ſic ut unam maſſam oſſeam conſtituant, a latere ſiniſtro.

1. 2. 3. 4. 5. Vertebrae quinque. Supremae & infimae non niſi pars eſt exhibita.

a. b. c. d. Lamella oſſea, quae ab uno corpore ad alterum accedens nexum eorundem vel plenarie, vel pro parte, ut inter vertebram tertiam & quartam, perficit.

e. f. g. h. Foramina quatuor, quibus exierunt nervi ſpinales.

Proceſſus articulares etiam ſunt concreti, ſed maximam partem una cum transverſis deſtructi. Spinoſi integri ſunt.

Fig. 2.

Eaedem vertebrae juxta longitudinem ſic diſſectae, ut pateat, non tantum confluxiſſe corpora, ſed praeterea eam, quae in naturali ſanoque ſtatu corpora inter ſe nectit, ſubſtantiam abiiſſe in ſimilem, qua ipſa corpora conſtant. Hac in ſectione praecipue hoc apparet inter vertebram ſecundam & tertiam, tertiam & quartam.

a. b. Corporis primae & ſecundae ſubſtantia interna.

c. Similis ſubſtantia, in quam abiit ligamentoſo-cartilaginea materies, inter duo corpora vertebrarum ſemper invenienda.

d. Corpus tertiae vertebrae diſſectum.

e. Subſtantia, quae hoc cum ſequenti nectit.

f. Media pars corporis vertebrae tertiae.

g. Similis ſubſtantia, ac c. & e.

Fig. 3.

Earundem vertebrarum ſectio alia, ut diſtinctio inter corpora, & ſubſtantia intermedia, tanto melius pateat.

a. Corpus vertebrae primae.

b. Superficies inferior hujus corporis.

c. Mutata ſubſtantia ligamentoſo-cartilaginea in ſimilem illi, qua conſtant corpora.
d. Superficies ſuperior vertebrae ſecundae.
e. Hujus vertebrae corpus medium.
f. Ejusdem vertebrae ſuperficies inferior.
g. Sequentis ſuperficies ſuperior. Inter f. & g. ſimilis degeneratio apparet, ac ad c.
h. Corpus medium vertebrae tertiae.
i. Subſtantia degenerata inter vertebram tertiam & quartam.
k. Similis inter vertebram quartam & quintam.
Vide Sect. IV. N. CXXXI. pag. 171.

Fig. 4.

Vertebrae tres dorſales, ſuis corporibus ſimili modo, ac praecedentes, cohaerentes, dum articulares proceſſus liberi ſunt: a latere dextro.

a. b. Subſtantia oſſea, quae vertebram primam & ſecundam, ſecundam & tertiam, invicem nectit, licet hoc in latere, non omni in loco, aeque perfecte.

c. d. e. Sinus, cum quibus capita coſtarum fuere nexa.

f. g. h. Proceſſus transverſi, & illae horum ſuperficies, quibus tubercula coſtarum acceſſerunt.

i. Proceſſus articulares vertebrae primae & ſecundae, invicem nexi, non concreti.
k. Similis nexus horum proceſſuum vertebrae ſecundae & tertiae.

Fig. 5.

Eaedem vertebrae tres dorſales, per longitudinem, ſerrae ope, ſic diviſae, ut confluxus corporum, & mutatio ligamentoſo-cartilagineae ſubſtantiae in raram, ſpongioſam, oſſeam, pateat.

a. Locus, ubi corpora vertebrae primae & ſecundae confluxerunt.
b. Ubi corpus vertebrae ſecundae & tertiae.
c. c. c. Arcus, etiam effuſa oſſea ſubſtantia conjuncti.
Conf. Sect. IV. N. CXVIII. pag. 169.

Fig. 6.

Vertebrae duae ſupremae colli, partibus ſuis anterioribus & lateralibus dextris firmiter concretae. Adhaeret globus plumbeus a., quem oſſea ſubſtantia ſic comprehendit, ut cum oſſibus indiſſolubili nexu cohaereat. Pars anterior arcus atlantis b. in dextro latere difformis, inaequalis, eminentiis variis hirta, concrevit cum vicina parte epiſtrophei c. c., cujus dens d. ab interiore non tantum cum eadem hac parte atlantis confluxit, ſed & in tuberculum inaequale deſinit, ultra partem ſuperiorem arcus anterioris atlantis multum prominens. Liber eſt proceſſus obliquus inferior atlantis e. ab adſcendente epiſtrophei f., imo diſtantia ſatis notabilis inter eosdem datur.

Fig. 7.

Fig. 7.

Vertebrae eaedem a latere dextro viſae.

a. Pars poſterior ſinus atlantis, quo condylus dexter oſſis occipitis fuit receptus.

b. Parva pars prominentis dentis epiſtrophei.

c. c. Radices duae proceſſus transverſi dextri atlantis.

d. Prominens maxime poſterior pars atlantis.

e. Pars media, eaque anterior, primae vertebrae.

f. Globus plumbeus, cum prima & ſecunda vertebra cohaerens, in ipſa ſubſtantia oſſea prehenſus.

g. Pars inferior corporis vertebrae ſecundae.

h. Ejusdem proceſſus transverſus.

i. Proceſſus obliquus deſcendens.

k. Spinoſus proceſſus.

TABULAE XLI.

Vertebrae dorſales octo invicem & cum duabus coſtis concretae, praeterea ſingulari modo contortae, ab anteriore in Fig. 1., a poſteriore in Fig. 2. exhibitae, ut progreſſus morbi pateat.

Fig. 1.

1. — 8. Corpora octo harum vertebrarum.

a. b. Proceſſus obliqui adſcendentes vertebrae primae, quorum dexter a. praeternaturalem habet figuram, docetque eam, cum qua nexus fuit, vertebram, etiam fuiſſe adfectam.

c. d. Ejusdem proceſſus transverſi.

e. Obliquus inferior dexter, qui cum obliquo ſuperiore f. vertebrae ſecundae penitus concretus eſt.

g. Transverſus proceſſus vertebrae ſecundae.

h. Ejusdem proceſſus obliquus inferior dexter & ſuperior vertebrae quartae.

i. Transverſus proceſſus vertebrae tertiae.

k. Obliquus inferior vertebrae tertiae, & ſuperior quartae, concreti.

l. Transverſus proceſſus vertebrae quartae. Quatuor illi proceſſus c. g. i. l. multum a ſolita forma & ſitu recedunt, quum corpora vertebrarum, hoc in latere craſſiora, quam in oppoſito, praeterea a ſe invicem non parum diſtant, adeo ut coſtarum & nexus & decurſus maxime inſolitus ſit.

m. Proceſſus transverſus ſiniſter vertebrae tertiae.

n. Similis vertebrae quartae.

o. Coſtae, maximopere deſcendentis, pars poſterior, capite ſuo diſformi a parte inferiore corporis vertebrae quartae parum remota, ſed cum vertebra quinta penitus concreta.

p. Cum iisdem vertebris in ſiniſtro latere firmiter concretae, & inſolito modo decurrentis, coſtae portio.

q. r. s. Proceſſus transverſi dextri vertebrae ſextae, ſeptimae, octavae.

t. u. v. Similes proceſſus earundem vertebrarum ſiniſtri lateris.

w. x. y. Processus obliqui deſcendentes vertebrae quintae, ſextae, ſeptimae, concreti, & confuſi cum adſcendentibus ſextae, ſeptimae, octavae.

z. Obliquus deſcendens ſiniſter vertebrae octavae, tantopere a ſolita figura recedens, ut ſubſequentis vertebrae obliquum adſcendentem etiam fuiſſe praeternaturalem conſtet.

α. Obliquus deſcendens dexter vertebrae octavae, naturali forma gaudens.

β. β. Confluxus corporum vertebrarum tertiae, quartae, & quintae in latere ſiniſtro, ubi pariter maxime ſunt compreſſa. Octava in utroque latere ferme eandem habet craſſitiem, ſeptima parum, ſexta plus, quinta & quarta multo magis in latere ſiniſtro, compreſſae ſunt, ſuperiores ſimul maxime intortae.

Fig. 2.

1. — 8. Proceſſus ſpinoſi octo harum vertebrarum.

a. — f. Confluxus arcuum vertebrarum ſex ſuperiorum plenarius.

g. Tuberculum oſſeum, quod ſeſe ex confluxu proceſſuum articularium y. vertebrarum ſeptimae & octavae ad ſpinam vertebrae ſeptimae extendit, & pariter ad arcum vertebrae octavae deſcendit, dum hic arcus caeterum a praecedenti arcu plane liber eſt.

h. — o. Proceſſus transverſi dextri vertebrarum ſecundae, tertiae, quartae, quintae, ſextae, ſeptimae, octavae. Vertebrae primae proceſſus transverſus dexter conſpici nequit; impedit hoc ejusdem vertebrae proceſſus ſpinoſus.

p. — w. Processus transverſi ſiniſtri omnium harum vertebrarum.

x. Confluxus proceſſus obliqui deſcendentis vertebrae ſextae & adſcendentis vertebrae ſeptimae.

y. Similis confluxus proceſſus deſcendentis vertebrae ſeptimae, & adſcendentis vertebrae octavae.

z. Obliquus deſcendens proceſſus vertebrae octavae, a ſolita figura multum recedens.

α. Pars corporis vertebrae primae.

β. Pars corporis vertebrae ſecundae.

γ. Coſta ſiniſtra cum ſuo proceſſu transverſo non concreta.

ε. ζ. η. ϑ. ι. Concretio plenaria proceſſuum articularium vertebrarum tertiae, quartae, quintae, ſextae, ſeptimae, octavae. Eidem illi proceſſus vertebrarum ſextae, ſeptimae, octavae, ab anteriore non plenarie concreti ſunt, ut ex Fig. 1. quodammodo conſtat.

Conf. Sect. IV. N. CXLVII. pag. 173.

EXPLICATIO.

TABULAE XLII.

Duabus figuris, & ab anteriore & a posteriore, sistuntur vertebrae dorsales novem, costaeque quatuor dextrae, tres siniſtrae, miro modo concretae & intortae. Gradus major est ejusdem morbi, & duplex spinae curvatura.

Fig. 1.

1. 2. 3. 4. 5. 6. Corpora vertebrarum sex inferiorum, quae, praecipue 3. 4. 5. 6. in latere dextro insigniter compressa plenarie concreverunt; in latere siniſtro latiora multum a se invicem distant, sic ut, deperdita intermedia substantia, hiatus relinquantur notabiles, praecipue inter 1. & 2.

a. Lamella ossea, quae partes laterales dextras vertebrae 1. & 2. nectit, ab unius corpore ad corpus alterius decurrens.

b. Processus articularis dexter vertebrae 1., quae cum simili processu proximae vertebrae cohaesit, vario sensu difformis.

c. Spinosus processus vertebrae 2.

d. Costa tota extenuata defigurata, cum vertebra 1. cohaerens.

e. f. g. Costae dextrae tres cum vertebris 3. 4. 5. 6. & inter se penitus concretae, vario etiam sensu a naturali forma recedentes, ab ipsa spina multum remotae.

h. h. Caries, quae partem lateralem vertebrae 3. & 4., costam e. & pro parte costam f. adfecit, & satis profunde in substantiam osseam penetravit.

7. 8. 9. Vertebrae tres alio modo intortae, quam quidem inferiores: partes siniſtrae corporum insigniter sunt compressae, dextrae latiores, & inter has hiatus magni supersunt.

i. k. l. Processus transversi siniſtri harum vertebrarum.

m. Processus vertebrae 9. transversus dexter.

n. o. Ejusdem vertebrae processus obliqui adscendentes.

p. q. r. Costae tres siniſtrae cum vertebris 7. 6. 5. 4. concretae, & sic inflexae, ut parum retrorsum tendant, mox vero ad spinam reflectantur, sic ut inter hanc illasque spatium angustum supersit, & sensim latitudine adauctae versus anteriora descendant.

Fig. 2.

a. b. c. d. e. f. g. h. Processus spinosi vertebrarum 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. Primae etenim vertebrae, situ infimae, pars lateralis siniſtra corporis, arcus & processus spinosus, perierunt.

i. Processus transversus siniſter vertebrae 2.

k. Similis processus vertebrae 3.

l. Pars corporis vertebrae 2. sic intorta, ut a posteriore conspiciatur.

m. Pars corporis vertebrae 3.

n. Sinus, cum quo costa cohaesit.

o. p. q. Proceſſus transverſi vertebrarum 4. 5. 6., cum quibus confluxerunt coſtae tres r. s. t.

u. Pars oſſea a coſta r. ad coſtam s. tendens, & has coſtas invicem nectens.

v. Proceſſus obliquus deſcendens dexter vertebrae 1.

w. Ejusdem vertebrae proceſſus transverſus dexter.

x. Proceſſus transverſus dexter vertebrae 2.

y. Idem proceſſus vertebrae 3.

z. Idem vertebrae 4.

α. β. γ. δ. ε. Proceſſus ſimiles vertebrarum 5. 6. 7. 8. 9.

ζ. η. Corpora vertebrarum ſic intorta, ut a parte poſteriore conſpiciantur.

ϑ. ι. κ. Coſtae dextrae tres cum vertebrarum 3. 4. 5. 6. corporibus, & proceſſibus transverſis y. z. α., ut & inter ſe, penitus concretae, a ſpina multum remotae, vario ſenſu a naturali forma & ſitu recedentes, ſic ut pars poſterior inferiorum ex his etiam recondatur ante eandem partem ſecundae. Vide Fig. 1. g. f. e.

λ. Coſta tota extenuata, defigurata, cum vertebrae 1. cohaerens.

μ. ν. ο. &c. Partes poſteriores arcuum vertebrarum, quae penitus confluxerunt. Vide Sect. IV. N. CXLVIII. pag. 174.

TABULAE XLIII.

Siſtuntur hac Tabula duo eaque notabilia exempla illius incurvationis ſpinae verſus anteriora, quam Cyphoſim dicere ſolemus.

Fig. 1.

Vertebrae dorſales ſex ex mediis, ſic cohaerentes invicem, nexu indiſſolubili, ut, ab anteriore, ſuperficies ſuperior ſupremae, inferior infimae ſolummodo conſpiciantur, quippe adeo complanatae, ut omnem amiſerint formam. Coſtae dextrae quatuor, duae ſiniſtrae cum iisdem concreverunt.

a. Superior ſuperficies vertebrae ſupremae.

b. Inferior ſuperficies vertebrae infimae.

c. c. Proceſſus obliqui adſcendentes vertebrae ſupremae.

d. d. Ejusdem proceſſus transverſales.

e. e. Proceſſus transverſi vertebrae ſecundae.

f. f. Similes proceſſus vertebrae tertiae.

g. Similis vertebrae ſextae dextri lateris.

h. h. Obliqui deſcendentes proceſſus vertebrae ſextae.

i. Ejusdem proceſſus ſpinoſus.

k. l. m. n. Coſtae quatuor dextrae, quae cum corporibus vertebrarum concreverunt, ſed a proceſſibus transverſis receſſerunt.

o. Lamella oſſea, cujus ope coſta ſecunda cum tertia cohaeret.

p. q. Coſtae duae ſiniſtrae, ſimili modo ac dextrae, cum vertebris concretae, ſed longe alio modo inflexae.

Fig. 2.

Vertebrae eaedem, a parte poſteriore delineatae.

a. b. c. d. e. f. Vertebrae ſex, quarum arcus latiores concreverunt invicem, & proceſſus ſpinoſi 1. 2. 3. 4. 5. 6. diſtinctiſſimi apparent.

g. g. Proceſſus obliqui adſcendentes vertebrae ſupremae.

h. h. Ejusdem proceſſus transverſi.

i. i. Proceſſus transverſi vertebrae ſecundae.

k. k. Similes tertiae. l. l. quartae. m. m. quintae. n. n. ſextae. Obliqui deſcendentes proceſſus vertebrae ſextae Fig. 1. h. h. hoc in ſitu in oculos non incurrunt, verſus anteriora quippe converſi.

o. Pars lateralis ſiniſtra corporum vertebrarum, quae in unam maſſam confluxerunt.

p. q. r. s. Coſtae quatuor dextrae, quae cum corporibus vertebrarum concreverunt, ſed a proceſſibus transverſis i. k. l. multum receſſerunt.

t. Proceſſus, ex ſecunda coſta emiſſus, qui tendit in proceſſum obliquum deſcendentem ſecundae vertebrae.

u. Lamella oſſea, cujus ope coſta ſecunda cum tertia cohaeret.

v. w. Coſtae duae ſiniſtrae.

Conf. Sect. IV. N. CLIV. pag. 175.

Fig. 3.

Vertebrae ſeptem dorſales infimae, lumbares ſuperiores, ſingulari plane ratione invicem concretae, & verſus anteriora inclinatae. A latere ſiniſtro.

a. Superior ſuperficies vertebrae ſupremae.

b. Inferior ſuperficies vertebrae infimae.

c. Confluxus corporum vertebrarum quinque intermediarum.

d. e. f. g. Superficies, cum quibus coſtae nonnullae cohaeſerunt.

h. i. k. l. m. n. Sex foramina pro totidem nervis ſpinalibus.

o. p. q. r. s. t. u. Proceſſus transverſales.

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. Proceſſus ſpinoſi.

v. Proceſſus obliquus adſcendens vertebrae ſupremae.

w. Similis deſcendens vertebrae infimae.

Fig. 4.

Eaedem vertebrae a latere dextro.

a. Superior ſuperficies vertebrae ſupremae.

b. Inferior vertebrae infimae.

c. Confluxus vertebrarum intermediarum.

d. e. f. g. Superficies, cum quibus coſtae nonnullae cohaeſerunt.

h. Foramen inter vertebram primam & ſecundam pro nervo ſpinali, hoc in ſitu non adeo conſpicuum, ac a latere ſiniſtro Fig. 1.

i. k. l. m. n. Quinque foramina, ſimili uſui deſtinata.

o. p. q. Proceſſus transverſales trium inferiorum vertebrarum. Superiores hoc in latere non adeo diſtingui poſſunt.

r. Proceſſus obliquus deſcendens dexter infimae vertebrae.

s. Obliquus adſcendens ſupremae.

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. Proceſſus ſpinoſi.

Vide Sect. IV. N. CLI. pag. 174.

TABULAE XLIV.

Fig. 1.

Vertebrae lumborum tres concretae, quarum media extra ſedem naturalem eſt propulſa.

a a. Vertebrae mediae corpus extra ſuum ſitum promotum verſus latus dextrum, amplitudinem inſignem habens.

b. Idem corpus vertebrae mediae, hoc in loco tenuiſſimum.

c. Vertebra ſuprema, multum verſus latus, magis adhuc verſus anteriora, vergens.

d. Superficies ſuperior ſupremae vertebrae ſatis aequalis.

e. Similis ſuperficies infimae.

Fig. 2.

Eaedem vertebrae, quae in Fig. 1. ab anteriore ſunt depictae, a parte laterali ſiniſtra.

a. Corpus ſupremae.

b. Corpus infimae.

c. Vix notabilis pars vertebrae mediae.

d. e. Proceſſus articulares, qui in figura quidem videntur eſſe concreti, ſed tamen liberi ſunt.

Fig. 3.

Eaedem vertebrae a latere dextro.

a. Vertebrae ſupremae corpus.

b. Vertebra infima.

c. Mediae vertebrae, loco ſuo expulſae, pars ampliſſima.

d. d. Proceſſus articulares, maximam partem concreti.

Vide Sect. IV. N. CXXVII. pag. 170.

Fig. 4.

Vertebrae tres inferiores lumborum cum oſſe Sacro concretae, & per cariem magnam partem deſtructae, delineatae ab anteriore.

a. Cor-

a. Corpus vertebrae lumborum mediae ſeu tertiae, duobus in locis exeſum.
b. b. Proceſſus obliqui adſcendentes hujus vertebrae.
c. c. Ejusdem proceſſus transverſales.
d. Spinoſus proceſſus.
e. e. Proceſſus transverſales vertebrae penultimae, cujus corpus periit.
f. f. Vertebrae ultimae iidem proceſſus. Et hujus corpus periit.
g. g. g. Pars ſuperior oſſis ſacri, multum carioſa.

Fig. 5.

Eadem oſſa a parte poſteriore.
a. a. Vertebrae mediae lumborum proceſſus obliqui adſcendentes.
b. Proceſſus ſpinoſus.
c. c. Transverſi proceſſus.
d. d. Proceſſus obliqui deſcendentes dictae vertebrae cum obliquis adſcendentibus ſequentis concreti.
e. e. Proceſſus transverſi vertebrae penultimae.
f. Proceſſus ſpinoſus ex medio arcu prodiens.
g. g. g. g. Lamellae oſſeae, ex arcu vertebrae mediae in arcum penultimae deſcendentes, & ex hujus arcu in arcum ultimae tendentes.
h. h. Proceſſus transverſi ultimae vertebrae.
i. i. Articulares proceſſus vertebrae penultimae, concreti cum illis ultimae.
k. Proceſſus ſpinoſus vertebrae ultimae.
l. l. Obliqui deſcendentes proceſſus ultimae vertebrae cum adſcendentibus oſſis ſacri concreti.
m. m. Scutum, quod partem poſteriorem oſſis ſacri conſtituit.

Fig. 6.

Eadem oſſa a parte laterali dextra.
a. Corpus mediae vertebrae lumborum. Sequentia duo perierunt.
b. Proceſſus obliquus adſcendens dexter.
c. Proceſſus transverſus.
d. Spinoſus proceſſus.
e. Similis proceſſus vertebrae penultimae.
f. Ultimae ſpinoſus proceſſus.
g. h. i. Dictarum vertebrarum proceſſus articulares, concreti inter ſe & cum ſacro.
k. Pars lateralis oſſis ſacri, quae cum oſſe innominato nectitur.
l. Fovea, quae ſemper pone hunc nexum datur.
Vide Sect. IV. N. CLVIII. pag. 176.

TABULAE XLV.

Fig. 1.

Os ſacrum inſignis latitudinis, cujus canalis medius, medullae ſpinalis finem olim continens, contra naturam maxime dilatatus eſt. Pars anterior ſerrae ope juxta longitudinem ſic eſt a parte poſteriore diviſa, ut duae hae partes ſeparatim exhiberi potuerint. Primâ hac figurâ ſiſtitur pars anterior. Canalis pone corpus vertebrae primae deſcendens juſtae eſt capacitatis, a foraminibus autem duobus ſuperioribus, deorſum procedendo, non, ut ſolet, anguſtatur, ſed ſenſim ſenſimque ampliatur. Ubi vero tertia foramina attigit, coanguſtatur, & rotundulo quodammodo margine infra foramina ultima terminatur. Lamella oſſea, quae canalem ab anteriore claudit, eſt tenuiſſima. Pars autem canalis dilatata duos pollices longa ſesquipollicem lata eſt. In partibus lateralibus, per quas ſerra tranſiit, ſubſtantia media oſſis conſpicitur.

Fig. 2.

Ejusdem oſſis ſacri pars poſterior ab interiore. Canalis pars ſuperior magis hac in portione expanſa eſt. Tenuiſſima lamella exiſtit, quae ſcutum format. Subſtantia oſſis inter utramque lamellam in lateribus ſpongioſa apparet.

Fig. 3.

Partis anterioris ejusdem oſſis ſacri latus dextrum, ſic diviſum a latere oppoſito, ut ſerra tranſierit per medium canalem. Vertebrae primae corpus, ſatis craſſum, ſimilem internam fabricam monſtrat, ac in partibus lateralibus in Fig. 1. & 2. depicta eſt. Hoc a ſecundae vertebrae corpore diſtinguitur hiatu, quem cartilagineo-ligamentoſa ſubſtantia olim opplevit. Hoc corpus ſenſim extenuatur. De tertiae vertebrae corpore vix quicquam, de quartae corpore nihil cernitur, quintum vero craſſius exiſtit.

Conf. Sect. IV. N. CLIX. pag. 176.

Fig. 4.

Os ſacrum hominis adulti. Scutum a parte poſteriore totum hiat. Cernitur itaque pars anterior canalis, qui medullam ſpinalem continuit, & ipſe juſtae eſt capacitatis.

Vide Sect. IV. N. CLX. pag. 176.

Fig. 5.

Os ſacrum adulti, cujus pars inferior olim fracta ſic concrevit cum parte ſuperiore, ut angulum ferme rectum formet, & paulo infra foramen tertium calli effuſi margo conſpiciatur, qualis a parte poſteriore etiam cernitur.

Vertebra prima ab altero latere, ut & toto ſuo corpore, a reliquo oſſe diſtat, ſupernumeraria eſſe videtur, &, etiamſi tolleretur, integrum eſſet os ſacrum. Foret

hoc ſatis facile; nam, dum in ſiniſtro latere ab anteriore unum idemque os cum reliquo ſacro facere videatur, hiatus a parte poſteriore adeſt ſatis profundus.

Conf. Sect. IV. N. CLXXXII. pag. 178.

Fig. 6.

Pars major oſſis ſacri adulti hominis, quod fracturam olim ſubiit, ab anteriore, ſic exhibita, ut pateat, qualem angulum pars ſuperior cum inferiore tali in caſu faciat; quem angulum in Fig. 5. adeo exacte depingere non licuit, quoniam vertebra ſupernumeraria ſimul videbatur debere oculis offerri.

Fig. 7.

Pars oſſis ſacri hominis adulti, quod olim fuit diffractum. Angulum rectum formari, quod continuo inferior pars introrſum prematur, ex hoc laterali hujus oſſis adſpectu abunde liquet.

TABULAE XLVI.

Fig. 1.

Sternum hominis adulti, cujus partes omnes concreverunt. Inferior pars inſignem habet latitudinem, & in plures apices deſinit.

Fig. 2.

Idem os ſerrae ope ſic diviſum, ut interior ſubſtantia cernatur, quam rite cognoviſſe in explicanda natura morborum, qui hoc os afficere ſolent, & inſtituenda eorum curatione, ſummopere neceſſarium.

Conf. Sect. IV. N. CLXXXVI. pag. 178.

Fig. 3.

Sternum viri adulti. Partes ipſius omnes etiam confluxerunt. Superior verſus latus dextrum, ubi coſta prima adhaeſit, multo latior eſt. Media non longe a parte inferiore rotundulum foramen habet. Tertia terminatur in apices duos acutos, alterum latiorem, longiorem, alterum breviorem, magis acutum.

Conf. Sect. IV. N. CLXXXVII. pag. 179.

Fig. 4.

Sternum ſingularis conformationis feminae adultae. Longitudo parum ultra quatuor pollices eſt; latitudo ferme ubique duos ſuperat. Siſtit unum os, nec unquam videtur fuiſſe diviſum in oſſa minora. Admodum convexum eſt. Pars inferior deſinit in duos apices, quorum utrique pars cartilaginea adhaeret.

Vide Sect. IV. N. CXCII. pag. 179.

TABULAE XLVII.

Fig. 1.

Vertebrae ſex ſuperiores dorſales cum adhaerentibus coſtis quatuor, ab anteriore.

1. 2. 3. 4. 5. 6. Vertebra prima dorſi & quinque ſubſequentes. Prima a ſecunda libera eſt. Subſequentes corporibus ſuis confluxerunt.

a. Talis vertebrae ſecundae & tertiae concretio, ut diſtinctionis nota nulla appareat.

b. c. Lamellae oſſeae, quae ſubſequentium vertebrarum corpora nectunt.

d. Coſta prima dextra, capite ſuo a vertebra prima libera.

e. Ab hac coſta emiſſus proceſſus, qui cum proceſſu transverſo ultimae cervicis vertebrae videtur cohaeſiſſe.

f. f. Cohaeſio coſtae primae & ſecundae ad longitudinem ſesquipollicis, per ſubſtantiam oſſeam, duplici foramine pertuſam. Fig. 2. f.

g. Caries notabilis in parte anteriore hujus coſtae.

h. Coſta ſecunda, quae pariter capite ſuo libera eſt a vertebra.

i. Tertia coſta ſiniſtra.

k. Quarta. Haec non longe a curvamine ſuo videtur fuiſſe fracta.

Fig. 2.

Eaedem vertebrae ſex ſuperiores dorſales cum adnexis coſtis quatuor, a parte laterali dextra, quo adſpectu coſtae longe aliam directionem habere videntur.

1. 3. 4. 5. 6. Vertebra prima, tertia, quarta, quinta & ſexta. Secunda tota, primae pars inferior, tertiae ſuperior, coſtis dextris obteguntur. Corpora non tantum cohaerent, ſed & proceſſus articulares.

a. Coſta dextra prima.

b. Coſta ſecunda.

c. Concretio coſtae primae cum proceſſu transverſo primae vertebrae.

d. Proceſſus, ex hac coſta emiſſus, qui videtur cohaeſiſſe cum proceſſu transverſo ultimae cervicis vertebrae.

e. Confluxus coſtae ſecundae cum proceſſu transverſo vertebrae ſecundae.

f. Cohaeſio coſtae primae & ſecundae. Fig. 1. f.

g. Caries notabilis in parte anteriore coſtae primae.

h. i. Tertia & quarta coſta ſiniſtra.

Conf. Sect. IV. N. CXLVI. pag. 173.

Fig. 3.

Duae coſtae ex infimis, quae ad longitudinem ſesquipollicis per mediam ſubſtantiam oſſeam nexae ſunt.

Fig. 4.

Fig. 4. & 5.

Coſtae duae ab interiore & ab exteriore, quae loco, non multum ab earundem curvaminibus diſtante, ſic invicem ſunt nexae, ut altera, eaque inferior, collo ſuo cum corpore ſuperioris concreta, capite ultra corpus ſuperioris promineat.

Fig. 6.

Pars coſtae dextrae, ex cujus medio margine ſuperiore oſſea lamella tenuis naſcitur, ſurſum ſeſe extendens, & ad coſtam vicinam progrediens.

Fig. 7.

Coſta ſiniſtra, ex cujus margine ſuperiore lamella oſſea ſatis lata adſurgit, quae proxime ſuperiorem coſtam attigit, aut etiam cum ea cohaeſit.

De his conferantur dicta ad Sect. IV. N. CXCVII. pag. 180.

TABULAE XLVIII.

Fig. 1.

Coſtae quatuor dextrae mediae hominis adulti, ab interiore. Partes poſteriores inter capita atque tubercula concretae ſunt per totam longitudinem colli.

Fig. 2.

Eaedem coſtae a parte exteriore. Praeter dictam concretionem, hoc in ſitu cernitur, mutata etiam fuiſſe tubercula, quae cum proceſſibus transverſis vertebrarum cohaeſerunt, ſic ut vertebrae absque dubio praeternaturalem etiam habuerint formam.

Conf. Sect. IV. N. CXCVIII. pag. 180.

Fig. 3. & 4.

Coſtae dextrae mediae quatuor hominis adulti, ab exteriore, & interiore. Circa longitudinem ſuam mediam concretae ſunt inter ſe; ſuprema cum ſecunda ad longitudinem duorum pollicum; ſecunda cum tertia, tertia cum quarta ad longitudinem ſesquipollicis. Inter ſupremam & ſecundam datur foramen ſatis magnum, aliudque minus, non adeo facile in oculos incurrens. Sect. IV. N. CXCVII. pag. 180.

Fig. 5. & 6.

Exemplum fracturae claviculae, hic delineatae, ut locus inter coſtas vacuus adimpleretur, dicitur enim de ea ad Num. DXLV. Sect. IV. pag. 223. Fractura ſic ſanata eſt, ut clavicula ferme recta ſit, in loco fracturae autem multae admodum conſpiciantur inaequalitates, tubercula, longa, ſubrotunda, ultra reliquam ſuperficiem multum prominentia.

TABULAE XLIX.

Fig. 1. & 2.

Coſta prima dextra hominis adulti, quae duo plane diſtincta capita habet. Ab exteriore & ab interiore.

Conf. Sect. IV. N. CCVIII. pag. 181.

Fig. 3.

Coſta ſiniſtra verſus partem anteriorem ſesquipollicem lata, & in duos apices deſinens, quorum utrique diſtincta adhaeſit cartilago, in unam terminata.

Deſcribitur Sect. IV. N. CCI. pag. 179.

Fig. 4. & 5.

Coſtae ſiniſtrae duae ex ſuperioribus hominis adulti, delineatae a parte poſteriore & exteriore, a parte poſteriore & interiore. Collum utriusque per mediam ſubſtantiam oſſeam, ſatis craſſam, cohaeret. Vide Sect. IV. N. CXCIX. pag. 179.

Fig. 6. & 7.

Coſta dextra ſexta hominis adulti per cariem & ab exteriore & ab interiore, penitus exeſa, & mire deformata. Conf. Sect. IV. N. CCI. pag. 179.

TABULAE L. LI. LII. LIII.

Hactenus delineatae ſunt vertebrae, coſtae, ſternum, & eae mutationes, quas ſenſim increſcentes ſpinae incurvationes in diverſis illis partibus producere ſolent. Harum cognitio erat neceſſaria, ut illae incurvationes, Scolioſis ac Cyphoſis dictae, intelligi queant, & explicari phaenomena, quae in diverſis aegris pro varia curvatura ipſius columnae vertebrarum, & inde proſequente mutatione thoracis, produci ſoleant. Sequuntur nunc toti trunci, qui docent non tantum, quid talibus in caſibus quoad oſſa locum habeat, quali modo ſitus viſcerum, vaſorum decurſus, mutetur, ſed etiam fundamentum ſternunt, quo ſuperſtrui rationalis horum adfectuum cura valeat, in qua quotidie cum maxime errant illi, quibus vera natura mali non rite eſt perſpecta.

Tabulis itaque L. LI. LII. LIII. ſiſto ab anteriore, a poſteriore, a latere dextro, & a latere ſiniſtro, truncum feminae, quae ſcolioſi laboravit, ulterius deſcriptum Sect. IV. N. CCX. pag. 182.

Ampla pelvis eſt, ſolito latius os ſacrum. Vertebrae lumborum, in latere dextro multum compreſſae, verſus illud latus vergunt. Ductum hunc ſequuntur dorſales ad quintam coſtam dextram a ſuperioribus, ſimiliter admodum intortae. Tum vertebrae dorſales verſus latus ſiniſtrum vergunt, & jam pars ſinuata ſpinae, antea in latere ſiniſtro, in latere dextro eſt, ſimulque verſus poſteriora ſic intorquentur vertebrae, ut nexus coſta-

coſtarum dextrarum ab anteriore conſpiciatur. Vertebrae cervicales ſiniſtrorſum tendunt. Miro modo a forma naturali, omnium coſtarum ſitu mutato, recedit thoracis capacitas. Coſtae dextrae, multum applanatae, partibus ſuis poſterioribus retrorſum inſigniter prominent, dein corporibus vertebrarum ſic appreſſae ſunt, ut ſpatium nullum interſit. Aliam figuram acquiſiverunt coſtae ſiniſtrae, longiores ſunt, tenuiores, &, ſibi appreſſae, introrſum protruſae, hoc latus concavum reddunt. Sterni ſitus hinc etiam inſolitus eſt.

TABULAE LIV. & LV.

Truncus feminae adultae inſigni ſcolioſi laborans, a latere dextro & ſiniſtro exhibitus. Pelvis etiam ampliſſima eſt. Lumbi inſigniter verſus latus dextrum vergunt, ſed dein ſpina tantopere verſus latus ſiniſtrum inclinat, ut vere deſcendat, & quarta vertebra dorſi a collo tantummodo unum pollicem & duas octavas partes diſtet a corpore ſupremae lumborum vertebrae. Ab hoc loco iterum parum ſurſum curvatur ſpina. Coſtae hinc aliam in uno, aliam in altero, latere ſubierunt mutationem, longe diverſam ab ea, quam in praecedenti trunco delineavi, ex figuris, collatis cum deſcriptione pleniore, Sect. IV. N. CCXI. pag. 183. data, facile cognoſcendam.

TABULAE LVI.

Truncus puellae, quoad mutationem thoracis, eodem in morbo, a praecedentibus admodum diverſus. Spina primum dextrorſum, dein ſiniſtrorſum, inflexa eſt, & ſimul multum contorta, ſic ut proceſſus ſpinoſi verſus latus ſiniſtrum dirigantur. Coſtae verſus anteriora ferme transverſo ductu procedunt, & ſternum inſigniter protrudunt, ſic ut hoc a ſpina multum diſtet. Conf. Sect. IV. N. CCXII. pag. 184.

TABULAE LVII.

Truncus hominis, qui in ſolis lumbis ſcolioſi laboravit, admodum notabilis, cujus exactam deſcriptionem dedi Sect. IV. ad N. CCXII. pag. 185., hac tabula ab anteriore delineatus.

a. Os ſacrum.
b. Vertebra lumborum quinta.
c. Hujus vertebrae proceſſus transverſus dexter.
d. Ejusdem proceſſus transverſus ſiniſter.
e. Vertebra quarta lumborum.
f. Proceſſus transverſus hujus vertebrae dexter.
g. Siniſter proceſſus transverſus.
h. Vertebra lumborum tertia, cujus proceſſus transverſi hoc in ſitu non cernuntur.
i. Vertebra lumborum ſecunda.
k. Proceſſus transverſus dexter.
l. Vertebra lumborum prima.

m. Proceſſus transverſus dexter, qui inſolitam monſtrat figuram, cum per partes membranaceas adhaerentes pars tantum ipſius transparet.

n. Vertebra dorſi duodecima. o. undecima. p. decima. q. nona.

r. Coſta ſpuria ultima dextra.

s. Proceſſus transverſus duodecimae dorſi vertebrae, a quo multum receſſit dicta coſta.

t. Coſta undecima. u. decima.

v. w. x. y. Coſtae duodecima, undecima, decima, nona, ſiniſtrae.

z. Pars inferior ſterni, ſecedens iu duas cartilagines enſiformes.

TABULAE LVIII.

Idem truncus a parte poſteriore.

a. Coccyx.

b. Pars inferior oſſis ſacri.

c. c. Partes hujus oſſis ſuperiores.

d. Proceſſus ſpinoſus vertebrae lumborum infimae.

e. Nexus proceſſus obliqui deſcendentis dextri cum adſcendente oſſis ſacri. In oppoſito latere nexus hic non adeo in oculos incurrit.

f. Proceſſus transverſus dexter ejusdem vertebrae.

g. Nexus obliqui deſcendentis proceſſus quartae cum adſcendente quintae.

h. Proceſſus ſpinoſus quartae.

i. Nexus obliqui deſcendentis quartae cum adſcendente quintae in latere ſiniſtro.

k. Ejusdem proceſſus transverſus ſiniſter.

l. Ejusdem proceſſus transverſus dexter.

m. Proceſſus ſpinoſus tertiae vertebrae.

n. Ejusdem vertebrae corpus.

o. Corpus vertebrae ſecundae.

p. Corpus vertebrae primae.

q. Proceſſus ſpinoſus vertebrae ſecundae.

r. Vertebrae primae proceſſus idem.

s. t. u. Nexus proceſſuum articularium vertebrae ſecundae cum tertia, primae cum ſecunda, duodecimae dorſalis cum prima lumborum, ita confuſorum, ut deſcribi non poſſint.

w. x. y. z. Proceſſus ſpinoſi vertebrarum duodecimae, undecimae, decimae, nonae dorſalium.

α. α. Proceſſus transverſi duodecimae vertebrae dorſi.

TABULAE LIX. & LX.

Truncus integer, vario ſenſu maxime notabilis, hominis, qui a latere dextro claudicavit, cyphoſi, ſcolioſi, oſteoſteatomate in lumborum latere ſiniſtro laboravit; cujus ſpina, pelvis, thorax, hac de cauſa ſunt vitiata; cui una alteraque coſta

fuit

fuit fracta, & cartilagines multarum offificatae. Ampla ſatis deſcriptio, Num. CCXIII. Sect. IV. pag. 188. data, collata cum hiſce tabulis, quibus & ab anteriore & a poſteriore hic truncus oculis ſubjicitur, ſufficiat, ut omnes, quas ſubiit mutationes, rite intelligantur. Innominatum os dextrum delineatum eſt Tab. LXVIII. Fig. 4., ut ſinus in oſſe ilium, in quem ſeſe recepit caput oſſis femoris, melius pateſcat, quam ille exhiberi potuit, ab interiore in Tab. LIX., ab exteriore in Tabula LX.

TABULAE LXI.

Fig. 1.

Vertebrae duae dorſales infimae, lumborum omnes, os ſacrum, & os coxae ſiniſtrum, ſic concreta invicem, ut unum os referant.

11. 12. Corpora vertebrarum, undecimae & duodecimae dorſi, libera, nec inter ſe, nec cum ſuprema lumborum, concreta.

1. 2. 3. 4. 5. Corpora vertebrarum lumborum, invicem cohaerentia.

a. Os ſacrum, cujus pars tantummodo ſuperior delineata eſt.

b. c. d. e. f. Partes oſſeae, quae corpora vertebrarum lumborum, & inter ſe, & ultimam cum ſacro ab exteriore nectunt, dum intrinſecus libera ſunt, ut Fig. 3. oſtenditur.

g. Confluxus oſſis ſacri cum innominato per cruſtam oſſeam, ab interiore hac parte tantummodo conſpiciendam.

Fig. 2.

Eorundum oſſium, penitus concretorum, conſpectus lateralis.

11. 12. Undecima & duodecima dorſi vertebra. Corpora harum libera ſunt, ſed proceſſus articulares a. b. concreverunt firmiter.

c. d. Earundem vertebrarum proceſſus ſpinoſi.

e. Proceſſus obliquus ſuperior ſiniſter; dexter deſtructus eſt.

f. Undecimae vertebrae proceſſus transverſus.

g. Similis proceſſus vertebrae duodecimae.

1. 2. 3. 4. 5. Vertebrae lumborum.

h. i. k. l. m. Confluxus horum corporum in parte laterali.

n. o. p. q. r. Proceſſus obliqui adſcendentes & deſcendentes concreti non tantum, ſed etiam difformes.

s. t. u. v. w. x. y. Transverſi proceſſus, qui partim deſtructi inſtar parvorum tuberculorum ſeſe exhibent.

Fig. 3.

Vertebrae lumborum verſus anteriora multum prominent, & curvaturâ, quam faciunt, ad oſſa pubis accedunt. Corpora inſignem acquiſiverunt craſſitiem; a poſteriore autem ſunt compreſſa, adeo ut proceſſus ſpinoſi vertebrarum fere omnium parum juxta ſe deſcendant, & hoc praeparatum ſiſtat exemplum illius incurvationis, quam Lordoſin vocant. Vergit tamen praeterea ſpina, ut ex Fig. 1. apparet, in latus dextrum.

Fig. 3.

Sectio talis vertebrae ſecundae, tertiae, quartae, quintae, & oſſis ſacri, ut ipſa corpora media diviſa ſint, ſimulque ſpinoſi proceſſus vertebrae tertiae & ſubſequentium ablati.

1. 2. 3. 4. 5. Vertebrae quinque lumborum.

a. b c. d. Lamellarum oſſearum, quae corpora harum vertebrarum, quae ultimam cum ſacro, ab anteriore & in lateribus connectebant, partes anteriores. Pone eaſdem hiatus ſatis ampli conſpiciuntur, quos cartilagineo-ligamentoſa ſubſtantia opplevit. Inter illos hiatus corporum media ſubſtantia poroſa, ut ſemper eſſe ſolet, depicta eſt.

e. f. Os ſacrum, cujus interior ſubſtantia apparet.

g. h Canalis pro medulla ſpinali in vertebris lumborum, in quem hiant foramina, dextros nervos lumbares olim transmittentia.

i. Idem canalis, ubi decurrit per os ſacrum. Collata craſſitie partis anterioris hujus oſſis ſacri & capacitate canalis cum Fig. 1. 2. 3. Tab. XLV., tanto melius memoratae ibi degenerationes intelliguntur.

Conf. Sect. IV. N. CCXIV. pag. 189.

TABULAE LXII.

Fig. 1.

Pelvis feminae adultae, admodum ampla, ſed tota tenuiſſima, leviſſima.

a. Sacrum os, inſignis latitudinis, concretum cum utroque oſſe innominato b. b. interventu ſubſtantiae, inter ipſa oſſa productae.

c. c. Pubis oſſa, conſumta penitus cartilagine intermedia, a ſe invicem remota.

d. d. Acetabula admodum profunda. In ſiniſtro pars ea, cui glandula mucipara accubuit, admodum extenſa, excavata, foraminulenta.

e. e. Tubera oſſium iſchiorum applanata.

f. Foramen ovale dextrum praeternaturalis formae.

g. g. Ora ſuperior pelvis prope acetabulum. Ab hac ora diſtantia ad infimam tuberis oſſis iſchii partem eſt, in latere dextro, duorum pollicum & trium octavarum partium, in ſiniſtro ferme trium pollicum.

h. h. Rami adſcendentes oſſium pubis admodum tenues.

i. Lamella oſſea, quae ex dicto ramo dextro adſcendit ante foramen ovale, & pro parte ante acetabulum, pollicem & unam octavam pollicis partem lata, duos longa.

k. Similis lamella in latere ſiniſtro, ſed multo minor; totus hujus oſſis margo h. e. k. incurvus eſt, multasque eminentias habet inſignes.

Fig. 2.

Ejusdem pelvis os coxae dextrum, ſic delineatum, ut lamella oſſea Fig. 1. i. illiusque ſitus reſpectu aliarum partium pateat.

Fig. 3.

Fig. 3.

Pelvis ejusdem os coxae ſiniſtrum, tali in ſitu depictum, ut inaequalitates, eminentiae, ex ramo adſcendente oſſis pubis, ejusdemque rami curvatura, pateant. Inciſura inter tuber iſchii, & ejusdem oſſis proceſſum acutum, hoc in latere etiam admodum magna, & longe major, quam in latere dextro. Vide Sect. IV. N. CCXV. p. 190.

Fig. 4.

Pars anterior & interior oſſis innominati, quae ex oſſe pubis & iſchio fit; ex cujus tubere prodit proceſſus longus, oſſeus, in quem praeſens olim ligamentum ſacro-iſchiadicum mutatum eſt; documento, haec ligamenta ſubinde oſſeſcere.

Conf. Sect. IV. N. CCXXVII. pag. 192.

TABULAE LXIII.

Fig. 1.

Pelvis oſſea viri adulti, cujus omnia oſſa per ancyloſin nexa ſunt. Innominata cum ſacro. Pubis oſſa inter ſe.

a. a. Nexus oſſium innominatorum & ſacri per lamellas oſſeas, ex innominatis in ſacrum tendentes.

b. Quae inter oſſa pubis olim fuit ſubſtantia cartilagineo-ligamentoſa hic periit; ſed a ſuperiore, ubi haec oſſa concurrunt ad formandam oram pelvis, & ab interiore, qua pelvim reſpiciunt, lamella oſſea eſt, prominula, rotunda, quae oſſa haec nectit.

c. In ramo ſuperiore, & inferiore d., oſſis pubis dextri videtur adfuiſſe fractura.

e. Tuber craſſum, in multas eminentias acutas f. f. deſinens.

g. Similis, multo major, eminentia, deſcendens, & foramen ovale quodammodo in duo foramina dividens.

h. Eminentia, ſeu Exoſtoſis ſimilis ex ramo inferiore adſcendens, ferme ad praecedentem g.

i. Similis, minor, ex anteriore & media parte acetabuli prodiens.

Fig. 2.

Eadem pelvis a poſteriore.

a. a. Confluxus oſſis innominati dextri cum oſſe ſacro.

b. Similis nexus oſſis innominati ſiniſtri cum ſacro.

c. Ligamentum, quod a parte poſteriore oſſis ſacri in craſſam, tuberculatam, oſſis ilei dextri partem, quae ultra os ſacrum prominet, tendit, in verum os mutatum.

Conf. Sect. IV. N. CCXVI. pag. 190.

TABULAE LXIV.

Pelvis feminae, ab utroque latere claudicantis, delineata ab anteriore Fig. 1., & a posteriore Fig. 2., postquam partes molles omnes sedulo erant separatae, relicta vero ligamenta, & membranae capsulares. Descripsi exacte hoc praeparatum Sect. IV. N. CCXXXIII. pag. 193., & ex hac expositione, collata cum his figuris, abunde videtur cognosci posse. Notasse itaque sufficiat, diametrum transversalem majorem esse conjugata, illam esse aequalem pollicibus quatuor cum dimidio, hanc quatuor: sex pollices a se invicem distare tubera ossium ischiorum; haec extrorsum esse conversa; foramina ovalia insolitam acquisivisse formam. Acetabulis solitis expulsa sunt, & retrorsum sursumque propulsa, femorum capita; membranae capsulares sunt elongatae, degeneratae; a margine anteriore veteris acetabuli retrorsum procedunt, capita obtegunt, & adnectuntur marginibus novorum acetabulorum, in quibus capita femorum, sed non sine strepitu, movebantur.

In Fig 2. prominentes novorum acetabulorum margines, praecipue in latere sinistro, melius cernuntur, & his nexae capsae membranaceae, capita femorum libera obtegentes.

TABULAE LXV.

Ossa coxarum, depurata, macerata, siccata, una cum partibus superioribus femorum pelvis feminae, ab utroque latere claudicantis, Tabula praecedenti delineatae.

Fig. 1.

Os coxae sinistrum.

a. Acetabulum vetus, profundius, quam tali in casu esse solet.

b. Acetabulum novum.

c. c. d. Margo novi acetabuli, qui a c. ad d., id est a posteriore & superiore, quam maxime prominebat.

e. Eminentia acutiuscula, ex parte inferiore & anteriore hujus marginis enata. Tales plures, sed longe minores, in toto margine inveniuntur.

f. Planities triangularis, sese a parte posteriore veteris acetabuli in eminentiam e. extendens, medio loco triangularem, paulo profundiorem, sinum monstrans.

g. Incisura, seu sinus, juxta quem ligamentum teres, quod ex veteri acetabulo originem trahebat, maxime elongatum & degeneratum, ad caput femoris tendebat.

Fig. 2.

Os coxae dextrum.

a. Acetabulum vetus, profundius, quam in tali casu solet, triangularem quodammodo marginem habens.

b. Acetabulum novum, & ea quidem hujus acetabuli pars, cui margo rotundulus & inferior capitis ossis femoris accesserat.

c. c. Su-

c. c. Superficies hujus acetabuli aſpera, foraminulenta, carioſa, cui caput oſſis femoris, ſimili itaque ſuperficie, fuerat appreſſum. Fig. 6. 7. 8. Inaequalis talis ſuperficies in oppoſiti lateris novo acetabulo adeſt quidem Fig. 1. ſupra b.; ſed non adeo notanda, quemadmodum in capite oſſis femoris ejusdem lateris Fig. 4.; nec adeo magna poroſa ſuperficies eſt, ac in capite femoris ſiniſtri. Fig. 7.

d. d. d. Margo novi acetabuli, praecipue a parte poſteriore prominens.

e. Eminentia acuta a veteri acetabulo ſurſum ſeſe extendens.

f. Sinus, juxta quem ligamentum teres, quod ex veteri acetabulo originem trahebat, maxime elongatum & degeneratum, ad caput femoris tendebat.

Fig. 3. 4. & 5.

Femoris ſiniſtri pars ſuperior a poſteriore Fig. 3., ab anteriore Fig. 4. delineatur; planities vero, quae acetabulum novum attigit, Fig. 5. depingitur. Ad litteram a. deſignatur locus, cui ligamentum teres adnectebatur.

Fig. 6. 7. & 8.

Femoris dextri pars ſuperior, ab anteriore Fig. 6. a poſteriore Fig. 7. Planities vero, quae acetabulum novum attigit Fig. 8. exhibetur. Et his in figuris litterâ a. notatur locus, cui inſertum fuit ligamentum teres.

In genere capita formâ ſuâ ſeſe accommodarunt ad nova acetabula.

TABULAE LXVI.

Fig. 1.

Coxa dextra feminae Patavinae, viginti duos annos natae, claudicantis, ab exteriore.

a. Locus, ubi ramus ſuperior oſſis pubis videtur fuiſſe fractus.

b. Locus, ubi ſimile quid in ramo inferiore videtur obtigiſſe.

c. Acetabulum vetus, admodum difforme.

d. Cavitas in parte exteriore oſſis ilei formata, pollicem & ſeptem octavas partes lata, admodum profunda, ſic ut a parte interiore pelvis multum promineat.

Fig. 2.

Eadem coxa ab interiore, ut tanto melius pateat cavitatis Fig. 1. d. inſignis prominentia ultra internam oſſis ilei ſuperficiem.

Fig. 3. & 4.

Femoris dextri, quoad caput & collum admodum extenuati, pars ſuperior ab anteriore & poſteriore.

Fig. 5.

Similis pars femoris ſiniſtri, ut differentia tanto melius pateſcat.
Conf. Sect. IV. N. CCXXXIV. pag. 194.

Fig. 6. & 7.

Os femoris, cujus caput collumque, ſingulari plane ratione mutata, inſolitam acquiſiverunt figuram. Caput verſus inferiora multum dirigitur, in apicem terminatur, inter caput & corpus oſſis invenitur eminentia, a ſuperiore craſſa admodum, verſus inferiora ſenſim extenuata. Coxarum os, quod admiſit ſingulare hoc os, videre non licuit.

Conferantur dicta ad articulum CCLXX. Sectionis quartae, pag. 203.

TABULAE LXVII.

Fig. 1.

Coxa ſiniſtra hominis adulti, cujus acetabulum vetus difforme eſt, ſurſum retrorſumque luxato femore.

a. a. Margines veteris acetabuli, ſatis quidem profundi, ſed figurae praeternaturalis.

b. b. b. Inaequalitates, a parte poſteriore conſpiciendae.

c. Sinus, cui caput oſſis femoris videtur fuiſſe appreſſum.

Fig. 2. & 3.

Femoris, quod cum coxa ſiniſtra Fig. 1. articulatum fuit, pars ſuperior ab anteriore, & a poſteriore. Caput exile, depreſſum, ſeſe ad inaequalitates & ſinus in oſſe innominato accommodans.

Conf. Sect. IV. N. CCXXXVII. pag. 195.

Fig. 4.

Os coxae ſiniſtrum, in quo duo nova acetabula videntur fuiſſe formata.

a. a. a. Veteris acetabuli margines.

b. Ligamentum, quod marginis defectum a parte anteriore ſupplet, & ſub quo vaſa decurrunt.

c. Defectus in parte poſteriore marginis.

d. d. Sinus & eminentiae pone acetabulum, quod olim caput femoris continuit.

e. Sinus profundus in parte poſteriore & ſuperiore hujus coxae.

f. Sinus multo amplior in parte poſteriore & inferiore ejusdem oſſis, ſeſe extendens ad illum locum, ubi ab interiore planities eſt, quae cum oſſe ſacro nectitur.

Fig. 5. & 6.

Pars ſuperior oſſis femoris, quae cum oſſe coxae Fig. 4. fuit nexa, ſingulari ratione extenuata, difformis, collo longiori inſiſtens, depicta ab anteriore & a poſteriore.

Conferantur dicta ad N. CCXXXIV. Sect. IV. pag. 194.

TABULAE LXVIII.

Fig. 1.

Os innominatum ſiniſtrum, cujus naturale acetabulum deletum, novum vero in parte ipſius poſteriore & ſuperiore enatum.

a. Reliquiae acetabuli naturalis.

b. b. b. Subſtantia oſſea, cellularis, quae naturale acetabulum maximam partem adimplevit.

c. c. Margo poſterior & inferior naturalis acetabuli, inaequalis, craſſus, anteriorem & inferiorem novi acetabuli partem pariter conſtituens.

d. Novum acetabulum admodum profundum.

e. e. e. Margo ipſius ſuperior & poſterior.

f. Planities, quodammodo triangularis, quaſi arroſa, cui ſimilis in capite oſſis femoris Fig. 2. b. reſpondet.

Fig. 2.

Pars ſuperior oſſis femoris ſiniſtri a parte poſteriore, cujus caput difforme, &, obliquam olim paſſum fracturam, male ſanatum eſt.

a. Caput, quod ex acetabulo naturali dimotum, novo penitus contineri non potuit, in irregularem itaque formam excrevit.

b. Planities quodammodo triangularis, quae ſemper ſimili planitiei in novo acetabulo Fig. 1. f. fuit appreſſa.

c. c. Margo capitis, ſeſe multum ultra collum ad trochanterem majorem extendens.

d. Trochanter minor.

e. Fracturae pars ſuperior.

f. Ejusdem pars inferior.

g. Subſtantia calloſa primum, dein oſſea, qua duo fragmenta rurſus concreverunt.

h. Inaequalitates, eminentiae, acutae, ex fragmenti ſuperioris parte inferiore prodeuntes.

i. Similes, ex parte ſuperiore alterius fragmenti enatae.

Fig. 3.

Idem os femoris a parte anteriore.

a. Caput, cujus margo b. b. ultra collum inſigniter ſeſe extendit ad trochanterem majorem c. Fig. 2. c. c.

d. Fracturae pars ſuperior. Fig. 2. e.

e. Inaequalitates ex hoc fragmento productae. Fig. 2. h.

f. Pars inferior fracturae. Fig. 2. f.

g. Inaequalitates, ex parte ſuperiore hujus fragmenti enatae Fig. 2. i.

h. Subſtantia oſſea, quae duo fragmenta nectit. Fig. 2. g.

Conf. dicta ad N. CCXXXVI. Sect. IV. pag. 195.

Fig. 4.

Fig. 4.

Os innominatum dextrum trunci, N. CCXIII. Sect. IV. pag. 188. descripti, & Tab. LIX. & LX. delineati. Acetabulum naturale, maximam partem deletum, sistit cavum triangulare, apice suo retrorsum sursumque tendens. In medio ilio rotundus sinus est, cui caput femoris sine dubio fuit appressum.

a. Acetabulum vetus.

b. b. Margines hujus satis crassi.

c. Apex seu angulus, in quem duo illi margines desinunt.

d. d. d. Inaequalitates variae, a parte posteriore degenerati acetabuli enatae.

e. Sinus rotundus, satis profundus, novi acetabuli vices gerens.

Conf. etiam dicta ad N. CCXXXIV. pag. 194.

TABULAE LXIX.

Fig. 1.

Os coxae sinistrum tali modo cum suo femore nexum, ut caput intra acetabulum moveri quidem, non vero ex eo solvi, possit.

a. a. a. Margines admodum alti, inaequales, profundissimum acetabulum cingentes, & ossis femoris caput ferme circum circa amplectentes.

b. Pars capitis ossis femoris, in acetabulo moveri solita, cartilagine tecta.

c. c. c. Partes ipsius, ultra collum, & ad trochanterem majorem, sic sese extendentes, ut apex etiam digiti ipsis subjici possit.

d. e. Trochanteres, major d. minor. e.

Fig. 2.

Idem os coxae sinistrum cum suo femore a parte posteriore.

a. a. Acetabuli admodum profundi margines.

b. Collum ossis femoris.

c. d. Trochanteres.

Videantur dicta ad N. CCLI. Sect. IV. pag. 199.

Fig. 3.

Sinistrum os coxae, cujus acetabulum admodum profundum, sic ut altitudo a fundo ad margines exteriores duos pollices aequet. Versus foramen ovale in margine quatuor dantur foramina, hoc in situ non conspicua. Superficies interior inaequalis, quasi cariosa.

Fig. 4. & 5.

Pars superior femoris sinistri a parte anteriore & parte posteriore.

Conf. Sect. IV. N. CCXLII. pag. 196.

TABULAE LXX.

Fig. 1.

Os coxae ſiniſtrum, quod cum oſſe ſacro ſic concreverat, ut lamellae oſſeae ab uno oſſe in aliud ſint extenſae, quale quid in oppoſito latere inter ſacrum os & innominatum dextrum etiam locum habet.

Acetabulum hoc ſiniſtrum, duos & dimidium pollicem altum, tres latum, admodum profundum, & inaequale, margines inſigniter prominentes, aculeatos, habet. Retrorſum ab acetabulo tendit Exoſtoſis, ferme pollicem longa. Ex oſſe pubis verſus foramen ovale aculei varii producuntur, & ſimilibus hirtum eſt tuber iſchii oſſis.

Fig. 2.

Idem os coxae ſiniſtrum, ſic exhibitum, ut acetabuli poſterior margo ſummopere inaequabilis, exoſtoſis ferme pollicem longa, & pone eam lamella, tenuis, transverſis duobus aculeis terminata, conſpiciantur.

Fig. 3.

Pars ſuperior femoris ſiniſtri, cujus caput deſcripto inhaeſit acetabulo, ab anteriore. Caput magnum, globoſum, marginem craſſum inaequalem habet, qui ſeſe juxta collum ferme ad trochanterem majorem extendit, & unde deorſum in minorem tractus deſcendit, pariter inaequalis, & aſper.

Fig. 4.

Eadem pars femoris ſiniſtri a poſteriore.

Accreta cernitur capiti lamella, quae non multum a ſinu, cui ligamentum teres adhaeſit, deſinit, & pro parte aliquantum a capite diſtat, ſic ut intermedia quaedam relinquatur fiſſura.

Conf. Sect. IV. N. CCXLVI. pag. 197.

TABULAE LXXI.

Coxa ſiniſtra, quae cum oſſe ſacro concrevit, & cujus acetabulum admodum amplum a ſtatu naturali multum recedit.

a. Os ilium.

b. Hujus ancyloſis cum oſſe ſacro.

c. c. Longitudo degenerati acetabuli.

d. d. Margo poſterior, qui ferme ad altitudinem pollicis ultra reliquum os prominet.

Fig. 2.

Idem os innominatum ſiniſtrum, ſic exhibitum, ut acetabulum totum quantum conſpici queat.

a. a. a. a. Margo acetabuli, variis in locis insigniter prominens.
b. b. Partes glaberrimae, aequabiliſſimae, in fundo acetabuli conſpicuae.
c. c. Inaequalitates, eroſiones variae.

Fig. 3.

Femoris ſiniſtri pars ſuperior ab anteriore.
a. Caput ſolito craſſius, a ſuperiore latius, ab inferiore in tuberculum quoddam deſinens.
b. Collum.
c. d. Trochanteres.
e. e. Eminentiae acutae, variae, capiti & collo adhaerentes.

Fig. 4.

Eadem femoris pars a poſteriore.
a. a. a. Capitis, ſolito craſſioris, pars, quae acetabulo recipi potuit.
b. Tuberculum, in quod deſinit.
c. c. Margo inaequalis, ultra reliquam partem capitis prominens, partem a., quae acetabulo contineri potuit, a reliqua diſtinguens.
d. Pars capitis, quae acetabulo contineri non potuit.
e. f. Inaequalitates, capiti & collo adhaerentes.
g. Collum. h. i. Trochanteres.

Fig. 5.

Caput ejusdem oſſis femoris, ſic exhibitum, ut tota pars, quae acetabulo recipiebatur, conſpici queat.

Conferantur dicta ad N. CCXLVI. Sectionis quartae, pag. 198.

TABULAE LXXII.

Fig. 1.

Coxa ſiniſtra & os femoris, quod cum acetabulo ſic nectitur, ut, licet non concreverit, ex eo tamen ſolvi nequeat. Ab anteriore & exteriore.

Acetabulum, difforme, margines adeo extantes, multis longis eminentiis aſperos, habet, ut caput oſſis femoris, licet quaquaverſum mobile, tamen nulla ratione ab eo liberari queat. Capitis ea pars, quae cartilaginea cruſta obducitur, ultra collum insigniter deſcendit, ſic ut ipſius ſuperficies longe amplior ſit, quam eſſe ſolet. Trochanter major tantopere ſurſum extenditur, ut ultra caput multum promineat.

Fig. 2.

Eadem oſſa a parte poſteriore & interiore. Patet, quantopere acetabulum ibi promineat, ad quamnam altitudinem margines acetabuli ſeſe extendant, & quomodo caput collumque reſpectu trochanteris majoris ſeſe habeant.

Conf. Sect. IV. N. CCLI. pag. 198.

TABULAE LXXIII.

Fig. 1.

Coxa ſiniſtra cum oſſe femoris, cujus caput intra profundiſſimum acetabulum ſic retinetur, ut, licet certo ſenſu mobile & nullibi cum acetabulo concretum ſit, tamen ex eo tolli nequeat.

a. a. Coxa ſiniſtra.

b. Anterior oſſis femoris pars.

c. c. Collum femoris.

d. d. d. Margo admodum inaequalis, a capite juxta collum ſeſe multum extendens.

e. e. e. Acetabulum admodum profundum, retrorſum multum prominens.

f. f. Margo acetabuli, inaequalis, acutiusculus, parum diſtans a margine capitis oſſis femoris d. d. d., quod pro parte apparet.

Fig. 2.

Idem os ſic ab anteriore exhibitum, ut degeneratio acetabuli & capitis oſſis femoris optime pateant.

a. Os ilium.

b. Os pubis.

c. Os iſchium.

d. Femoris oſſis pars ſuperior.

e. Trochanter major.

f. f. f. Acetabulum maxime degeneratum.

g. g. g. Margo ipſius exterior, admodum inaequalis, acutiusculus. Fig. 1. f. f.

h. h. h. Margo inaequalis, a capite ſeſe juxta collum multum extendens. Fig. 1. d. d. d.

i. i. Eminentiae variae, medio ſinu diſtinctae, ex capite oſſis femoris intra acetabulum productae.

k. Similis eminentia ex acetabulo enata, dictum ſinum inter i. & i. intrans.

l. l. Inter has litteras foramen magnum, amplum, cernitur, introrſum tendens, in caecum cavum terminatum. Hunc locum olim intrarunt vaſa, ad interiora acetabuli progredientia.

m. Oſſea, craſſa, lamella, quae dictum foramen a cavo, caput oſſis femoris continente, ſeparat.

TABULAE LXXIV.

Fig. 1.

Eadem coxa cum ſuo femore, quae Tabula praecedenti eſt delineata, a parte poſteriore.

a. Oſſis ilei pars exterior.

b. Ejusdem oſſis ea ſuperficies, quae cum oſſe Sacro olim fuit commiſſa.

c. Os pubis.

d. Tuber offis iſchii.

e. e. e. Pars poſterior acetabuli, partim ſatis aequalis, partim reticulata, & adeo magna, ut ſeſe a tubere offis iſchii d. ad offis ilei partem, quae cum ſacro necti ſolet b., extendat. Videtur ferme tota capſa articularis offificata.

f. f. Partes capitis offis femoris, quae hic loci, ut & in aliis, transparent.

g. Femoris os. h. Trochanter major. i. minor.

Fig. 2.

Alia delineatio ejusdem offis, ut interiora acetabuli tanto melius perſpiciantur.

a. a. Os ilium.

b. Pubis os.

c. Tuber offis iſchii.

d. d. d. Acetabulum maxime degeneratum. Tab. LXXIII. Fig. 1. e. e. e. Fig. 2. f. f. f.

e. e. e. Margo acetabuli, inaequalis, acutiusculus. Ibid. Fig. 1. f. f. Fig. 2. g. g. g.

f. Eminentia admodum notabilis, ex acetabuli interiore parte enata. Ibid. Fig. 2. k.

g. Foramen magnum, amplum, introrſum tendens, ſed in caecum finem terminatum. Ibid. Fig. 2. inter l. l.

h. Lamella offea, craſſa, dictum foramen ab acetabulo discernens. Ibid. Fig. 2. m.

i. Femoris os. k. Trochanter major. m. Collum.

n. n. n. Margo inaequalis, a capite juxta collum deſcendens. Ibid. Fig. 1. d. d. d. Fig. 2. h. h. h.

o. Pars capitis dicti offis.

p. p. Duae, ex capite enatae eminentiae. Ibid. Fig. 2. i. i. inter quas ſinus eſt, quem eminentia f., ex acetabulo enata, intrat.

Deſcriptio hujus praeparati data eſt Sect. IV. N. CCLII. pag. 199.

TABULAE LXXV.

Fig. 1.

Coxa ſiniſtra cum femoris oſſe per ancyloſin concreta, ſic ut duo haec unum ſolidum continuum os faciant. Femur ſic ponitur reſpectu offis innominati, ut, ſi in ſitu naturali coxa retineatur, ſurſum multum adſcendat femur.

Fig. 2.

Eadem oſſa, in Fig. 1. ab exteriore delineata, hac ab interiore ſiſtuntur. Apparet nunc etiam femori adhaerens Exoſtoſis, ſpeciem lamellae in varias eminentias deſinentis ſiſtens. Sectio hujus praeparati, ſic facta, ut interiora pateant, data eſt Tab. LXXVI. Fig. 3.

Conf. Sect. IV. N. CCLIII. pag. 199.

Fig. 3.

Fig. 3.

Alterum exemplum ſimilis ancyloſis a latere ſiniſtro, ab interiore exhibitum. In ſitu erecti hominis femoris os horizonti parallelum fuit.

Fig. 4.

Eadem oſſa ab exteriore & poſteriore parte. Collum, caput, oſſis femoris, & margo acetabuli ſic melius, quam in Figura 3., diſtinguuntur; ut & ovalis apertura, quae a parte anteriore concreti cum acetabulo marginis eſt. Quomodo intrinſecus confluxerint oſſa, patet ex Tab. LXXVI. Fig. 4.

Vide Sect. IV. N. CCLVI. pag. 199.

TABULAE LXXVI.

Fig. 1.

Tertium exemplum plenariae concretionis oſſis femoris ſiniſtri cum coxa, ab anteriore.

Fig. 2.

Utrumque os ſerrae ope juxta lineam, Fig. 1. indicatam, ſic diviſum eſt, ut pateat, illa intrinſecus etiam unam maſſam conſtituere.

Conf. Sect. IV. N. CCLV. pag. 200.

Fig. 3.

Interiora oſſium Tab. LXXV. Fig. 1. & 2. delineatorum.

Fig. 4.

Coxa cum ſuo femore, Tab. LXXV. Fig. 3. & 4. depicta, ab interiore.

TABULAE LXXVII.

Fig. 1. & 2.

Femoris dextri juvenis viginti annorum, a nativitate claudi, pars ſuperior. Collum nullum adeſt, & caput a latere oſſis ſic procedit, ut trochanter major ad dimidium pollicem ſupra caput promineat, trochanter minor vero caput adtingat. Acetabulum paulo majus ſolito & planius erat. Prolixam expoſitionem hujus oſſis, quod exemplum claudicationis congenitae ſiſtere cenſetur, dedi Sect. IV. N. CCLXXI. p. 203.

Fig. 3.

Femoris dextri pars ſuperior, cujus collum a corpore fractura admodum obliqua ſeparatum eſt, delineata a parte laterali dextra. Ea enim pars, quae figuram quartam reſpi-

respicit, est anterior, quod omnino notandum, ut pateat, qualem praeternaturalem situm acquisiverit caput. Effuso callo fractae partes concreverunt invicem, sed collum caputque naturalem situm amiserunt, perfecte retrorsum deorsumque tendentia. Tanta copia calli effusa est, ut in sede fracturae & in parte exteriore, ut ex hac figura patet, & interiore, ut ex quarta icone constat, eminentiae notabiles variae formae, admodum inaequales, & inter illas sinus & foramina multa, dentur.

Fig. 4.

Idem os, a parte laterali sinistra depictum. Confirmantur ea, quae de mutato situ capitis, colli, de eminentiis ex luxuriante callo enatis, dicta sunt. Pars ossis femoris, quae respicit figuram tertiam, est anterior.

Conf. Sect. IV. N. CCLXXIX. pag. 206.

Fig. 5.

Femoris dextri, cujus collum fuit fractum, pars superior a parte laterali externa, sed simul quodammodo posteriore, depicta. Fractura a trochantere majore in minorem descendit. Caput & collum retrorsum sunt promota, licet non adeo multum, quam in praecedenti praeparato, ut patet ex sinu, cui ligamentum teres adhaesit. Colli inaequalitates etiam sunt insignes, praecipue prope trochanterem minorem.

Fig. 6.

Idem os, a latere interiore. Non difficulter mutatus situs capitis collique, luxurians callus, & inaequalitates irregulares, acutae, prope trochanterem minorem & infra eundem, in oculos incurrunt. Descendit non longe a dicto trochantere, a parte interiore ossis, lamella, cujus apex in Fig. 5. etiam cernitur. Hic aliquantum ab osse reliquo distat.

Conf. Sect. IV. N. CCLXXXII. pag. 207.

TABULAE LXXVIII.

Fig. 1.

Femoris ossis sinistri pars superior. Fractura colli adfuit obliqua, deorsum per partem corporis sese extendens. Partes sic concreverunt, ut caput loco admodum dimisso conspiciatur, & simul tantopere retrorsum recesserit, ut eae partes ossis, quae in sano statu a parte posteriore inveniantur, nunc in parte laterali externa dentur.

a. a. a. Pars, quae de reliquo osse secessit, ex capite, collo, & parte corporis constans.
b. Caput. c. Trochanter minor. d. major.
e. e. e. e. Foramina multa ea in linea, ubi partes antea solutae concreverunt.

Fig. 2.

Idem os a parte interiore.

a. Caput. b. Collum. c. Trochanter major. d. minor.

e. e. e. e.

e. e. e. e. Locus, ubi partes antea ſeparatae concreverunt.
f. f. f. f. Inaequalitates variae oſſeae.

Fig. 3.

Idem os ſerrae ope diviſum. Ab. a. ad b. fractura ſeſe extendit. c. c. Sepimentum oſſeum eſt inter duos canales, qui antea non niſi unum eundemque conſtituebant. Interior, rara, ſpongioſa, fabrica in utraque parte ſponte in oculos incurrit.

Conf. Sect. IV. N. CCLXXXIII. pag. 206.

Fig. 4.

Pars ſuperior femoris ſiniſtri hominis robuſtiſſimi, qui, ex lapſu in trochanterem majorem, ſibi fracturam colli femoris contraxerat. Haec non fuit ſanata, ſed in collo profunda formata cavitas eſt, intra quam prominentia, ex capite producta, ſic continebatur, ut poſtea incedere, claudus tamen, potuerit.

a. Trochanter major. b. minor. c. Collum femoris.
d. Sinus admodum profundus hoc in collo.
e. e. e. e. Inaequalitates variae, ex collo enatae.
f. Capitis pars cartilagine obducta.
g. Sinus, cum quo ligamentum teres cohaeſit.
h. Mucro, ex ea parte capitis enatus, quae cum collo olim cohaeſit, nunc vero intra ſinum d. fuit admiſſus.

Fig. 5.

Idem os femoris, quod in Fig. 4. a poſteriore delineatum eſt, ab anteriore.

a. Trochanter major. b. minor.
c. Exoſtoſis, ex hac parte femoris enata.
d. Collum femoris.
e. Sinus novus admodum profundus.
f. Caput hujus oſſis.
g. Sinus, cum quo ligamentum teres cohaeſit.
h. Mucro, ex ea capitis parte enatus, quae cum collo olim cohaeſit, nunc vero intra ſinum e. fuit admiſſus.

Fig. 6.

Pars ſuperior ejusdem femoris, ſic delineata, ut ſinus novus plane conſpici queat.

a. Trochanter major. b. minor.
c. c. c. Inaequalitates variae, ex oſſe productae.
d. d. d. Margines craſſiusculi, ſinum admodum profundum Fig. 4. d. Fig. 5. e. cingentes.

Fig. 7.

Caput ejusdem ossis femoris sic depictum, ut mucro Fig. 4. & 5. h., qui intra sinum Fig. 4. d. Fig. 5. e. Fig. 6. d. d. d. admissus fuit, recte cernatur.

a. Capitis pars, unde dictus mucro originem trahit.

b. Mucro ipse.

c. c. Diffractae & inaequales partes capitis interiores.

Vide Sect. IV. N. CCLXXVII. pag. 205.

TABULAE LXXIX.

Os coxae sinistrum cum suo femore, post fracturam colli, sic degeneratum, ut caput intra acetabulum remanserit, cum eo concreverit, in tumorem inaequalem insignem sese extenderit, & huic pars superior femoris sese accommodaverit.

Fig. 1.

Os coxae sinistrum cum suo femore ab anteriore.

a. Os ilium. b. Pubis. c. Ischium.

d. d. d. Degeneratum caput ossis femoris cum acetabulo concretum, & in tumorem admodum irregularem mutatum. Fig. 2. f. f. f. Fig. 3. f. g. h. i.

e. e. e. Margo anterior degenerati colli ossis femoris, quod se dicto tumori d. d. d. accommodavit, sic ut motus aliquis superfuerit. Fig. 2. g. g. g. Fig. 4.

f. Trochanter major.

g. g. Squama, quae per violentiam externam videtur secessisse de hoc osse, dein cum eodem rursus concrevisse. Fig. 2. i. i. Conf. de his fracturis squamosis Tab. LXXXVII. Fig. 1. 2. 3. 4. & 5.

Fig. 2.

Eadem ossa a parte posteriore.

a. Os ilium. b. Pubis. c. Ischium. d. Hujus tuber. e. Processus acutus.

f. f. f. Degeneratum, & cum acetabulo concretum, caput ossis femoris Fig. 1. d. d. d. Fig. 3. f. g. h. i.

g. g. g. Posterior margo degenerati colli ossis femoris, quod sese mutato capiti accommodavit. Fig. 1. e. e. e.

h. Trochanter major.

i. i. Squama, quae de hoc osse secessit, denuo cum eo concreta. Fig. 1. g. g.

Fig. 3.

Solum os coxae, sic exhibitum, ut superior ejus pars versus anteriora dirigatur, & degeneratum ac cum acetabulo concretum caput ossis femoris melius cernatur.

a. Pubis os. b. Ischium. c. Ejus tuber. d. Processus acutus. e. e. Os ilium.

f. g. h. i.

f. g. h. i. Caput offis femoris, acetabulo accretum; & cum eo tumorem magnum, inaequalem, formans, cujus longitudo quatuor pollicum eſt inter f. & h.; altitudo trium pollicum inter g. & i.

Tumor ipſe, admodum inaequalis, a ſuperiore ad k. multum prominet, a medio ad l. inſigniter excavatus eſt. Fig. 1. d. d. d. Fig. 2. f. f. f.

m. Locus, ubi inter hoc degeneratum caput & marginem foraminis ovalis ſinus eſt, verſus interiora tendens, & ad duorum circiter pollicum longitudinem per acetabulum retrorſum ſeſe extendens, ubi olim vaſa acetabulum intrarunt.

Fig. 4.

Os femoris, cujus collum cum vicino corpore plane inſolitam figuram habet, quia ſeſe Tumori, a capite cum acetabulo cohaerente formato, accommodavit.

a. Trochanter major.

b. b. Collum & vicinum corpus offis, in ſuperficiem inaequalem, ſinuatam & tuberculatam, ſic degeneratum, ut ſeſe optime accommodaverit ad caput ſuum cum acetabulo concretum. Fig. 1. d. d. d. e. e. e. Fig. 2. f. f. f. g. g. g. Adeo ut, ubi in dicto capite eminentia ſit Fig. 3. k., in hac parte ad c. ſinus inveniatur; ubi in capite excavatio Fig. 3. l., hic eminentia detur ad d.

Inter b. b. hujus degeneratae partis longitudo eſt trium pollicum cum dimidio. Videretur longitudo major, ſed quoniam haec ſuperficies admodum excavata eſt, & margines inferiores iterum multum adſurgunt, diſtantia in ipſo oſſe minor eſt, quam in figura eſſe videtur.

e. e. Latitudo hujus partis vix duorum pollicum.

Conf. Sect. IV. N. CCLXXVIII. pag. 205.

TABULAE LXXX.

Fig. 1.

Pars ſuperior femoris ſiniſtri a poſteriore. A collo ad medium usque corpus fractura notabilis adfuit; fragmenta varia, ex figura tertia melius cognoſcenda, ſingulari naturae beneficio ſic ſunt concreta, & ſanata, ut homo femore uti potuerit, licet os ipſum admodum craſſum, irregulare, evaſerit.

Fig. 2.

Idem os a parte anteriore. In hac figura melius, quam in prima, multa, quae olim adfuere, fragmenta cernuntur, per callum rurſus concreta.

Fig. 3.

Ejusdem offis ſerrae ope diviſi ſtructura interna. Variis in locis cernuntur ſepimenta, a reliqua ſubſtantia cellulari plane diſtincta, quae probant, os hoc in multa fragmenta fuiſſe diviſum. Conf. Sect. IV. N. CCLXXXVIII. pag. 207.

Fig. 4.

Fig. 4.

Pars ſuperior oſſis femoris ſiniſtri ab anteriore. Excrevit haec pars in Hyperoſtoſin inſignis amplitudinis, ſic ut trochanter major difformis ad altitudinem pollicis ſupra caput ſeſe extendat. Longus hic tumor eſt quinque pollices cum dimidio; ambitus ſeu circumferentia eſt novem pollicum cum dimidio; ſuperficies ſatis aequalis.

Fig. 5.

Idem os a parte poſteriore. Superficies externa pro parte deſtructa eſt, ſic ut pateat, totam ſubſtantiam internam eſſe cavernoſam.

Conf. Sect. IV. N. CCCXVI. pag. 211.

TABULAE LXXXI.

Fig. 1.

Dextrum os femoris, cujus cervix mediumque corpus fuere fracta.

a. a. a. Ampla cervicis fractae ſuperficies, inaequalis, acutis eminentiis, ac cavitatibus internis, diſtincta.

b. c. d. Fractura in medio corpore. Fractum hoc loco os fuit in tres partes, quarum media c. undique de reliquis videtur fuiſſe ſeparata, ſic tamen, ut effuſo callo omnes iterum concreverint, & os hoc loco crasſisſimum, inaequale, reddiderint.

e. e. Calloſa olim, nunc oſſea, ſubſtantia, cujus ope fragmentum c. cum fragmento b. concrevit.

f. f. Locus, ubi ſimilis ſubſtantiae interventu fragmentum c. & d. confluxerunt.

Fig. 2.

Idem os a parte anteriore.

a. a. Pars lateralis interna amplae ſuperficiëi fractae cervicis.

b. Pars anterior & ſuperior oſſis, quae a reliquis fuit ſeparata.

c. Apex ejusdem partis, qui ad inſignem diſtantiam a parte inferiore diſtincta manſit a reliquis fragmentis.

d. Fragmentum inferius.

e. Subſtantia, quae inferius & ſuperius fragmentum nectit.

f. Similis ſubſtantia, cujus ope nectuntur fragmentum ſuperius & tertium.

g. g. Fragmentum tertium, quod totum quantum a reliquis fuit ſeparatum.

Fig. 3.

Sanatae fracturae medio in oſſe femoris ab interiore delineatio, partibus ferrae ope diviſis.

a. Fragmentum ſuperius.

b. Inferius fragmentum.

c. Fragmentum tertium.

d. d. d. Sepimentum, ſeſe inter fragmentum tertium & inferius extendens.

e. Apex fragmenti ſuperioris, qui ultra ſuperficiem fragmenti inferioris multum prominet. Fig. 2. e.

f. f. Species dimidii ſepti inter fragmentum inferius & tertium.

Conf. Sect. IV. N. CCLXXVI. pag. 205.

TABULAE LXXXII.

Fig. 1.

Femur dextrum, medio in corpore fractum. Fragmenta tria ſingulari ratione concreverunt, & totum os difforme reddunt.

a. Fragmentum ſuperius.

b. c. Medium fragmentum.

d. Fragmentum tertium, & inferius.

e. f. g. h. Eminentiae oſſeae variae irregulares, majores, minores, ex fragmentis enatae, ubi haec iterum concreverunt.

Fig. 2.

Idem os a parte poſteriore.

a. Fragmentum ſuperius. b. medium. c. tertium.

d. d. d. Aperturae variae inter diverſas inaequalitates ibi, ubi fragmenta concreverunt, relictae, licet ad interiora oſſis non penetrent.

Fig. 3.

Idem os, ſerrae ope diviſum, & a parte interiore exhibitum.

a. Fragmentum ſuperius. b. medium. c. inferius.

d. Septum medium inter canalem fragmenti ſuperioris & medium fragmentum.

e. Simile ſeptum inter fragmentum medium, & canalem fragmenti inferioris.

f. Eminentia, quae Fig. 1. f. etiam delineata eſt.

Conf. Sect. IV. N. CCXCIII. pag. 208.

TABULAE LXXXIII.

Fig. 1.

Femoris ſiniſtri, medio loco fracti, pars maxima, inferior, a latere exteriore.

a. a. Pars oſſis ſuperior.

b. b. Pars inferior.

c. c. Pars tertia oſſis, quae olim videtur fuiſſe ſeparata de partibus reliquis.

d. d. d. Exoſtoſes variae, acutae, majores, minores.

Fig. 2.

Idem os a parte interiore exhibitum.

a. a. Fragmentum ſuperius.

b. b. Inferius fragmentum.

c. c. Pars, quae olim videtur fuiſſe ſeparata de fragmento ſuperiore & inferiore.

d. d. d. Exoſtoſes variae majores, minores.

e. e. Latitudo inſolita, quam acquiſivit hoc in loco totum os.

Fig. 3.

Ejusdem oſſis pars lateralis interna, ferrae ope ab externa ſic diviſa, ut interiora pateant.

a. a. a. Fragmentum ſuperius.

b. b. Canalis hujus partis, qui olim medullam continuit, pro parte apertus, pro parte deſcendens usque ad a. medium, ibique caeco fine terminatus.

c. c. c. c. Fragmentum inferius, cujus canalis internus caeco fine ad d. terminatur, celluloſa oſſea ſubſtantia adimpletus.

e. e. Fragmentum tertium, & cum ſuperiore a. a. & cum inferiore c. c. concretum, cellularem intus fabricam, ſeparatam a duobus reliquis canalibus, monſtrans.

f. f. Exoſtoſes variae. Fig. 1. & 2. d. d. d.

Conf. Sect. IV. N. CCXCV. pag. 208.

TABULAE LXXXIV.

Fig. 1.

Femur dextrum, medio in corpore obliquâ fracturâ olim diviſum; ab anteriore. Fragmenta non rite repoſita ſunt, ſuperius ante inferius deſcendit, & intermedia ſubſtantia oſſea, olim calloſa, ſic concrevit, ut hoc in loco circumferentia novem pollices ſuperet, & tumor enatus ſit admodum inaequalis, dum apex fragmenti ſuperioris ad duos pollices prominet ante fragmentum inferius.

a. Fragmentum ſuperius.

b. Hujus pars inferior, ultra fragmentum inferius prominens.

c. Fragmentum inferius.

d. Hujus pars ſuperior.

e. f. Sulcus profundus, juxta quem ſine dubio olim vaſa decurrebant.

g. g. Subſtantia oſſea, duo fragmenta invicem nectens.

h. Trochanter minor.

Fig. 2.

Idem femur a parte poſteriore.

a. Trochanter minor.

b. b. Fragmentum ſuperius.

c. c. Inferius fragmentum.

d. Subſtantia, quae duo fragmenta, multum ab invicem remota, nectit.

Fig. 3.

Idem femur, ferrae ope juxta longitudinem diviſum, ut, quid intus contigerit, pateat.

a. a. Fragmentum ſuperius.

b. b. Rotundulum extremum, in quod terminatur canalis oſſis, qui olim medullam continebat.

c. c. Fragmentum inferius.

d. d. Apex, in quem hoc fragmentum terminatur.

e. Subſtantia reticularis, oſſea, ex fragmento ſuperiori quaſi prodiens, & illud fragmento inferiori adnectens.

f. Similis ſubſtantia, ex fragmento inferiori producta.

g. g. Callus, in oſſeam ſubſtantiam, reticulatam, mutatus, qui duo fragmenta nectit.

Conf. Sect. IV. N. CCC. pag. 208.

Fig. 4.

Femur dextrum, pariter medio in corpore, obliqua fractura, olim diviſum; a poſteriore.

a. a. Fragmentum ſuperius, multum verſus anteriora promotum.

b. b. Inferius fragmentum, ſurſum retrorſumque tractum.

c. c. Calloſa primum, nunc oſſea, ſubſtantia, intus tota quanta reticularis, quae dicta fragmenta nectit.

Fig. 5.

Idem femur, ab anteriore.

a. a. Fragmentum ſuperius.

b. b. Inferius fragmentum.

c. c. Subſtantia, cujus ope duo fragmenta concreverunt. Tumor ex male aut plane non repoſitis fragmentis enatus eſt, qui circumferentiam habet octo pollicum.

Conf. Sect. IV. N. CCXCVII. pag. 208.

TABULAE LXXXV.

Fig. 1.

Femoris ſiniſtri pars ſuperior & media, oblique fracta, ab anteriore.

a. a. Fragmentum inferius, juxta ſuperius a latere exteriore attractum, & cum eo concretum.

b. Fragmentum ſuperius in apicem c. deſinens, qui multum diſtat a fragmento inferiore.

d. Apertura ovata, qua medius canalis partis ſuperioris hiat, cujus margines admodum ſunt aequales, quaeque ſeſe in trochanterem majorem extendit.

Fig. 2.

Fig. 2.

Idem os a parte posteriore.

a. a. Inferius fragmentum, hic admodum inaequale.

b. Fragmentum superius.

c. Apex hujus fragmenti multum ab inferiore distans.

Vide Sect. IV. N. CCXCVIII. pag. 208.

Fig. 3. & 4.

Femoris sinistri oblique in parte inferiore facti, pars inferior, tum ab externo, tum ab interno latere.

a. Fragmentum superius, ultra inferius multum descendens, & supra superficiem fragmenti inferioris adinstar squamae acutae prominens b., inter quam & dictam partem medii pollicis distantia est.

Conf. Sect. IV. N. CCCVII. pag. 210.

Fig. 5.

Femoris dextri pars inferior ab anteriore. Fractura obliqua a. a. male sanata est, sic ut fragmentum inferius b. b. juxta partem exteriorem superioris attractum sit, & condyli c. c. versus exteriora dirigantur.

d. e. Foramina, quae ad interiora penetrant, quorum inferius sub a. iterum patet.

Fig. 6.

Idem os a parte posteriore.

a. a. Fractura obliqua.

b. b. b. b. Variae inaequalitates, admodum acutae, ultra superficiem reliquam multum extantes.

c. Foramen admodum amplum, quod ad interiora decurrit.

d. Apertura canalis illius, qui altero ostio ab exteriore patet. Fig. 5. e.

Fig. 2.

Idem os, serrae ope sic divisum, ut interiora pateant.

a. a. Sepimentum, quod fragmentum superius ab inferiore separat, a cujus lateribus reticulata utriusque fragmenti substantia patet.

b. Finis foraminis d. Fig. 5.

c. Sinus, in quem definit foramen c. Fig. 6.

d. Apertura canalis e. Fig. 5. d. Fig. 6.

Vide Sect. IV. N. CCCI. pag. 209.

Fig. 8.

Fig. 8.

Femoris ſiniſtri pars inferior ab exteriore.

a. a. Fragmentum ſuperius.

b. b. Inferius fragmentum, quod pro parte pone ſuperius reconditur.

c. Foramen notabile in ſinum profundum tendens.

d. Inter d. & b. aliud foramen adeſt ad interiora tendens & communicans cum b. Fig. 10.

Fig. 9.

Idem os a latere interno.

a. a. Locus, ubi fractura fuit.

b. Pone hanc eminentiam foramen eſt, inter d. & b. Fig. 8. cum b. Fig. 10. communicans.

Fig. 10.

Idem os a parte interna ſic exhibitum, ut ſuperficies exterior ab interiore ſit ſublata.

a. a. Sepimentum, quod fragmentum ſuperius ab inferiore diſtinguit.

b. Excavatio admodum profunda cum foramine inter d. & b. Fig. 8. & pone b. Fig. 9. communicans.

Conf. Sect. IV. N. CCCIII. pag. 209.

TABULAE LXXXVI.

Fig. 1.

Os femoris ſiniſtrum, poſt fracturam circa partem inferiorem, mire deformatum, ſimulque necroſi adfectum.

a. b. Pars longitudinis ejus circiter tertia inferior, fracta, & male repoſita, ita ad poſteriora ferme horizontaliter directa, ut cum parte ſuperiore angulum, propemodum rectum, faciat.

c. Condylus internus. d. externus. Uterque a ſolita forma recedunt.

e. Patella, ope colli cujusdam cum femore, medio inter condylos loco, cohaerens.

f. Pars ſemicanalis craſſi, oſſei, ex foramine magno & profundo prominens. Fig. 2. f. Fig. 4.

Fig. 2.

Idem os a parte poſteriore.

a. Condylus internus. b. externus. c. Patella.

d. d. Foramina, ad interiorem hujus oſſis partem tendentia. Fig. 3. d.

e. e. Foramen ſimile, admodum magnum & profundum. Fig. 3. e. e.

f. Semicanalis oſſeus craſſus, mobilis, pro parte ex hoc foramine prominens. Fig. 1. f. Fig. 4.

Fig. 3.

Pars inferior hujus oſſis medio loco, ferrae ope, diviſa, ut interiora pateant.
a. Subſtantia femoris, admodum craſſa, parum ſupra fracturam.
b. Similis ſubſtantia in parte fracta.
c. Pars interna, excavata, in qua haeſit ſeparatum undique officulum. Fig. 4.
d. Foramen, ad internam capacitatem hujus oſſis tendens. Fig. 2. d.
e. e. Pars altera dimidia ſimilis canalis admodum magni, ad interiora c. penetrans, cui inhaeſit fruſtum oſſeum, undique a reliquis partibus ſeparatum, figura ſua ſemicanalem quodammodo referens. Fig. 1. 2. f. Fig. 4.

Fig. 4.

Pars illa oſſea, ſeparata, ſemicanalem referens, Fig. 1. 2. f. ex canali, in quo haeſit Fig. 3. e. e. liberata.
Conf. Sect. IV. N. CCCIX. pag. 210.

TABULAE LXXXVII.

Fig. 1. 2. & 3.

Femoris ſiniſtri pars media, vario modo exhibita, ut ſquama, ſesquipollicem longa, ultra pollicem lata, pateat, quae de ſuperficie exteriore & media hujus oſſis ſeceſſit, & pro parte rurſus cum ea concrevit.
Vide Sect. IV. N. CCCX. pag. 210.

Fig. 4.

Fracturae ſquamoſae aliud, illudque notabilius, exemplum; ab anteriore exhibitum. De latere exteriore oſſis femoris ſiniſtri ſeceſſit lamella. a. a., quatuor pollices longa, quae ab anteriore & ſuperiore non niſi pro parte b. b. cum oſſe rurſus concrevit, ſed ab inferiore, inter c. & a., ad longitudinem duorum pollicum cum dimidio ab eo diſtat.

Fig. 5.

Idem os a parte poſteriore & laterali externa. Squama tota hoc in loco cum oſſe concrevit. Videntur adeſſe nonnulla foramina, ſed haec non penetrant.
Vide Sect. IV. N. CCCXI. pag. 210.

Fig. 6. 7. 8. & 9.

Duo fragmenta oſſea, quae ſeceſſerunt de fracti femoris parte inferiore hominis, ex ſuprema contignatione domus in terram delapſi, ipſo momento, quo cecidit; ab exteriore & ab interiore delineata. Vulnere itaque licet complicata fuerit haec fractura compoſita, feliciſſime ſanatus eſt aeger, ut expoſui ad N. CCCXII. Sectionis quartae, pag. 210. 211.

Fig. 10.

Fig. 10.

Tibia dextra, ex cujus parte anteriore & laterali interna exſurgit tumor amplus, tres pollices & dimidium longus, duos latus, medio ſinu aequabili, partim duplici, in tres partes, ſuperiorem maximam, minorem inferiorem, mediam minimam, diviſus. Superficies tumoris admodum inaequabilis eſt.

Fig. 11.

Idem os a parte poſteriore, ubi tumor in duas tantum partes videtur diviſus.

Fig. 12.

Serrae ope diviſum os. Subſtantia, quae tumorem componit, eadem eſt, quae reliqui oſſis; externa autem cruſta tenuiſſima exiſtit.

Conf. Sect. IV. N. CCCCXXXIV. pag. 219.

TABULAE LXXXVIII.

Fig. 1.

Os femoris ſiniſtrum ab anteriore, ex cujus parte interiore, nonnihil ſub trochantere minore, enata eſt Exoſtoſis dura, compacta, ovata, convexa, longa tres pollices & unam quartam partem, lata in medio circiter pollicem unum & dimidium, craſſa pollicem.

Fig. 2.

Idem os a parte poſteriore.

Fig. 3.

Os idem a parte laterali externa; cernitur locus, ubi ſerrae ope ſublata eſt Exoſtoſis, in Figura prima punctata linea etiam notatus.

Fig. 4.

Exoſtoſis ipſa ſeparata de femore, craſſa, dura, compacta, ſic tamen ut canalis oſſis pro parte ſeſe in eam extendat.

Conf. Sect. IV. N. CCCXIII. pag. 211.

Fig. 5. & 6.

Pars inferior femoris ſiniſtri, ex cujus parte poſteriore & laterali externa, Exoſtoſis prodit, duos pollices longa, oſſi tamen tota ſua longitudine adhaerens, & non niſi ad ſex octavas pollicis partes ab eo diſtans.

Vide Sect. IV. N. CCCXIV. pag. 211.

TABULAE LXXXIX.

Fig. 1.

Femur dextrum, cujus pars inferior in tumorem insignem expansa, crassa, indurata, laminas osseas, fibras, spinas, tubera, magna, parva, aspera sistit.

Fig. 2.

Ejusdem femoris pars posterior, in qua spinae, fibrae, & tubera majora, melius in conspectum veniunt. Adest praeterea paulo supra condylos foramen ovale, magnum, profunde excavatum, ad interiora tendens.

Fig. 3.

Sectio hujus ossis, tali modo facta, ut serra transierit inter condylos per medium foramen. Crassities sic patet lamellarum, quae hoc os componunt; cavitas, quae medullam continet, ejusque communicatio cum dicto foramine.

Conf. Sect. IV. N. CCCXIX. pag. 211.

TABULAE XC.

Fig. 1.

Ancylosis articulationis ossis femoris cum crure dextro a parte interiore.

a. Os femoris.

b. Tibia, quae in nexu cum femore sic concrevit, ut condyli femoris & caput tibiae insignem subierint mutationem. Tibia sic posita est, ut superficies ipsius, quae condylum externum admittit, retrorsum decurrat, unde tibiae pars anterior versus latus externum dirigitur, & ea pars, quae caput fibulae admittit, perfecte a posteriore detur, sic ut malleolus internus ad anteriora vergat.

c. Condylus internus femoris.

d. Condylus externus. Duo hi insolitam formam situmque acquisiverunt. Externus praeterea ad e. intrinsecus excavatus est, admittitque partem lateralem externam capitis tibiae f., quae partim intra sinum libere haeret, partim cum eo concrevit.

g. g. Confluxus partis inferioris femoris, condyli quippe interni cum capite tibiae.

Fig. 2.

Eadem ancylosis a parte exteriore.

a. Femoris os. b. Tibia.

c. Condylus internus femoris.

e. e. Pars reliqua hujus condyli, a solita forma multum recedens.

f. f. Confluxus condyli interni cum capite tibiae,

g. Capitis tibiae pars lateralis externa.

Conf. Sect. IV. N. CCCLXXXI. pag. 213.

Fig. 3.

Fig. 3.

Ancyloſis femoris ſiniſtri cum tibia, ab anteriore & parte laterali interna.

a. Femoris os. b. Tibia.

c. Condylus internus femoris concretus cum ſinu, qui eſt in parte laterali interna tibiae. e.

d. Condylus externus, ſimili modo concretus cum ſinu, qui eſt in parte laterali externa tibiae f.

g. Foramen, medio inter condylos loco relictum.

Fig. 4.

Eadem ancyloſis a parte poſteriore & laterali externa.

a. Femoris os. b. Ejus condylus internus.

c. Pars lateralis externa capitis tibiae.

d. Locus, ubi partes hae concreverunt.

e. Pars oſſea media, & cum condylo femoris, & cum capite tibiae, cohaerens.

f. Condylus internus femoris.

g. Pars lateralis interna capitis tibiae.

Vide Sect. IV. N. CCCLXXVIII. pag. 212.

TABULAE XCI.

Fig. 1.

Siniſtrum femur & tibia ſic concreta invicem, ut angulum obtuſum, recto majorem, forment, a parte poſteriore.

a. Femur. b. Condylus externus. c. internus.

d. d. Caput tibiae, maxime degeneratum.

e. e. e. Tumor, in quem tota haec tibiae pars extenſa eſt.

Fig. 2.

Partes eaedem femoris atque tibiae, ſed ab anteriore.

a. Condylus internus. b. externus. Ambo confluxerunt cum parte ſuperiore tibiae.

c. c. Lamella oſſea, a condylo interno, locoque inter condylos medio, ſeſe extendens ad ſuperiorem tibiae partem.

d. Patella, quae condylo externo accrevit.

e. e. Caput tibiae, a ſolita forma recedens.

Conf. Sect. IV. N. CCCLXXXII. pag. 213.

Fig. 3. & 4.

Ancyloſis dextri femoris, tibiae & patellae, ab anteriore, & a poſteriore.

a. Condylus externus femoris. b. internus.

c. d. Tibiae ſinus, cum quibus condyli femoris confluxerunt.

e. Patella, cum femore concreta, ſed tamen inſigniter prominens.

Vide Sect. IV. N. CCCLXXXIV. pag. 213.

TABULAE XCII.

Fig. 1.

Dextri lateris Tibia, ab anteriore viſa, oblique fracta, vel potius fiſſa, ſic ut a capite oblique ad inferiora portio oſſis, ſeptem pollices longa, ſeceſſerit, dein rurſus cum reliquo oſſe concreta, ſic tamen, ut figurâ oſſis plane ſit mutata.

a. Externus tibiae ſinus pro condylo externo femoris, plane verſus poſteriora directus.

b. Internus ſinus, verſus anteriora & inferiora tendens.

c. Locus, ubi fiſſura incepit. d. Ubi deſinit.

e. e. Fiſſura admodum profunda, inter duo fragmenta relicta, a parte inferiore tantae amplitudinis, ut ſtilus transmitti poſſit, exiens tunc ad e. Fig. 2.

f. Similis fiſſura, ſed ad oppoſitum latus non penetrans.

g. Alia ejusdem naturae, inter duo fragmenta tranſiens, & ferme ejusdem capacitatis, ac e. Conf. Fig. 2. d.

h. h. h. Carioſa ejusdem oſſis loca.

Fig. 2.

Eadem tibia a parte poſteriore.

a. Sinus internus. b. externus.

c. c. Fiſſura eadem, quae Fig. 1. e. e.

d. Alia fiſſura, pariter inter duo fragmenta penetrans. Fig. 1. g.

e. e. e. Loca carioſa varia.

Fig. 3.

Pars ſuperior ejusdem tibiae, quae condylos oſſis femoris admiſit.

a. Capitis pars anterior. b. poſterior.

c. Sinus pro condylo femoris externo. d. pro interno.

e. f. g. Inaequalitates, eminentiae, excavationes, quae ſuperficiem utriusque ſinus, & loca intermedia admodum aſpera reddunt.

Conf. Sect. IV. N. CCCCV. pag. 215.

Fig. 4.

Ulcere carioſo admodum profundo & lato laborans pars inferior tibiae dextrae. Margines admodum inaequales tum ab externo tum ab interno latere ſeſe multum extendunt, & praecipue ab interiore admodum craſſi ultra limites oſſis in tuber inſigne prominent.

Vide Sect. IV. N. CCCCXXXIII. pag. 219.

EXPLICATIO.

TABULAE XCIII.

Fig. 1.

Tibia & fibula ſiniſtra, fractae, invicem concretae, ab anteriore.

a. a. Fractura obliqua tibiae.

b. b. b. Inferius fragmentum, ſurſum tractum, & lateri exteriori ſuperioris fragmenti adnexum.

c. Subſtantia media, tibiam fibulamque nectens.

d. d. Obliqua fibulae fractura non longe a capite ſuperiore, ſic facta, ut pars anterior oſſis a poſteriore ſeceſſerit.

e. Foramen, in medium canalem fragmenti ſuperioris penetrans. Fig. 3. b., & ſeſe per eum ad partem poſteriorem extendens. Fig. 2. f.

Fig. 2.

Eadem oſſa a parte poſteriore.

a. a. Tibiae fractura obliqua.

b. Fragmentum ſuperius.

c. Inferius fragmentum, ſurſum tractum, & lateri exteriori ſuperioris fragmenti accretum.

d. Tibiam fibulae adnectens ſubſtantia; fibula autem hic loci integra eſt.

e. e. Obliqua fibulae fractura.

f. Foramen in medium canalem fragmenti ſuperioris penetrans Fig. 3. b., & ſeſe in anteriore parte pariter manifeſtans. Fig. 1. e.

g. Simile foramen, in coecum finem definens.

Fig. 3.

Eadem oſſa ſerrae ope diviſa.

a. a. Fragmentum ſuperius.

b. Canalis medullae continendae deſtinatus.

c. c. Fragmentum inferius, ſuperioris lateri exteriori accretum.

d. Canalis hujus fragmenti, a canali b. plane diſtinctus.

e. Subſtantia, tibiam fibulae, hoc in loco ſanae, adnectens.

Conf. Sect. IV. N. CCCCVIII. pag. 215.

TABULAE XCIV.

Fig. 1.

Tibia & fibula dextri lateris, in varias partes diffractae, & iterum conſolidatae; ab anteriore.

a. Fibulae corpus, in fragmenta tria b. c. d. diviſum.

e. Caput inferius fibulae, malleolum externum conſtituens, cum tibia concretum.

f. Tibiae fragmentum ſuperius. g. Ejusdem oſſis fragmentum inferius.

h. h. Fragmentum tertium, quod, olim plane ſeparatum, cum ſuperiore & inferiore iterum concrevit.

i. i. Tibiae fibulaeque plenaria hoc in loco concretio.

Fig. 2.

Eadem oſſa a parte poſteriore.

a. Tibiae ſuperius fragmentum; b. inferius.

c. d. d. Tertii fragmenti Fig. 1. h. cum ſuperiore concretio; e. e. cum inferiore.

f. Apex hujus fragmenti, ultra reliquum os inſigniter prominens.

g. g. Concretio capitis interioris tibiae atque fibulae.

h. i. Fibulae fragmentum ſuperius, & inferius. k. Fragmentum tertium, quod cum ſuperiore & inferiore rurſus concretum eſt.

Conf. Sect. IV. N. CCCCIX. pag. 215.

Fig. 3.

Tibiae & fibulae dextrae, non longe a malleolis fractarum, & peſſime ſanatarum, partes inferiores, viſae a latere interiore.

a. Tibia. b. c. Locus, ubi fractura fuit, quae ſic ſanata eſt, ut malleolus internus d. verſus inferiora dirigatur.

e. Fibula. f. f. Fracturae veſtigium.

g. Malleolus externus, ſeu caput inferius fibulae verſus ſuperiora promotum.

Fig. 4.

Eorundem oſſium dictae partes a latere exteriore.

a. Tibia. b. Fibula. c. Fracturae in tibia veſtigium. d. Simile in Fibula.

e. Malleolus internus, tibiae capitis inferioris pars interior.

f. Malleolus externus.

g. Pars oſſea, ex effuſo callo, ut videtur, enata, cum parte vicina tibiae concreta, partim eroſa.

Conf. Sect. IV. N. CCCCXIII. pag. 216.

Fig. 5.

Tibiae fibulaeque dextrae cum talo ſingulari ratione concretae partes; ab anteriore.

a. Tibia. b. Fibula, ab hoc loco verſus inferiora admodum tumens, cortice ſquamoſo, ſpinoſo, tecta.

c. c. c. Caput inferius tibiae, a ſolita forma multum recedens.

d. Malleolus internus, tuber difforme, ſquamoſum, & aſperum referens.

e. Caput tali olim cum naviculari articulatum.

f. f. f. Lamellae offeae, mediis profundis finibus diſtinctae, a capite inferiore tibiae in talum tendentes.

g. g. Pars lateralis tali.

h. Caput inferius fibulae.

i. Malleolus externus, multum retrorſum promotus.

k. Ejusdem cum talo concretio.

Fig. 6.

Eadem offa a parte poſteriore.

a. Tibia. b. Fibula. c. Malleolus externus; d. internus.

e. e. f. f. Veſtigia fracturae in utroque offe.

g. Caput tali. h. Colli ipſius pars, quae cum ſuſtentaculo cervicis tali in calcaneo olim nectebatur. i. i. Partes duae laterales ejus ſinus, qui cum corpore calcanei jungitur.

k. k. k. Lamellae variae offeae, quarum ope dicta offa cohaerent invicem.

Conf. Sect. IV. N. CCCCXXII. pag. 217.

Fig. 7.

Tibiae & fibulae ſiniſtrae partes inferiores, quae praeter modum tumidae inter ſe, & cum talo praeterea concreverunt; ab anteriore.

a. Tibia. b. Fibula. c. Malleolus internus; d. externus.

e. Cervix tali. f. Ejus caput.

Fig. 8.

Eaedem partes a poſteriore.

a. Tibia. b. Fibula. c. Malleolus externus; d. internus.

e. Caput tali. f. Superficies, quae ſuſtentaculo cervicis tali in calcaneo adplicatur.

g. Sinus pro admittendo corpore calcanei.

Inter c. & d. plenaria dictorum offium cernitur concretio.

Conf. Sect. IV. N. CCCCXXV. pag. 218.

TABULAE XCV.

Tibia, fibula, talus, & calcaneus, quo loco inter ſe conjunguntur, vario ſenſu vitiata.

Fig. 1.

Tibia & fibula dextri lateris ab anteriore.

a. Tibiae; b. Fibulae partes inferiores.

c. Tali caput, quod cum naviculari nexum fuit.

d. Pars anterior calcanei, cum qua os cubiforme cohaeſit. Fig 3. h. Fig. 4. f.

e. e. Caput inferius tibiae, intus excavatum, admodum tumidum.

f. Malleolus internus.

g. Malleolus externus, ſeu fibulae caput inferius, cum tibia, talo & calcaneo concretum.

h. Pars ex degenerata fibula deſcendens, & ad calcaneum ſeſe extendens. Fig. 3. e. f. Fig. 4. b.

i. i. Inter has litteras foramen cernitur admodum amplum, aequali, glabro, margine cinctum, partem inferiorem tibiae occupans, & ſe ad talum c. extendens in ſinum, cum quo alia foramina etiam communicant.

k. k. Foramen aliud inter fibulam, tibiam, & talum, ſurſum tendens, & ad dictum ſinum ſe extendens.

l. Minus foramen, etiam cum deſcripta cavitate communicans.

Fig. 2.

Eadem oſſa a parte poſteriore.

a. a. Squamae & ſpinae, variae magnitudinis & formae, in media & interna parte fibulae.

b. b. Maxime degenerata, & hac in parte admodum inaequalis, pars inferior tibiae.

c. Malleolus externus.

d. Semicanalis, inter hunc malleolum & caput tibiae.

e. Calcanei tuber.

f. Fibulae pars inferior, cum tibia talo & calcaneo concreta.

g. Malleolus internus.

h. Foramen ad ſinum, ſeu cavitatem, in capite inferiore tibiae inveniendam, ſeſe extendens, cum qua etiam communicant foramina alia, ab anteriore conſpicienda. Fig. 1. i. i. k. k. l.

Fig. 3.

Eorumdem oſſium conſpectus a latere exteriore.

a. Caput inferius tibiae.

b. Pars anterior tali.

c. Fibulae caput inferius.

d. Lamella oſſea, retrorſum ad tibiam ſeſe extendens.

e. f. Similis lamella, ad calcaneum deſcendens. Fig. 1. h. Fig. 4. b.

g. Calcaneus.

h. Pars anterior hujus oſſis, quae cum cubiformi cohaeſit.

i. Inter hanc litteram & vicinas b. e. f. foramen cernitur idem, quod Fig. 1. inter k. k. delineatum eſt.

Fig. 4.

Eadem oſſa a latere interiore.

a. Fibula.

b. Lamella, ex capite ipſius inferiore ad calcaneum deſcendens. Fig. 1. h. Fig. 3. e. f.

c. Pars inferior tibiae.

d. Mal-

d. Malleolus internus.
e. Caput tali.
f. Pars anterior calcanei, cum qua cubiforme os cohaesit. Fig. 1. d. Fig. 3. h.
g. Calcanei tuber.
h. Sustentaculum cervicis tali.
i. i. i. Foramen admodum amplum, versus interiora tendens. Fig. 1. inter i. i.
Conf. Sect. IV. N. CCCCXXIV. pag. 217.

TABULAE XCVI.

Necroseos ossis tibiae notabile exemplum.

Fig. 1.

Tibia & fibula sinistra ab anteriore & parte laterali sinistra.
a. a. Tibia, admodum crassa, & inaequalis.
b. b. Simili modo degenerata fibula.
c. Ancylosis capitis inferioris fibulae cum talo.
d. Tali, simili vitio cum tibia & fibula concreti, caput.
e. e. Partes duae laterales sinus, in talo facti, ad admittendam calcanei partem.
f. f. Unum, ex septem foraminibus, in tibia obviis.
g. Aliud, praecedenti minus.
h. Canalis osseus, amplus, mobilis, per totam ferme longitudinem tibiae exporrectus, hic nudus.

Fig. 2.

Eadem ossa, a parte posteriore visa.
a. b. c. d. e. Quinque foramina, per crassam & inaequalem tibiae substantiam penetrantia ad medium canalem, ut f. f. g. in Fig. 1.
f. Canalis osseus liber.

Fig. 3.

Tibia eadem a parte posteriore, sic aperta, ut canalis osseus liber intra canalem novum conspiciatur.
a. a. a. Substantiae novae, circa emortuum canalem productae, crassities.
b. b. b. Canalis osseus amplus, fortis, variis in locis interruptus.

Fig. 4.

Eadem tibia magis aperta, ut pateant interiora novae substantiae, exemto canali. Fig. 3. b. b. b. Tab. XCVII. Fig. 1. & 2.
Conf. Sect. IV. N. CCCCXXIX. pag. 218.

TABULAE XCVII.

Fig. 1. & 2.

Canalis oſſeus, ex tibia exemtus, Tab. XCVI. Fig. 1. h. Fig. 2. f. Fig. 3. b. b. b., a poſteriore, & ab anteriore, delineatus.

Fig. 3. & 4.

Similis necroſis in parte inferiore tibiae, fibulaeque, exhibita à parte poſteriore, & ab anteriore.

Tibia complanata, verſus inferiora inſigniter craſſeſcit, cruſtamque exhibet, intra quam ſine dubio liber canalis haeſit. Superficies ubique ſquamoſa & ſpinoſa, multis etiam majoribus minoribusque foraminibus pertuſa.

Conf. Sect. IV. N. CCCCXXX. pag. 218.

TABULAE XCVIII.

Aliud necroſi adfectae tibiae notabile exemplum.

Fig. 1.

Tibia & fibula a parte anteriore.

a. Caput tibiae ſanum.

b. Pars tibiae inferior, nullo vitio adfecta.

c. c. Sana etiam fibula.

d. d. Pars media tibiae, mortua, tota quanta libera, quae de reliquo oſſe tolli potuit Fig. 4., ſic ut canalis admodum inaequalis & foraminulentus remaneat. Fig. 3.

e. e. e. e. Margo ſubſtantiae oſſeae, quae dictum canalem format, &, ſeſe verſus latera multum extendens, reliquam, eamque plane ſolutam, partem quaſi amplecti videtur.

Fig. 2.

Eadem oſſa a parte poſteriore.

a. Tibiae caput.

b. Ejusdem oſſis pars inferior.

c. c. Fibula.

d. Pars media tibiae, maxime degenerata.

e. e. e. Foramen notabile hac in parte, quod verſus latus externum ſeſe extendit, adeo ut ſupra e. in Fig. 1. inter tibiam & fibulam de deſcripto margine nihil compareat.

f. Nuda pars oſſis, quae tota ſolubilis eſt, & per foramina e. e. e. conſpicitur.

g. g. Simile foramen, ac eſt e. e. e.

h. Pars portionis oſſeae ſolubilis hic transparens.

Fig. 3.

Fig. 3.

Pars media tibiae eaque poſterior, quae dimidium canalem formavit, non perfectum, ſed duobus foraminibus, altero ſuperiore, eoque maximo Fig. 2. e. e. e., altero inferiore Fig. 2. g. g., patentem, quo canali recondebatur pars ejusdem oſſis anterior, ſolubilis. Fig. 1. e. e. e. e. Fig. 2. d.

Fig. 4.

Superficies poſterior mediae partis tibiae Fig. 1. d. d., ſuo ex canali liberatae. Conf. Sect. IV. N. CCCCXXXI. pag. 218.

TABULAE XCIX.

Scapulae & ſuperioris oſſis humeri vitia.

Fig. 1.

Scapulae & oſſis humeri dextri lateris pars ſuperior, a parte anteriore.

a. a. Proceſſus coracoïdeus ſcapulae.

b. b. Margo ſinus ſcapulae, in quo caput oſſis humeri continetur.

c. c. c. Caput oſſis humeri, a ſolita forma multum recedens, hac in parte admodum inaequale, tuberculis ſinibusque diverſis aſperum.

Fig. 2.

Eadem oſſa, a parte poſteriore viſa.

a. a. Dorſum ſcapulae. b. Ejus ſpina. c. Proceſſus, in quem ſpina deſinit, ſeu ſummus humerus.

d. Lunula, ad radicem proceſſus coracoïdei.

e. e. Proceſſus coracoïdeus.

f. Os humeri.

g. Tuberculum, enatum ex margine inaequali, ſcabro, inter proceſſum coracoïdeum & ſummum humerum.

h. Mucro, in quem mutata ſuperficies capitis oſſis humeri hic loci deſinit.

i. Tuberculum, in quod margo ejusdem ſuperficiëi reflexus terminatur.

Fig. 3.

Scapula ſola, ſic exhibita, ut degeneratio cavitatis glenoïdeae pateat.

a. Proceſſus coracoïdeus. b. Summus humerus.

c. c. c. Margo inaequalis, ſcaber, qui cavitatem glenoïdeam cingit.

d. d. Eminentia, hanc cavitatem in duas partes e. f. diſtinguens, quae ferme totae glaberrimae ſunt.

g. Superficies interior proceſſus coracoïdei, hic loci glaberrima.

Fig. 4.

Pars ſuperior oſſis humeri ſic exhibita, ut ſuperficies ipſius pateat, quae cum ſinu ſcapulae Fig. 3. c. c. c. d. d. connexa fuit.

a. a. Margo degenerati hujus capitis. Fig. 1. c. c.

b. Tuberculum, in quod ab inferiore terminatur. Fig. 2. h.

c. c. Pars altera ſuperficiëi, glabra, admodum polita, quae appoſita fuit parti e. Fig. 3. cavitatis glenoïdeae ſcapulae.

d. Pars altera ejusdem ſuperficiëi, non adeo glabra, & quodammodo ſinuata, quae convenit cum parte f. Fig. 3.

e. Tuberculum, in quod reflexus margo hic loci terminatur, & unde illud deſcendit, quod Fig. 2. littera i. apparet.

Conferantur quae de hoc praeparato dicta ſunt Sect. IV. N. DXLII. pag. 223.

Fig. 5.

Pars ſuperior ſcapulae, cujus proceſſus coracoïdei radix cum proxima cervice exeſa eſt per cariem.

a. Cavum ſcapulae ſupra ſpinatum.

b. b. Spina ſcapulae.

c. c. Summus humerus.

d. Proceſſus coracoïdeus.

e. Sinus, cum quo caput oſſis humeri fuit articulatum.

f. f. Margines eroſi oſſis per cariem.

Fig. 6.

Eadem ſcapula, ab interiore exhibita.

a. Scapulae pars interior, cui ſubſcapularis muſculus adhaerere ſolet.

b. Margo interior ſcapulae.

c. Sinus, cum quo caput oſſis humeri committitur.

d. Summus humerus.

f. Proceſſus Coracoïdeus.

g. Locus, carie exeſus.

Conf. Sect. IV. N. DXLII. pag. 222.

TABULAE C.

Fig. 1. 2. 3. 4. 5. 6. & 7.

Os humeri, ulna, radius, dextri lateris, poſt fracturam condyli externi oſſis humeri, & partis olecrani, miro modo mutata.

Fig. 1.

Fig. 1.

a. Os humeri ab anteriore. b. condylus poſterior.

c. Pars rotulae, ad quam caput ulnae movetur, ſurſum ſe extendens, & variis ſuperficiebus gaudens, cui oſſa cubiti, & ſeparata officula ſeſe accommodarunt.

d. Degenerata pars anterior capitis inferioris oſſis humeri.

Fig. 2.

a. Idem os humeri a parte poſteriore.

b. Poſterior condylus.

c. Degenerata pars anterior.

Fig. 3.

Radius ab anteriore, cujus caput, ſolito majus, ſuperiore parte applanatum. Conf. Fig. 5.

Fig. 4.

Caput ulnae.

a. Olecranon, cujus pars ſuperior diffracta videtur.

b. Proceſſus coronoïdeus, a ſolita forma multum recedens.

c. c. Sinus a latere radii, cui hujus caput ſeſe accommodavit.

d. Superficies plana, glabra, cum qua ſimilis in ſeparato officulo majore convenit. Fig. 6. a.

Fig. 5.

Caput ſuperius radii, ſic exhibitum, ut pateat ampla ſuperficies, quae ſeſe accommodavit ſeparato officulo majori. Fig. 6.

Fig. 6.

Officulum majus, liberum, hac in articulatione inventum.

a. Superficies, ſimilis illi, quae eſt in olecrano. Fig. 4. d.

b. Alia ſuperficies, cui videtur applicatum fuiſſe ſeparatum officulum minus. Fig. 7.

c. Tertia ſuperficies, hoc in ſitu pro parte tantum exhibita, cui pars ſuperior radii adhaeſit.

Fig. 7.

Alterum officulum, ſeparatum, hac in articulatione inventum.

Conf. Sect. IV. N. DLI. pag. 224.

Fig. 8. 9. 10. 11. 12. & 13.

Pars inferior humeri, partes ſuperiores ulnae & radii, dextri lateris hominis, qui fungo articuli laboraverat, carioſae. Amputationem feliciſſime inſtitutam, ſub auſpi-

ciis Clar. Albini, me etiam praeſente, a Chir. Balthaſaar, ſupervixit jam per viginti octo annos, ſaniſſimus.

Vide Sect. IV. N. DLVII. pag. 225.

TABULAE CI.

Fig. 1. & 2.

Pars oſſis humeri ſiniſtri necroſi adfecta, quae per abſceſſum, poſtea ſanatum, prodiit, novâ ſubſtantiâ in locum priſtini oſſis enatâ, quae tantam firmitatem acquiſivit, ut diverſimode brachio uti, varios labores exercere, homo potuerit, ac manu pondus ſat grave attollere, modo cubiti altitudinem locus non ſuperet, verſus quem dimovendum illud corpus eſt.

Fig. 3.

Siſtit ſanatum humerum, ac cicatricem ſatis profundam, ſeſe extendentem ad eandem circiter, quam habuit amiſſum os, longitudinem.

Vide Sect. IV. N. DLX. pag. 225.

Fig. 4. & 5.

Pars etiam magna oſſis humeri ſimili morbo vitiata, quae ſeceſſit de brachio ſiniſtro infantis, quinque annos & dimidium nati. Per longum temporis ſpatium abſceſſu, & necroſi oſſis humeri, laboraverat. Nova ſubſtantia producta eſt, quae tantam etiam acquiſivit firmitatem, ut brachio uti valuerit. In aliis autem corporis locis idem oſſis vitium ſe manifeſtavit, & tandem hydropicus periit. Examen autem brachii a morte impetrare non potui.

Fig. 6. 7. 8. & 9.

Partes variae oſſeae, carioſae, quae de oſſe brachii ſeceſſerunt.

Conf. N. DLXI. Sectionis quartae, pag. 225.

TABULAE CII.

Exoſtoſes notabiliores in oſſe humeri obſervatae.

Fig. 1.

Os humeri ſiniſtrum, ex cujus corpore non multum a capite, baſi ſatis lata a. a. antrorſum & extrorſum, prodit notabilis exoſtoſis b., ab anteriore, ut in hac figura cernitur, aequalis, rotunda.

Fig. 2.

Idem os a parte poſteriore.

a. a. Baſis ſeu principium dictae exoſtoſis.

b. Exo-

b. Exoſtoſis ipſa.

c. Eminentia, quae partem ipſius poſteriorem, inaequalem, & excavatam in duas quaſi ſuperficies dividit.

Conf. dicta ad N. DLXX. Sect. IV. pag. 226.

Fig. 3.

Pars ſuperior oſſis humeri dextri, ex cujus media & interiore parte duplex Exoſtoſis provenit; altera a. de pedunculo b. dependet, & pro reliqua parte omni libera ab oſſe eſt, ſic ut tamen pars ipſius inferior cavitati oſſis ſit impreſſa; altera c. tuberculata minor, non multum ab altera diſtans, tota quanta cum oſſe cohaeret.

Fig. 4.

Idem os ab altero latere exhibitum, ut alterius exoſtoſis Fig. 3. pedunculus ibid. b., & diſtantia ipſius ab oſſe pateat.

Conf. Sect. IV. N. DLXX. pag. 226.

Fig. 5.

Siniſtri lateris os humeri a parte poſteriore.

a. a. a. a. Exoſtoſis ex latere interiore ac poſteriore, ad diſtantiam duorum transverſorum digitorum a capite prodiens, baſi admodum ampla.

b. b. Duae majores; c. c. totidem minores eminentiae, in quas haec Exoſtoſis adſurgit; quinta adeſt etiam, ſatis notabilis, ſed hac in figura non conſpicienda. Vide Fig. 6. c.

Fig. 6.

Idem os a parte anteriore.

a. a. a. a. Exoſtoſis ampla baſi dicto ex loco enaſcens.

b. Eminentia ſatis magna. Fig. 5. b.

c. Similis, etiam notabilis, ſed in Fig. 5. non conſpicienda.

d. e. Duae aliae exiguae.

Fig. 7.

Interna ſubſtantia ejusdem Exoſtoſis tota cellularis. Margo exterior oſſis multum extenſus, extenuatus. Adimplet totam exoſtoſin ſubſtantia, ſimilis illi, quae in medio oſſium longorum canali inveniri ſolet.

Conf. Sect. IV. N. DLXX. pag. 226.

Fig. 7. & 8.

Siniſtrum os humeri, ab uno alteroque latere exhibitum, ut Exoſtoſis lata, ex poſteriori parte capitis prodiens, pateat, quam memoravi Sect. IV. N. DLXVIII. pag. 226.

Fig. 10.

Dextrum os humeri, ex cujus collo non longe a capite duae prodeunt Exoſtoſes. Altera a. definens in tres mucrones c. d. e. Altera b. ad notabilem diſtantiam a priori, & in unicum apicem f. terminata.

Fig. 11.

Idem os humeri a parte poſteriore.
a. Exoſtoſis major, in tres apices definens b. c. d. Fig. 10. a. c. d. e.
e. Alterius Exoſtoſis apex Fig. 10. b. f.
Conf. Sect. IV. N. DLXIX. pag. 226.

TABULAE CIII.

Ancyloſes radii & ulnae, poſt luxationes ſolius radii non reſtitutas, enatae.

Fig. 1.

Ulna & radius dextri lateris feminae, ab anteriore.
a. a. Ulna.
b. b. Radius, ſic ſupra ulnam ad interiora promotus, ut manus ſemper fuerit in pronatione.
c. Olecranon. d. Proceſſus coronoïdeus.
e. e Plenaria concretio radii & ulnae.
f. Degeneratum caput radii.

Fig. 2.

Eadem oſſa a parte poſteriore.
a. a. Ulna. b. olecranon. c. proceſſus coronoïdeus.
d. Degeneratum capitulum radii.
e. e. Radius.
f. f. Concretio radii & ulnae.

Fig. 3.

Pars inferior oſſis humeri ejusdem lateris.
a. Condylus poſterior. b. anterior. c. d. Rotula, ad quam caput ulnae movetur.
d. Degeneratum capitulum, cum quo olim ſinus in parte ſuperiore capitis radii committebatur.

Fig. 4.

Ejusdem lateris ulna & radius, invicem partibus ſuperioribus confluentes.
a. Olecranon. b. Proceſſus coronoïdeus. c. Capitulum ulnae.

d. Tu-

d. Tuberculum, cui tendo bicipitis muſculi adhaeſit.

e. Caput inferius radii, ſic ultra caput inferius ulnae ſ. promotum, ut manus ſemper prona fuerit.

Fig. 5.

Capita dictorum oſſium ab exteriore.

a. Ulna. b. Radius. c. Olecranon. d. Capitulum radii.

e. e. Locus, ubi haec oſſa concreverunt invicem.

Fig. 6.

Capita eorundum oſſium ab interiore.

a. Radius. b. Ulna. c. Capitulum radii, formâ mutatum.

d. Tuberculum, cui tendo muſculi bicipitis adhaeſit.

e. Olecranon. f. Proceſſus coronoïdeus.

g. Locus, ubi oſſa confluxerunt.

De his videantur dicta Sect. IV. N. DLXXIII. pag. 227.

TABULAE CIV.

Effigies feminae, cujus mamma ad enormem magnitudinem increvit. Caſum, inter partes molles morboſas, Sect. V. N. VI. pag. 232. deſcripſi. Quam, vivente adhuc femina, ſenſim ſubierit mutationem tumor, figurae duae ſubjectae docent, quarum poſterior mox a morte facta eſt; prior vero monſtrat ſtatum tumoris, eo tempore, quo effigies parata eſt, illa in parte, quae, corpori appreſſa, in figura ſuperiore exhiberi non potuit.

TABULAE CV.

Fig. 1.

Cor & pulmones una cum vaſis adhaerentibus & parte oeſophagi ex femina, cui oeſophagus & vicina aörta ſic ulcere conſumta ſunt, ut ſanguis omnis ex aörta per oeſophagum in ventriculum ſit effuſus.

a. a. Cor.

b. b. b. b. Pulmones.

c. Aspera arteria. d. d. Ejus rami ad pulmonem dextrum tendentes.

e. e. Oeſophagus.

f. f. Aörta, & ex ea prodeuntes arteriae intercoſtales.

g. Arteria ſubclavia ſiniſtra.

h. Arteria carotis ſiniſtra.

i. Truncus innominatus, fiſſus in arteriam carotidem dextram k., & ſubclaviam dextram l.

Fig. 2.

Eadem viſcera, reflexa arteria aörta, ſic ut ulcus & in oeſophago & in dicto vaſe conſpiciatur.

a. Cor.

b. b. Pulmones.

c. Aſpera arteria.

d. d. Oeſophagus.

e. e. Arteria aörta.

f. Arteria Subclavia ſiniſtra.

g. Arteria Carotis ſiniſtra.

h. Carotis dextra.

i. Subclavia dextra.

k. k. k. Eroſiones tunicarum aörtae.

l. l. Stylus per oeſophagum transmiſſus.

m. m. m. Eroſiones oeſophagi.

n. n. Ruptura in ea parte aörtae, quae oeſophago accubuit.

o. Lamellae disruptae tunicae internae aörtae.

p. Interior oeſophagi ſuperficies.

q. Externa pulmonis ſiniſtri membrana, parum ſublata, ſub qua materies ichoroſa, ex ulcere oeſophagi proveniens, ſeſe extenderat.

De his & Fig. 1. Tabulae CVI. Conf. Sect. V. N. VIII. pag. 242.

TABULAE CVI.

Fig. 1.

Pars arteriae aörtae, Tabula praecedenti delineatae, eroſa.

a. a. Pars aörtae, quae oeſophago accubuit.

b. b. Arroſa ipſius externa tunica.

c. c. Lamellae disruptae tunicae internae, in locum ſic repoſitae, ut parva tantum fiſſura remaneat.

d. d. Margines eroſi, in ambitu rupturae dictae tunicae.

Fig. 2.

Singularis arteriae ſubclaviae dextrae ex parte poſteriore aörtae origo.

a. Aörta a corde abſciſſa, viſa a parte poſteriore.

b. Carotis dextra.

c. Carotis ſiniſtra.

d. Subclavia ſiniſtra.

e. e. Subclavia dextra, enata ex parte poſteriore aörtae, & inde pone oeſophagum & aſperam arteriam ad ſuum latus tendens.

f. Aörta

f. Aörtae deſcendentis pars, in qua leviſſime tantum indicatae arteriae intercoſtales. Conf. Sect. V. N. XII. pag. 242. & 243.

Fig. 3.

Larynx cum proxima parte aſperae arteriae, pharynge, atque oeſophago, ex femina, quae aliquamdiu deglutitione difficili laboraverat. Fauces, pharynx, oeſophagus a parte poſteriore apertae, & diſſectae partes reclinatae ſunt.

a. Laryngis pars poſterior, membrana pharyngis tecta.
b. Epiglottis.
c. Aſpera arteria tecta.
e. e. Pharyngis partes diſſectae, & verſus latera reclinatae.
f. Oeſophagi interiora.
g. g. g. Eroſa oeſophagi ſuperficies.
h. Ulcus, per oeſophagum in aſperam arteriam penetrans.
i. k. Similia ulcera, minora.

Hiſtoriam morbi vide Sect. V. Num. XIV. pag. 243.

Fig. 4.

Oeſophagus hominis adulti, infra pharyngem & a ventriculo abſciſſus, inciſus, & explicatus. Infra pharyngem admodum dilatatus, ſupra ventriculum contractus, calloſus, inaequalis.

Conf. Sect. V. N. XV. pag. 245.

Fig. 5.

Gula hominis adulti, ſupra reſecta a pharynge, infra non longe a loco, ubi tranſit per diaphragma; cum vicina aörtae parte. Ab anteriore aperta eſt, ut cernatur ulcere conſumta ſuperficies.

a. a. Oeſophagus ab anteriore.
b. b. Diaphragmatis, per cujus partem carneam oeſophagus tranſit, leve veſtigium.
c. c. Aörta.
d. d. Lamellae diſſecti oeſophagi.
e. e. Eroſa, ulcere adfecta, interna ſuperficies oeſophagi.
f. f. Extenſio hujus ulceris per tunicas oeſophagi ad vicinam Aörtam.

Deſcripta eſt Sect. V. N. XVI. pag. 245.

Fig. 6.

Concretio inventa in glandula thyreoïdea hominis, qui Pelagra laboraverat; ut dictum eſt Sect. V. N. LXXXI. pag. 274.

TABULAE CVII.

Fig. 1. & 2.

Truncus arteriae aörtae, a baſi cordis abſciſſus, cum adjecto trunco arteriae pulmonalis, multum a ſolita forma aberrans, duplici modo delineatus. Plenariam deſcriptionem dedi Sect. V. Num. LXXIX. pag. 273.

a. Arteriae aörtae truncus.
b. Principium arteriae pulmonalis, in duos ramos fiſſum.
c. Carotis ſiniſtra.
d. Carotis dextra.
e. Subclavia dextra.
f. Saccus, ex quo enaſcitur ſubclavia ſiniſtra. g.
h. Ligamentum, arteriam pulmonalem aörtae alligans, olim canalis arterioſus.
i. Aörtae deſcendentis pars.

Fig. 3. & 4.

Pars inteſtini tenuis, cui diverticulum notabile adhaeret, Sect. V. N. LXXXVIII. pag. 275. deſcripta, hic delineata, ut locus in parte inferiore hujus tabulae, minor, quam qui ſequentis tabulae icones continere poſſet, adimpleretur.

Fig. 5.

Apertum abdomen virginis, hydrope ovarii laborantis, cujus caſus hiſtoriam dedi Sect. V. N. LIX. & LX. pag. 270. Conſtat ad quantam altitudinem ſeſe extenderit ovarium, aqua diſtentum, & qualem in ſitu viſcerum produxerit mutationem.

TABULAE CVIII.

Fig. 1.

Siſtit ovarium hocce ab anteriore apertum, reclinatis lamellis, quae partem anteriorem ſacci conſtituebant, ut tubercula intra ſaccum prominentia pateant. Indicatur locus, juxta quem decurrebat tuba Fallopiana.

Fig. 2.

Ejusdem morboſi ovarii ſuperficies poſterior, tuberculata.

TABULAE CIX.

Fig. 1.

Uterus ejusdem virginis, admodum inaequalis, variis tumoribus obſeſſus, ab anteriore. Tubae Fallopianae ſiniſtrae adhaeret ovarium, ſatis magnum, inaequale.

Fig. 2.

Fig. 2.

Idem uterus a parte posteriore.

Fig. 3.

Uterus, cujus ovarium alterum expansum est in tumorum rotundum, aqua repletum, hydropis ovarii initium sistentem. Vide Sect. V. N. LVIII. pag. 269.

TABULAE CX.

Fig. 1.

Uterus vetulae, cujus parti posteriori tumor admodum magnus, singularis naturae, accrevit, descriptus Sect. V. N. LII. pag. 264.

Fig. 2.

Uterus, cujus parti superiori ope tenuis pedunculi adhaeret tumor notabilis tuberculosus, & ovarium sinistrum parvum saccum, primum principium hydropis ovarii, continet. Vide Sect. V. N. XLIX. pag. 264.

Fig. 3. 4. & 5.

Corpus durum, globosum, in virginis rusticae utero inventum, illumque sic adimplens, ut neque membranacei neque humoris quidquam esset intermedium. Fig. 3. tumorem integrum sistit. Fig. 4. 5. unam alteramque secti globi partem, ut interiora conspiciantur.

Conf. Sect. V. N. XCVIII. pag. 275.

TABULAE CXI. & CXII.

Herniae inguinalis congenitae, lethalis, delineationes variae. Casus ipsius enarrationem dedi Sect. V. ad art. XL. pag. 253. seq.

Fig. 1.

a. a. Secta & reclinata integumenta de parte inferiore abdominis & scroto.

b. b. Margo integumentorum, a quo reclinata lamella abscissa est.

c. Musculi abdominales.

d. Fissura obliqui externi abdominis.

e. e. e. Saccus herniosus, seu tunica vaginalis testis, qui hoc in casu elapsas partes etiam continuit.

f. Ligamentum, quod aperto sacco sese manifestavit, hoc loco partes subjectas multum comprimens.

g. g. Omentum, quod praecipue tumorem herniosum format.

Fig. 2.

a. a. Secta & reclinata integumenta.
b. b. Margo integumentorum, a quo reclinata lamella abscissa est.
c. Musculi abdominales.
d. d. d. Tunica vaginalis explicata.
e. Ligamentum Fig. 1. f.
f. Testis dexter. g. Funis spermaticus. h. Pars Epididymidis.
i. i. Omentum, versus latus dextrum & sursum reflexum.

TABULAE CXII.

Fig. 1.

a. a. Dissecta & reclinata integumenta.
b. b. Margo integumentorum, a quo lamella reclinata abscissa est.
c. Musculi abdominales.
d. Fissura obliqui externi abdominis.
e. e. e. Tunica vaginalis aperta.
f. Ligamentum. Tab. CXI. Fig. 1. f. Fig. 2. e.
g. Locus, per quem prorupit & unde abscissum est omentum.
h. Testis dexter. i. Funis spermaticus. k. Epididymidis pars.

Fig. 2.

Pars intestini tenuis, quae in sacco hernioso etiam fuit contenta.
a. Pars constricta.
b. b. Expansio intestini supra locum constrictum.
c. c. c. Pars collapsa ultra strictura.

TABULAE CXIII.

Fig. 1.

Renes insoliti seu monstrosi, ex cadavere viri, cujus anatomicum examen descriptum est Sect. V. N. XXIX. pag. 250.
a. a. Ren dexter isque superior.
b. b. Ren inferior, qui ossi sacro accubuit.
c. Locus, ubi duo renes cohaerebant.
d. e. f. Tres rami, extra renis substantiam conspiciendi, qui originem pelvi praebent.
g. Pelvis ipsa dextri renis.
h. Ureter.
i. i. Rami duo, qui originem praebent pelvi renis inferioris.

k. Pel-

k. Pelvis ipſa.

l. Ureter.

m. Arteria aörta, ubi inter Diaphragmatis capita exit, ligata, & impleta.

n. Arteria Coeliaca.

o. Meſenterica arteria ſuperior.

p. p. Renalis arteria prima.

q. r. Hujus arteriae duo rami, ſuperiorem renis dextri partem intrantes.

s. Arteriae ſpermaticae.

t. Meſenterica inferior arteria.

u. Renalis arteria ſecunda, quae, pone venam incedens, mediam renis dextri partem intrat.

v. Tertia renalis arteria, ad renem etiam dextrum tendens.

w. Quarta arteria renalis in quatuor ramos fiſſa, quarum 1. ad renem dextrum; 2. 3. & 4. ad inferiorem pertinent.

x. x. Arteriae iliacae.

y. y. Iliacae externae.

z. z. Iliacae internae.

α. Arteria ex iliaca ad renem inferiorem tendens.

β. Vena cava infra hepar ligata, impleta.

γ. Vena renalis prima, quae bifida renem intrat.

δ. Vena ſecunda. Haec primo dat ramum ε., qui ante pelvim decurrit, & cum ramo venae γ. ad ζ. communicans deſinit in ſpermaticam η., emiſſo prius adhuc ramo ad renis partem mediam ϑ. Deſcendit tunc ι., ad renem inferiorem κ. pertingit, ibique in multos ramos fiſſa terminatur.

λ. Tertia vena renalis, quae ramum ſurſum aliumque deorſum emittit ad renem dextrum.

μ. Parva vena, intrans renis ſubſtantiam.

ν. ν. Venae iliacae.

ο. Vena, ex iliaca ſiniſtra in renem inferiorem tendens.

π. Vena ſpermatica ſiniſtra.

Fig. 2.

Veſica urinaria viri, ex Iſchuria vera mortui, poſt factam dicti cavi punCturam, intra cujus cavitatem prominet tumor pyriformis. Hiſtoriam morbi, factae operationis, & examen cadaveris, plene enarravi Sect. V. ad N. XLII. pag. 259. ſeq.

a. a. Peritonaeum, quod pro parte veſicam etiam inveſtit.

b. b. Veſicae corpus, a peritonaeo liberum.

c. Locus, ubi punCtura facta fuit.

d. d. Sectae ab inflicta plaga per cervicem veſicae margines admodum craſſi.

e. Urethrae principium, & in eo caput gallinaginis & aperturae veſicularum ſeminalium.

f. f. Proſtata, in durum tumorem degenerata.

g. Tumor pyriformis ex degenerata proſtata enatus, & magnam partem veſicae opplens.

TABULAE CXIV.

Hac & ſequenti Tabula ſiſtitur ſeries calculorum maxime notabilium ſede, quam occuparunt, forma, magnitudine, numero, ſuperficie, compoſitione interna, qualitatibusque aliis.

Fig. 1.

Calculus, lacrymarum viis exſectus. Sect. VI. N. I. pag. 279.

Fig. 2.

Sublingualis calculus, oblongus. Sect. VI. N. II. a. pag. 279.

Fig. 3. & 4.

Similis, qui antequam prodiit, in fruſta eſt diffractus. ibid. b.

Fig. 5.

Unus ex calculis variis veſicae felleae. Sect. VI. N. XIII. pag. 280.

Fig. 6. & 7.

Calculi duo reperti in canalibus choledochis vetulae, ex aſcite mortuae. Fig. 7. cernitur ſuperficies, qua ſeſe contingebant. Ibid. N. XII. pag. 280.

Fig. 8.

Calculus bilioſus, alvo redditus a matrona, ſeptuaginta & octo annos nata, poſt perpeſſas horrendas anxietates, continuos vomitus, aliaque ſymptomata. Ibid. Num. XIV. pag. 280.

Fig. 9.

Ectypus calculi fellei alvo excreti. Ibid. N. XV. pag. 280.

Fig. 10.

Calculi renalis ectypus, figura, magnitudine, pondere notabilis. Ib. N. XVII. p. 280.

Fig. 11.

Calculus renalis. Ibid. N. XIX. pag. 281.

Fig. 12.

Fig. 12. & 13.

Calculus renalis, integer, & diſſectus. Sect. VI. N. XX. pag. 281.

Fig. 14. 15. & 16.

Calculus renalis, qui ſibi per abſceſſum in lumbis viam fecit. Ibid. N. XXIII. p. 282.

Fig. 17.

Tres calculi ex quinquaginta & octo, ſectionis ope ex veſica infantis undecim annorum extractis. Ibid. N. XXIV. pag. 282.

Fig. 18. & 19.

Calculus ingens, viginti uncias cum dimidia pondere aequans, quatuor pollices cum dimidio longus, tres cum dimidio latus, duos cum dimidio craſſus, qui ex cadavere molitoris, annos quadraginta ſeptem nati, &, cum operatio ad extrahendum calculum peragebatur, mortui, exemtus eſt. Pronepos hujus viri calculum Goudae adhuc adſervat. Addita inſcriptio docet anno 1688., cum facta operatio eſt, pondus fuiſſe viginti duarum unciarum cum dimidia. Dicitur nulla aut vix ulla calculi ſymptomata fuiſſe paſſus, niſi tribus ultimis vitae diebus, poſtquam irâ incitatus curru exſilierat, quo momento vehementes percepit dolores. In Theatro noſtro icones hujus calculi adſervantur, dono datae a Clar. Bleuland, tunc Poliatro Goudano, nunc Medicinae, Anatomes, Chirurgiae & Artis Obſtetriciae, Profeſſore in Academia Gelro-Zutphanica meritiſſimo.

Fig. 20. & 21.

Calculi triangulares duo, quorum alter ſectione extractus, alter poſt mortem in veſica inventus eſt. Conf. Sect. VI. N. XXVI. pag. 283.

Fig. 22. & 23.

Magnus, ovalis, veſicae calculus, & integer, & ferrae ope diviſus, quindecim drachmarum, a virgine, ſeptuaginta annorum, ſponte excretus. Ibid. N. XXVII. pag. 285.

Fig. 24.

Ectypus calculi ſimilis, ex urethra puellae ſeptendecim annorum extracti. Ibid. N. XXVIII. pag. 285.

Fig. 25.

Calculus veſicae globoſus, parum tamen ab anteriore & poſteriore compreſſus, in collum non adeo craſſum deſinens, figuram quodammodo contractae veſicae repraeſentans; ponderis ſex unciarum & dimidii. Sect. VI. N. XXX. pag. 287.

Fig. 26. & 27.

Calculus veſicae ovalis, durus, coloris fuſci, intus nucleum parvum, ramoſum, continens, tenuiſſima cruſta extrinſecus obductus, ex juvene ſeptendecim annorum, nono ab operatione die mortuo. Ibid. N. XXIX. pag. 287.

Fig. 28.

Calculus veſicae oblongus, duas uncias totidemque drachmas pondere aequans. Ibid. N. XXXI. pag. 287.

Fig. 29.

Calculus, in cadavere pueri inventus, cujus pars inferior haeſit in ſacco, ad dextram veſicae partem, ſupra urethram, pars ſuperior intra veſicam prominuit. Oſtium contractius calculi medium comprehendebat. Ibid. N. XXXII. pag. 287.

Fig. 30.

Similis formae calculus. Ibid. N. XXXIII. pag. 288.

Fig. 31. & 32.

Calculi duo, quorum alter magnus, ovatus, variis, duris, parvis, anguloſis, nigris, eminentiis gaudens, in veſica inventus; alter minor, qui urethrae inhaeſit. Ibid. N. XXXIV. pag. 288.

Fig. 33.

Calculus veſicae, rotundus, maxime ſcaber, eminentiis acutis innumeris aſper. Ibid. N. XXXVII. pag. 290.

Fig. 34. & 35.

Calculus veſicae ovalis, ſcaber; & integer, & ferrae ope diviſus. Ibid. N. XXXVIII. pag. 290.

Fig. 36.

Calculus veſicae compreſſus, ferme circularis, cryſtallis bene multis extrinſecus obſeſſus. Ibid. N. XXXIX. pag. 290.

TA-

TABULAE CXV.

Fig. 1. & 2.

Calculus veſicae aſper, ramoſus, ramis inaequalibus, intus parvum nucleum recondens, cui varia varii coloris ſtrata ſunt appoſita.
Vide Sect. VI. N. XLIII. pag. 290.

Fig. 3. & 4.

Calculus veſicae ſimilis, major, ramis majoribus, craſſioribus, inſtructus.
Ibid. N. XLIV. pag. 290.

Fig. 5. & 6.

Calculus veſicae ſimilis, minor, ramis non ita diſtinctis. Nucleus quodammodo pyriformis eſt; hunc cingit cruſta flava, hanc albicantior, ramoſa quaſi, tum alia magis fuſca, denique albidior. Ibid. N. XLV. pag. 291.

Fig. 7. & 8.

Calculus veſicae ovalis, laevis, durus, ſiliceus. Circa nucleum duriorem appoſitae ſunt lamellae friabiliores. Ibid. N. XLVI. pag. 291.

Fig. 9. & 10.

Calculus ſimilis, multo durior. Lamellae, nucleo circumpoſitae, inſigniores.
Ibid. N. XLVII. pag. 291.

Fig. 11. 12. 13. & 14.

Calculus, ovalis, aſper, intus nucleum ovalem flaveſcentem recondens, quem cingunt varia ſtrata, fuſcum, album, priori tenuius, fuſcum iterum craſſius, & hoc ſtratum, quod inaequalem admodum externam ſuperficiem habet Fig. 13. rurſus incruſtatum eſt lamella albicante, ſed extrinſecus fuſca, ſic ut portio hujus diffracta Fig. 14. intus tot foveas monſtret, quot dantur in dicta parte eminentiae.
Ibid. N. XLVIII. pag. 291.

Fig. 15.

Pars dimidia ſimilis calculi. Ibid. N. XLIX. pag. 291.

Fig. 16.

Calculus durus, oblongus, extrinſecus alba, calcarea quaſi, materie obſeſſus. Sect. VI. N. L. pag. 291.

Fig. 17.

Calculus ſimilis, figurae magis irregularis. Ibid. N. LI. pag. 291.

Fig. 18. & 19.

Calculus moriformis, rotundulus tamen, diſtinctum nucleum recondens. Ibid. N. LII. pag. 291.

Fig. 20. & 21.

Calculus oblongus, ſuperficiëi inaequalis, non tamen ita aſperae, parvum nucleum intus monſtrans. Ibid. N. LIII. pag. 291.

Fig. 22.

Calculus horridus, durus, ſiſtens quaſi congeriem parvorum calculorum, conjunctorum inter ſe, ſed qui tamen, ſerrae ope diviſus, verum nucleum exhibuit. Ibid. N. LIV. pag. 291.

Fig. 23. & 24.

Calculus veſicae, moro ſimilis, durus, integer delineatus, licet corticis pars decuſſa ſit. Serrae ope diviſus in meditullio parvum nucleum monſtrat. Ibid. N. LV. pag. 291.

Fig. 25.

Calculus parvus, durus, ovatus, compreſſus, reticulatam quodammodo ſuperficiem exhibens, parvum nucleum recondens. Ibid. N. LVI. pag. 291.

Fig. 26. & 27.

Calculus ſimilis, paulo major, ſuperficie aſpera gaudens; cujus nucleo egregie circumpoſitae lamellae variae ſunt. Ibid. N. LVII. pag. 292.

Fig. 28.

Fig. 28. & 29.

Calculus cuneiformis. In latiori baſi rotundula ſuperficies diſtinguitur; ab illa baſi latera ſic concurrunt, ut deſcendendo apicem, latum quidem, ſed acutum, referant, & calculus hic, in duas partes diviſus, triangularem formam repraeſentet.
Sect. VI. N. LVIII. pag. 292.

Fig. 30.

Calculus ovalis, extrinſecus admodum inaequalis, intus diſtinctum alium calculum continens; qui ut pateat, pars quarta calculi ſerratione ablata eſt.
Ibid. N. LIX. pag. 292.

Fig. 31.

Calculus moriformis, ramis admodum prominentibus aſper. Ibid. N. LX. p. 292.

Fig. 32. & 33.

Calculus aſper, inaequalis, coloris obſcure fuſci, intus parvum alium recondens.
Ibid. N. LXI. pag. 292.

Fig. 34.

Calculus admodum aſper, tuberculatus, ramoſus, coloris nigricantis, formae globoſae. Ibid. N. LXII. pag. 292.

Fig. 35. & 36.

Calculi duo, ea ſuperficie, qua ſeſe attigerunt, parum excavati, glabri, politi; caeterum inaequales. Alter capite magno conſtat, unde collum, medio loco contractum, procedit. Ibid. N. LXVII. pag. 292.

Fig. 37. & 38.

Calculi duo formae irregularis, interna ſubſtantia duriſſima, externa friabiliori, conſtantes. Ibid. N. LXIX. pag. 292.

Fig. 39.

Calculus ovalis, ſiliceus, inaequalis, duos & ultra pollices longus.
Ibid. N. LXX. pag. 292.

Fig. 40. & 41.

Calculi duo, alter rotundus, compreſſus, alter ovatus, ſed media parte latior. Utriusque ſuperficies eſt glabra, admodum polita, iis in locis, quibus ſeſe attigerunt.
Sect. VI. N. LXXI. pag. 292.

Fig. 42. & 43.

Calculi duo, oblongi, compreſſi, ex juvene octodecim annorum extracti, una cum tribus ſimilibus. Intus cavi ſunt, & intra cruſtam albam, ſatis denſam, Fig. 43. delineatam, videntur continere ſanguinem congrumatum, exſiccatum. Ibid. N. LXXIII. p. 293.

Fig. 44.

Calculus ferme rotundus, ſuperficie admodum inaequali, tuberculata, ponderis duarum unciarum & quinque drachmarum. Ibid. N. LXXXI. pag. 293.

Fig. 45.

Calculus, ex urethra juvenis, ſecta foſſa naviculari, a latere frenuli exemtus. Ibid. N. XCVI. pag. 294.

TABULAE CXVI. & CXVII.

Infantes duo aethiopici, a ſummo thorace ad infimum abdomen concreti. Confuſa ſunt genitalia, & eorum nil diſtingui poteſt. Sacculus ex abdomine prodit, ubi funis originem trahere debet, corrugatus, in genitalia terminatus. Quatuor brachia perfecta adſunt, duo pedes, maximam partem bene conformati, tertius difformis eſt, quarti non niſi veſtigium adeſt. Alter infans, isque dexter, ſolo dextro artu inferiore gaudere videtur, alter & dextro & ſiniſtro; dextri pes contortus ſeptem habet digitos, & ex femore hujus lateris, non longe ſupra genu, tumor prodit, ſiſtens quarti artus inferioris, deficientis, quaſi principium.
Conf. Sect. VII. N. I. pag. 299.

TABULAE CXVIII. & CXIX.

Puellae duae, abdomine concretae. Altera major, perfectior alterâ, videtur. Artus omnes adſunt, ſuperiores perfecti, non quidem imperfecti inferiores, ſed alterius infantis minus toroſi. Ab altero latere ventris veſtigium communis funiculi umbilicalis cernitur. Vulvae duae ſic ſeſe contingunt, ut media videatur eſſe apertura ani, utrique communis.
Conf. Sect. VII. N. II. pag. 299.

TABULAE CXX.

Puellae duae, pulcherrimae, integrae, perfectae, parte inferiore pectoris & ſuperiore ventris ad umbilicum usque concretae. Ubi hoc in loco a ſe invicem recedunt, ſaccus cernitur, qui viſcera abdominalia continere videtur, & ex cujus parte inferiore prodit funis umbilicalis.

Conf. Sect. VII. N. III. pag. 299.

TABULAE CXXI.

Puella pulcherrima, toroſa, biceps, caeterum perfecta. Dextrum caput paulo minus ſiniſtro, non multum ab humero ſui lateris diſtat, & oblique verſus illud inclinat. Notabilis hinc diſtantia inter duo capita eſt, & eo in loco, ſed magis a parte poſteriore, oritur tuber, ut patet ex Tab. CXXII. Fig. 1., lata ſatis baſi, verſus caput ſiniſtrum adſcendens, & in apicem terminatum.

TABULAE CXXII.

Fig. 1.

Ejusdem puellae pars ſuperior a poſteriore. Cernitur eminentia inter duo capita.

Conf. Sect. VII. N. IV. pag. 299. & 300.

Fig. 2.

Bicipiti puellae, Tabula praecedente & hujus Fig. 1. depictae, addenda videtur effigies capitis foetus maturi, acephali, utpote ſiſtentis quodammodo exemplum foetus bicipitis, admodum imperfecti, quo adſpectu etiam caſum hunc, a Clar. van Doeveren deſcriptum Obſervat. Acad. cap. 2. pag. 49. & ab eodem depictum, conſiderat Clar. SÖMMERINGIUS Abbildungen und Beſchreibungen einiger Misgeburten, pag. 10. Tab. 2.

Conf. Sect. VII. N. V. pag. 300.

Fig. 3.

Foetus maturus acephalos. Perfectus & robuſtus eſt, ſi caput excipimus, quod, collo breviore ſuffultum, ſuperiore parte maxima deſtituitur. Galea nempe cranii, a ſuperciliis usque ad imam occipitis partem, deëſt, & deficiunt oſſa, quae ſuperiorem conceptaculi partem, ſano in ſtatu, formant. Adimplet defectum maſſa ruberrima, deformis, tenui membrana tecta.

Conf. Sect. VII. N. VI. pag. 301.

TABULAE CXXIII.

Fig. 1.

Pars ſuperior foetus maturi acephali. Collum vix ullum, inter humeros ſic depreſſum caput, & pectori mentum appreſſum, ut auricularum lobi inferiorem, quam humeri, locum occupent. Oſſa cranii maximam partem deficiunt, aut eorum non niſi eae adſunt partes, quae baſin cranii formant. Margo oſſeus ſupra ſupercilia digitis percipitur, ubi os frontis deſinit. Supra hunc rotundula eminentia apparet, & ab hac incipit ſaccus ampliſſimus, qui aquam continuit, factus ex integumentis, quibus capilli inhaerent.

Fig. 2.

Eaedem partes foetus ejusdem a poſteriore depictae. Saccus juxta dorſum deſcendit, & verſus latus ſiniſtrum praecipue ſeſe extendit. Dehiscunt vertebrae colli, ſaltem ſuperiores, ut in ſimilibus caſibus etiam locum habet, & Tab. XXXV. Fig. 6. & 7. depictum eſt.

Conf. Sect. VII. N. X. pag. 302.

TABULAE CXXIV.

Jungo acephalis, in quibus ſpinam ſubinde fiſſam eſſe ſaepius obſervavi, exemplum ſpinae bifidae, obſervatae in puella, hoc non tantum morbo, ſed etiam hydrocephalo, laborante, cujus cranium deſcriptum eſt Sect. IV. N. IV. pag. 129. & depictum Tab. VII. Fig. 1. 2. 3.

Fig. 1.

Figura haec prima ſeu ſuperior ſiſtit lumbos partesque artuum inferiorum hujus infantis. Apertura cernitur in lumbis, pollicem longa, duas tertias pollicis partes lata. Formant integumenta marginem craſſum, rotundulum, rubellum, ſenſim verſus interiora extenuatum. Digitis ſub hoc margine oſſa prominentia percipiebantur. In fundo aperturae membrana tenera, rubella, adeſt, per quam transparet corpus oblongum, ſulco non admodum profundo in duas partes diviſum, quod vera medulla ſpinalis eſt.

Fig. 2.

Anterior ex duabus inferioribus figuris exhibet partem inferiorem ſpinae cum pelvi & femorum partibus, ab omnibus partibus mollibus liberam, relicta in canali oſſeo medulla ſpinali cum ſuis involucris.

Dura mater in parte ſuperiore aperturae, ſeu dehiſcentis ſpinae, integra eſt, & verum canalem format, dein vero dehiſcit, & medulla nuda conſpicitur. Vertebrae

duae ultimae dorſi a parte poſteriore clauſae ſunt, & partes laterales oſſeae per cartilaginem, quae in adultis in proceſſum ſpinoſum excreſcit, conjunguntur. Partes laterales oſſeae vertebrarum omnium lumborum a ſe invicem remotae ſunt per tumorem, aquam continentem, ſenſim magnitudine auctum, conſumta cartilagine dicta. Membrana defectum in oſſe ſacro, a parte poſteriore, claudit.

Fig. 3.

Hac figura eadem pars ſpinae cum pelvi & femoribus exhibetur, ſeparatis non tantum omnibus partibus mollibus, ſed ſublata etiam medulla ſpinali cum ſuis involucris, ſic ut nudus appareat canalis oſſeus, & mutationes, quas oſſa ſubierunt, facillime percipiantur. In omnibus vertebris lumborum cernuntur nuclei oſſei, qui hac aetate in medio corpore, caeterum adhuc cartilagineo, adeſſe ſolent, & cum quibus partes laterales oſſeae per cartilaginem cohaerent; quae partes laterales multum a ſe invicem ſunt remotae, ut ex praecedenti figura jam conſtat.

Conf. Sect. VII. N. XVI. pag. 304.

Cranium acephali, ab omnibus partibus mollibus depuratum, exacte delineatum eſt Tab. XXXV. Fig. 2. 3. 4. & 5. & ſatis ampla deſcriptio harum figurarum, hujus voluminis pag. 37. & ſequentibus data, quaenam oſſa vel plane vel pro parte deficiant, quaenam in ſitu mutata ſint, abunde docet.

TABULAE CXXV.

Infans monſtroſus, cujus abdomini adhaerent partes poſteriores infantis alterius, ope lamellae, cutaneae, tenuis, in figura ſuperiore proximae tabulae depictae.

Nates & femora a loco illo, ubi cohaerent cum abdomine, ferme recta ſunt, aut parum oblique ad genua deſcendunt. Linea nulla nates diſtinguit. Nulla ani adeſt apertura, & in cute exigua tantum cernitur fovea. Genitalia nulla adſunt. Pedes naturales ſunt. Deſcriptionem pleniorem hujus infantis dedi Sect. VII. Num. XIII. pag. 302.

TABULAE CXXVI.

Fig. 1.

Pars abdominis infantis, tabula praecedenti delineati, cum partibus alterius infantis, ipſi accretis, hic ſurſum reclinatis, ut conſtet, non niſi tenuis lamellae ope partes ventri adhaerere, & pateat, quid loco genitalium inveniatur.

Fig. 2. & 3.

Foetus acephalos, hernia umbilicali notabili laborans, ex cujus capite a poſteriore dependet ſaccus, qui ſine dubio cerebrum continet, ab anteriore & a poſteriore delineatus.

Cranii ossa videntur sese habere, ut in aliis acephalis, & ea, quae superiorem conceptaculi cerebri partem constituunt, deficere.

Conf. Sect. VII. N. IX. pag. 302.

TABULAE CXXVII.

Fig. 1.

Foetus ferme maturus, cujus capitis parti laterali dextrae, deficiente auricula, tumor adhaeret, qua caput respicit, concavus, & illud quasi intra capacitatem suam recondens, sic ut caput huic, tanquam pulvinari, incumbere videatur. Extrinsecus non ubique aeque aequalis tumor est, iisdem integumentis, quibus caput, gaudet; dissectus vero substantiam, steatomati non absimilem, exhibuit.

Fig. 2.

Idem foetus a latere sinistro delineatus, ut magnitudo tumoris respectu capitis conspiciatur.

Conf. Sect. VII. N. XV. pag. 304.

FINIS.

I.









Fig. 2.

Fig. 1.





Fig. 3.

VI.

Fig. 1.



Fig. 4.



Fig. 2.

Fig. 5.



Fig. 6.

Fig. 3.



Fig. 7.



Fig. 1.



Fig. 2.

Fig. 3.

VIII.

Fig. 1.



Fig. 2.



IX.

Fig. 1.



Fig. 2.



Fig. 3.



Fig. 4.



X.





XI.

Fig. 3.



Fig. 2.



XII.



XIII.

Fig. 1.



Fig. 3.



Fig. 2.

Fig. 4.



Fig. 5.

Fig. 7.



Fig. 8.



Fig. 6.



Fig. 9.



XIV.

Fig. 1.



Fig. 2.



Fig. 3.



Fig. 4.



XV.

Fig. 1.



Fig. 2.

Fig. 3.

Fig. 4.



XVI.

Fig. 1.

Fig. 2.



Fig. 3.



Fig. 4.



XVII.

Fig. 3.



Fig. 2.



XVIII.

Fig. 3.



Fig. 2.



Fig. 3.



Fig. 3.

Fig. 4.

Fig. 2.



Fig. 1.



Fig. 2.



Fig. 1.

Fig. 3.



Fig. 4.

Fig. 2.



Fig. 2.



Fig. 3.

Fig. 1.

Fig. 4.



Fig. 5.



Fig. 1.



Fig. 2.



Fig. 7.



Fig. 5.



Fig. 6.

Fig. 3.



Fig. 4.

Fig. 1.



Fig. 2.

XXV.

Fig. 1.

Fig. 2.



XXVI.

Fig. 1.



Fig. 2.

XXVII.

Fig. 2.

Fig. 5.



Fig. 6.



Fig. 1.



Fig. 3.

Fig. 4.

Fig. 7.

Fig. 9.

Fig. 8.



Fig. 1.



Fig. 2.

Fig. 3.



Fig. 4.

Fig. 5.

Fig. 6.



Fig. 7.



XXIX.

Fig. 1.



Fig. 2.



Fig. 3.



Fig. 4.



Fig. 5.





Fig. 3.


a
b
b
c
d
e
g
f
i
i
h
i
m
l
k
u
β
u
v
q
p
l
x
r
n
u
v
o
y
x
y
s
t
s
u
w
x
α
z

Fig. 2.


a
a
b
d
d
g
f
e
k
h
e
n
q
k
i
o
n
n
l
p
o
r
n
r
m
r



e
f
d
g
b
l
l
a
c
m
l
a
h
c
k
i
y
n
p
n
r
o
o
q
t
t
q
u
u
w
w
x

Fig. 1.



Fig. 2.



Fig. 3.



Fig. 4.

Fig. 5.



Fig. 6.



Fig. 7.



Fig. 2.

Fig. 3.

Fig. 1.



Fig. 6.

Fig. 7.

Fig. 8.

Fig. 9.

Fig. 4.

Fig. 5.



XXXVI.

Fig. 1.

Fig. 2.



Fig. 3.

Fig. 4.



Fig. 5.

Fig. 6.



Fig. 7.

Fig. 8.



Fig. 9.

Fig. 10.

Fig. 11.

Fig. 12.

Fig. 13.

Fig. 14.



Fig. 15.



Fig. 1.

Fig. 5.

Fig. 6.



Fig. 2.



Fig. 3.

Fig. 4.

XXXVIII.

Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 5.



Fig. 6.



Fig. 7.



Fig. 3.



Fig. 4.

Fig. 4.

Fig. 5.

Fig. 6.



Fig. 7.



Fig. 2.



Fig. 3.



XL.

Fig. 3.



Fig. 2.

Fig. 6.



Fig. 3.

Fig. 7.

Fig. 4.

Fig. 5.



Fig. 1.

c
g
a
i
f
e
b
h
d
k
j
2
l
3
4
m
n
o
5
p
t
6
x
u
q
7
y
v
8
r
z
s
α

Fig. 2.

h
i
p
a
2
q
ε
b
k
α
3
β
c
4
t
d
1
5
u
e
x
y
f
6
m
w
l
z
n
o
γ
δ

Fig. 1.

m
n
o
l
k
i
p
q
9
8
7
6
5
4
3
2
1
g
f
e
h
d
a
b
c

Fig. 2.

ε
μ
λ
ν
ξ
ο
π
ρ
σ
τ
υ
φ
χ
ψ
ω
α
β
γ
δ
ζ
η
θ
ι
κ
1
2
3
4
5
6
7
8
9

XLIII.

Fig. 3.



Fig. 4.



Fig. 2.



XLIV.

Fig. 1.



Fig. 2.

Fig. 3.

Fig. 6.

Fig. 4.



Fig. 5.



XLV.

Fig. 1.



Fig. 2.



Fig. 3.

Fig. 6.



Fig. 7.



Fig. 4.

Fig. 5.



XLVI.

Fig. 1.

Fig. 2.



Fig. 3.

Fig. 4.

XLVII.





Fig. 4.

Fig. 5.



Fig. 2.



Fig. 6.

Fig. 7.

XLVIII.

Fig. 1.

Fig. 2.



Fig. 5.



Fig. 3.



Fig. 6.

Fig. 4.



Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 6.

Fig. 3.

Fig. 7.

Fig. 4.



Fig. 5.







LVI.




z
y
u
p
t
x
o
s
r
m
n
k
l
e
f
b
c
g
d
a
w

z
y
x
α
α
w
u
r
p
t
q
o
s
m
l
n
k
h
g
f
i
e
d
e
c
b
a



LX.



Fig. 1.

Fig. 3.



Fig. 2.

Fig. 1.



Fig. 4.



Fig. 2.



Fig. 3.



Fig. 1.



Fig. 2.



Fig. 1.



Fig. 2.

Fig. 1.



Fig. 2.



Fig. 3.



Fig. 5.

Fig. 4.

Fig. 6.



Fig. 8.

Fig. 7.

Fig. 1.



Fig. 2.



Fig. 3.



Fig. 5.

Fig. 4.

Fig. 6.

Fig. 7.

Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 3.

Fig. 4.

Fig. 6.

Fig. 7.

Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 3.

Fig. 4.



Fig. 1.



Fig. 2.

Fig. 3.

Fig. 4.

Fig. 5.

Fig. 3.

Fig. 1.



Fig. 2.

Fig. 4.

LXXI.

Fig. 1.

Fig. 3.

Fig. 5

Fig. 2.

Fig. 4.

LXXII.

Fig. 1.

Fig. 2.



LXXIII.

Fig. 1.



Fig. 2.



Fig. 1.

Fig. 2.





Fig. 3.



Fig. 4.



Fig. 1.



Fig. 2.

Fig. 1.

Fig. 2.



Fig. 3.



Fig. 4.



Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 3.

Fig. 4.

Fig. 5.

Fig. 6.

LXXVIII.

Fig. 1.



Fig. 2.

Fig. 3.



Fig. 4.

Fig. 5.



Fig. 6.



Fig. 7.

Fig. 1.



Fig. 3.



Fig. 2.

Fig. 5.



LXXX.

Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 3.

Fig. 4.

Fig. 5.

Fig. 1.

Fig. 2.



Fig. 3.



Fig. 1.

Fig. 2.



Fig. 3.

Fig. 1.

Fig. 3.

Fig. 2.



LXXXIV.

Fig. 1.



Fig. 3.

Fig. 2.



Fig. 4.

Fig. 5.



Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 3.

Fig. 4.

Fig. 5.

Fig. 7.

Fig. 6.

Fig. 8.

Fig. 10.

Fig. 9.

Fig. 2.

Fig. 3.



Fig. 4.

Fig. 5.



LXXXVII.

Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 3.

Fig. 6.

Fig. 4.

Fig. 5.

Fig. 7.



Fig. 8.



Fig. 9.

Fig. 10.

Fig. 12.

Fig. 13.

Fig. 2.

Fig. 4.

Fig. 3.



Fig. 5.

Fig. 6.

Fig. 2.

Fig. 3.



Fig. 1.

Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 3.

Fig. 4.

Fig. 1.



Fig. 4.

Fig. 3.



Fig. 2.

Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 3.

Fig. 4.

Fig. 1.

Fig. 3.

Fig. 2.

Fig. 1.

Fig. 5.

Fig. 3.



Fig. 4.

Fig. 7.



Fig. 8.

Fig. 2.

Fig. 6.

Fig. 2.

Fig. 3.



Fig. 4.



Fig. 5.



Fig. 1.



Fig. 3.

Fig. 4.

Fig. 2.



Fig. 3.

Fig. 4.

Fig. 1. *Fig.* 2.

Fig. 1.

Fig. 3.

Fig. 4.

Fig. 2.



Fig. 1.



Fig. 2.

Fig. 4.

Fig. 3.



Fig. 5.



Fig. 6.

Fig. 1.

Fig. 3.

Fig. 4.

Fig. 2.



Fig. 5.

Fig. 6.



Fig. 7.

Fig. 8.

Fig. 12.

Fig. 10.

Fig. 11.

Fig. 13.

Fig. 9.



Fig. 1.



Fig. 3.

Fig. 4.

Fig. 2.

Fig. 5.

6

7

8

9.

Fig. 3.

Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 4.

Fig. 5.

Fig. 7.



Fig. 6.



Fig. 8.

Fig. 10.



Fig. 11.

Fig. 9.



Fig. 1.



Fig. 3.

Fig. 2.

Fig. 4.

Fig. 5.

Fig. 6.

Fig. 1.



Fig. 2.



Fig. 1.

Fig. 6.

Fig. 2.

Fig. 5.

Fig. 3.



Fig. 4.

Fig. 1.



Fig. 2.



Fig. 5.



Fig. 3.

Fig. 4.



Fig. 1.

Fig. 2.



Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 3.

Fig. 1.



Fig. 4.



Fig. 3.



Fig. 5.

Fig. 2.




1.
a
c
b
d
e
f
g
a
b


2.
a
c
b
i
e
d
h
f
d
a
b



2.

Fig. 3.



Fig. 2.



CXIV.

1.
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17.
18
19
20.
21
22
23
25.
26
27
24
28
29.
30.
31.
32
33
34
35.
36.

CXV.

1 2 3 4 5 6

7 8 9 10 11 12. 13 14.

15. 16 17. 18 19 20 21 22

23 24 25. 26 27 28 29 30

31 32 33 34 35 36

37 38 39 40 41. 42 43 45. 44







CXXV.

CXXVII.



RISR B8919

BIBLIOTHEEK
7 7496 00037641 6
NATIONAAL NATUURHISTORISCH MUSEUM Postbus 9517 2300 RA Leiden Nederland

MUSEUM

ANATOMICUM.

VOLUMEN QUARTUM.

MVSEVM
ANATOMICVM
ACADEMIAE
LVGDVNO-BATAVAE.

VOLVMEN QVARTVM

DESCRIPTVM

A

GERARDO SANDIFORT.

S. PARS. MUSEUM SAN NATURAL. LEIDEN

LVGDVNI BATAVORVM

APVD S. ET J. LVCHTMANS

ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.

MDCCCXXXV.

TABULAE

ANATOMICO-PATHOLOGICAE.

RIJKS MUSEUM VAN NATUUR
LEIDEN.

'S RIJKS-MUSEUM VAN NATUURLIJKE ... LEIDEN.

TABULAE ANATOMICO-PATHOLOGICAE.

Tabularum Anatomico-Pathologicarum necessitatem, copiosis verbis hisce temporibus demonstrare velle, certe inutile opus foret. Nemo enim praxin Medico-Chirurgicam factitans non tantum summae illarum utilitati, verum etiam illarum necessitati assentietur, ut longe majori, quam tabularum anatomicarum, sanam corporis partium structuram repraesentantium.

Nimirum Anatomicus, artem suam exercens, praevidit, se illas partes, licet subtilissimas, quas vel ipse unquam in cadavere praeparaverit, vel ab aliis Anatomicis praeparatas conspexerit, denuo inventurum esse; dummodo juxta praecepta artis sectiones instituat. Natura enim quam maxime sibi constans est in evolutione partium, in statu nempe ad sanitatem perfectissime accommodato. Sed suam illae Tabulae habent utilitatem, quoniam vita brevis, ars vero longa sit, adeoque longe absit, ut quivis Anatomicus omnia, quae in structura corporis, sectioni subjiciendi, observari possent, indigare valeret; multumque hae Tabulae conferunt, ut is, qui omnibus viribus in hanc scientiae medicae disciplinam incumbit, omnes corporis partes facile cognoscat; imo aliorum observationibus locupletatus, exploratione partium minus cognitarum scientiam medicam in una alterave parte amplificare valeat.

Aliam praeterea, imo longe majorem utilitatem et necessitatem habent Tabulae Anatomico-Pathologicae; etenim licet Natura in statu morboso et suas sequatur leges, attamen in variis morborum periodis longe alia, imo interdum sibimet fere opposita phaenomena offert, quae singula, ut genuina morbi Natura cognoscatur, omnino cognosci debent.

Quum itaque omnibus neque ea contingit fortuna singulas partium degenerationes ejusdem morbi cultro anatomico indagare, neque praeparationes Anatomico-Pa-

Pathologicas continuo oculis usurpare, et consulere, ne dicamus, colligere; artis caelandi ministerio omnibus copia datur morborum effectus in singulis organis rite cognoscendi, partiumque habitum, verbis saepe vix describendum, quique favente fortuna aliquando fuit observatus, neque integre et incorrupte asservari potuit, et vix unquam denuo observabitur, addiscendi; has difficultates ars caelandi Tabulaeque Anatomico-Pathologicae in artis emolumentum, generisque humani commodum praevertunt.

Neque objiciat quis, summos Viros, anatomes pathologicae auctores atque fundatores, solummodo exactissimas descriptiones, minime vero Tabulas Anatomico-Pathologicas nobis reliquisse, nihilominus illorum scripta, summa cum voluptate, neque minori cum utilitate ab omnibus pervolvi, consulique. Ad quam objectionem animadvertimus, eo tempore, quo anatomia generalis nondum erat exculta, accuratam, imo ut dicamus, graphicam partium descriptionem rem egregie illustrasse; hodie vero, postquam omnium partium interna structura quam exactissime est indagata, et texturae diversae in tot systemata organica sunt redactae, illarumque diversae degenerationes pathologicae, sed in iisdem morbis constanter eaedem, cognitae sunt, harum Tabularum necessitas longe major evadit, iisque simul praecedentium saeculorum scriptores egregie illustrantur; manifestumque iis fit, quam fideles sunt observationes, posteritati ab illis relictae.

Haec mente volvens, et defuncti Patris effati memor „ tum demum Anatomen „ Pathologicam exoptandos facturam esse progressus, speratamque utilitatem pro- „ ducturam, quando omnes, quibus praeparationum hujus generis collectio est, „ vires suas conjungant, inceptumque opus erigant, demumque absolvere conen- „ tur" (1), minime incongruum duxi, quamvis in descriptione praeparationum Anatomico-Pathologicarum, ex supellectile Brugmansii et Bonnii V. V. Cl. Cl. volumine tertio hujus operis invenienda, omnem operam navaverim, quam exactissime singula specimina describere, nonnulla specimina, quae mihi videbantur omnem mereri attentionem, delineare, ut in verum scientiae emolumentum, descriptiones figuris illustratae consuli possent.

Quum vero tantum non omnia specimina, imo nequidem ea omnia, quae illud merentur, figuris debita ratione illustrari possent, quin in immensum, pretiosissimumque volumen excrevisset hocce opus, difficile admodum fuit severum delectum instituere. Duplici consilio satisfaciendum esse mihi proposueram, scilicet, unius potius systematis organorum diversas degenerationes ita oculis exponere, ut vera, genuina, characteristica illarum natura in singulis morbis appareret, quam multorum morborum nonnulla tantum specimina, quae commune nihil inter se haberent, adeoque vix ullum morbum absolute illustrarent, delineare; ab altera tamen parte necesse mihi videbatur, ut hae Tabulae Anatomico-Pathologicae cum plu-

(1) Confer Introductionem Voluminis Secundi hujus operis.

plurimis, altero hujus operis volumine a Carissimo Patre editis, unam seriem constituerent, adeo ut illae nonnullas harum, hae vero nonnullas illarum Tabularum illustrarent.

Igitur his Tabulis imprimis degenerationes ossium in diversis morbis, diversisque illorum stadiis illustrare conatus fui, quoniam Museum Anatomicum Academiae Lugduno-Batavae splendidam ejusmodi ossium morbosorum contineat collectionem, qualem frustra quis in quovis alio Museo quaereret.

In explicatione Tabularum singulorum capitum Tabulas secundi voluminis hujus operis notavi, quae ad illud caput pertinent, ideoque cum his completam magis seriem constituunt. Hanc ob causam nonnullorum etiam morborum, ut luxationis femoris a causa externa, curvaturae spinae dorsi, aliorumque vitiorum non nisi unum alterumve specimen delineavi, quae prioribus addenda videbantur. Hac ratione, Regis Augustissimi munificentia adjutus, opus Paternum magis adhuc perficere tentavi, cujusmodi proposito, si vel pro parte satisfecerim, mihi erit quam gratissimum.

Quamvis enim natura morborum ossium, aeque ac aliorum organorum sit indagata, illorumque vitiorum exactissimae descriptiones exstent, attamen, ut mihi videtur, longissime abest, ut morbi hujus systematis penitus cognoscantur.

Paucas tantum degenerationes partium mollium, nec nisi rariores delineavi, licet nostrum Museum, quemadmodum ex descriptione apparet, insignem illarum continet collectionem. Hae enim partes recenti in statu, et minime postquam per aliquod tempus in Spiritu Vini fuerint conservatae, delineandae sunt. Etenim liquoris alcoholici, quo continentur, actione, nimis alterantur, constringuntur, omnemque certe amittunt colorem.

Ejusmodi delineationes, ut consilio satisfaciant, naturalibus, dum adhuc persistunt, coloribus sunt instituendae. Opus certe difficultatis plenissimum; vix enim, si ab artificibus, Anatomiam nondum ex professo excolentibus, parantur, duo exempla ejusdem speciminis, sibi ab omni parte simillima reperiuntur. Hoc semper experti fuerunt summi in arte Viri, illorumque scripta hoc etiam testantur, et paucissimae tantum Tabulae existere videntur, hac arte paratae, quae artis peritis omnino satisfaciunt. Praeterea jam publici juris feci praecipua specimina, quae doctrinam herniarum ex supellectili anatomica Bonnii V. Cl. illustrant (2).

Omnia specimina ipse delineavi, et quidem ad magnitudinem naturalem, eo consilio, ut ab omni parte illud exprimerent, quod singulis affectionibus proprium est, et naturam morbi simul indicat. Pictores, delineatoresve, qui artem ex professo exercent, elegantiores forte figuras exhibuissent; verum illi, qui intimam de-

(2) A. Bonn Tabulae Anatomico-Chirurgicae, doctrinam herniarum illustrantes, editae a G. Sandifort, Lugd. Bat. 1828. fol.

degenerationis naturam ignorat, saepe praetervidit, aut ut ingratum quid, minus accurate delineat, quod imprimis esset exprimendum. Has, ut confido, omni cum attentione paratas delineationes felicissimo cum successu, nisi fallor, in aes incidit dexterrimus chalcographus D. VEELWAARD, Amstelodamensis, qui ad unum omnes tabulas paravit, eo certe consilio, ut una eademque manu paratae, sibimet, quantum speciminum indoles hoc permittit, forent aequales.

Eundem ordinem servavi, quem in describenda supellectile anatomica BRUGMANSII et BONNII V. V. Cl. Cl. secutus fui. Primo ergo loco morbos nonnullos ossium a causa externa, dein a causa interna repraesentavi, tandemque paucas aliorum organorum degenerationes exposui; brevique interpretatione speciminum naturam adumbravi, quin tamen ipsis figuris plures adposuerim litteras, quibus ipsa delineatio fere semper majus detrimentum capit, quin inde ipsa explicatio, aut interpretatio lucidior evadat. Quicunque enim in scientiae commodum ejusmodi Tabulas consulit, rei anatomicae peritus, illis litteris non indiget. Lectoribus vero relinquendum esse censui naturam morborum his Tabulis illustrare: ea vero, quae observavi, fideliter tradidi.

TA-

'S RIJKS-MUSEUM VAN NATUURLIJKE ... LEIDEN.

TABULARUM EXPLICATIO.

MORBI OSSIUM A CAUSA EXTERNA.

MORBI OSSIUM A SIMPLICI COMPRESSIONE (1).

TABULA CXXVIII.

(*VOL. IV. TAB. I.*)

***Figura* 1.**

Cranium absque maxilla inferiore, viri adulti, concussione cerebri mortui. In media et imprimis in sinistra parte ossis frontis, mox supra sinum frontalem, cernitur inpressio insignis, ovalis figurae, absque ulla fractura vel fissura, producta globo e sclopeto emisso.

a. b. Margo convexus inpressionem circumdans.

c. Fundus inpressionis, sive pars maxime inpressa.

***Figura* 2.**

Delineatio partis lateralis sinistrae ejusdem cranii, sectione ducta per mediam cranii partem, a latere sinistro septi narium, adeo ut in cavitate narium conspiciantur os spongiosum superius et inferius, atque sinus sphaenoidalis.

Hac sectione constat utramque tabulam ossis frontis insigniter esse inpressam, dum substantia media, sive diploë, paululum tantum compressa est in fundo inpressionis.

a. b. c. Pars inpressa ossis frontis. In parte media b. diploë magis compacta, sive compressa, cernitur quam in reliquis partibus ossis.

Conf. Supel. Anat. Brugmansianae N°. cxxvi. vol. iii. pag. 158.

Fi-

(1) Ad hoc caput pertinet Voluminis II, Tabula XXXIV.

Figura 3.

Effigies capitis infantis aliquot mensium, qui insigni steatomate in orbita sinistra laboravit, cohaerente cum musculis oculi atque periosteo ossis jugalis, exhibens degenerationem oculi vicinarumque, oculum tegentium partium, brevi ante mortem.

Palpebrae valde expansae sunt ab insigni tumore, orbita contento, dum globus oculi a steatomate elevatus extra orbitam sinistrorsum est propulsus; steatoma hinc majus spatium inveniens inter oculum atque nasum, hac in parte volumine maxime fuit auctum, et palpebra superior hoc in loco tumorem magis tuberculatum, quam in reliquis partibus offert. In cantho majori oculi cernitur a compressione deformata caruncula lacrymalis; tunica adnata oculi fuit incrassata, unde corneae inferior pars obfuscata erat. Tumor dextrorsum ante nasum expansus, nasum pro majori parte recondebat, ejusque aperturam sinistram fere comprimebat. Angulus oris etiam ex eadem causa erat depressus.

Figura 4.

Cranium ejusdem infantis ab omnibus partibus mollibus depuratum. Orbita sinistra non tantum insigniter est adaucta, depressis extrorsum osse jugali, ejusque sustentaculo in osse maxillari; sed pressione tumoris in omnes vicinas partes conceptaculum cerebri obliquam acquisivit figuram, extensa ab hoc latere maxime parte orbitali ossis frontis. Os maxillare superius oblique dextrorsum est reclinatum, unde nexus ossium maxillarium superiorum non in linea perpendiculari cum symphysi maxillae inferioris collocatus cernitur, sed multum dextrorsum est reclinatus. Interna orbitae superficies nullam degenerationem morbosam ossium offert, sed ossa partis exterioris tantum ampliata, atque partim extenuata sunt. Foramen pro nervo optico, ut et fissura lacera nullam subierunt mutationem; fissura vero inferior orbitae, sub temporum sinu patens, est elongata, et ampliata.

a. b. c. Orbita sinistra valde dilatata. A latere nasi a. sursum deorsumque expansa est, quin aliam subierit mutationem. b. Processus externus supercilii, cum osse jugali nexus, longitudine valde est auctus, simulque extenuatus. c. Os jugale omnium maxime e sede remotum, adauctum atque extenuatum est.

d. Fissura orbitae inferior etiam elongata et ampliata cernitur.

Conf. Supel. Anat. Bonnianae n°. dlxix. vol. iii. pag. 379.

MOR-

MORBI OSSIUM A CONTUSIONE ABSQUE FRACTURA.

TABULA CXXIX.

(*VOL. IV. TAB. II.*)

Figura **1.**

Pars superior conceptaculi cerebri hominis adulti, qui gravi contusione ad verticem capitis laesus, post quadriennium tandem nocivos effectus illius contusionis percipiebat, et quidem primo tumorem parvum in loco antea laeso. Hic tamen tumor intra breve temporis spatium non tantum extrorsum increscebat, sed simul introrsum se extendens, tantopere augebatur, ut ex compressione cerebri omnes functiones animales turbarentur, et aeger tandem suffocatione, ex alimentis assumtis, moriretur.

Constat ex hac figura quanta pars ossis verticis sinistri lateris est consumta, dum margines foraminis quasi exesi, et hinc denticulati apparent. Quum tumor in basi majorem acquisiverat ambitum quam apertura foraminis, jam praesentis, effectus absorptionis in tabula externa ossium, in ambitu foraminis, etiam cernuntur, qui simili ratione et magis adhuc conspiciuntur ab interiore parte conceptaculi, in tabula ossium interna.

a. b. c. d. Ambitus foraminis in osse verticis sinistri lateris, se extendentis per suturam sagittalem et lambdiformem ad os verticis oppositum, nec non ad os occipitis. Circa a. tabula externa inaequabilem, erosum, acutum marginem offert; ab anteriore b., et inferiore d., sed imprimis a latere c. tabula externa ossium maxime est affecta, multis foraminibus majoribus ac minoribus pertusa, quae transcurrebant dilatatae arteriae ad diploën. Dura mater maxime depressa, atque ab ossibus remota ipsam aperturam claudit.

Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N°. CXXVII. vol. III. pag. 158.

MORBI OSSIUM AB IMMISSO CORPORE HETEROGENEO, ABSQUE FRACTURA TOTIUS OSSIS.

TABULA CXXIX.

(*VOL. IV. TAB. II.*)

Figura **2.**

Pars inferior ossis femoris dextri hominis adulti, glande plumbea vulnerati ad latus internum genu.

Interius ossis latus totum est tumefactum, usque ad illum locum, ubi substitit glans plumbea, quemadmodum ex figura 3 luculenter apparet. Foramen per quod glans plumbea intravit, et ex quo per quatuor fere menses pus effluxit, circumdatur copioso callo, duro et satis sano, margine suo revoluto foliaceam naturam quasi representante; supra locum tumefactum superficies ossis sani tenuissima lamella, ex callo noviter producto, tegitur.

a. b. Pars maxime tumefacta ossis femoris.

c. Foramen ab intrante glande plumbea productum, et limbo calloso circumdatum. Substantia ossis in ambitu fistulae post vulnerationem ex inflammatione chronica videtur emollita, tumefacta atque dein novam substantiae osseae copiam admisisse.

d. Superficies ossis tenuissima lamella callosa tecta.

Figura 3.

Ejusdem ossis femoris pars inferior, a priore exhibita. Manifeste apparet os tantum morbose fuisse affectum, quantum glande plumbea fuit laesum.

a. Pars sana ossis.

b. Portio ossis tumefacta, inaequabilis, totaque aspera ab accumulatione substantiae osseae intra substantiam ossis antea emollitam.

c. Locus, qui nonnisi tenuissima lamella ossea, noviter secreta et superficiei externae adnexa, tegitur.

Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N°. CXXXVII. vol. III. pag. 161.

MORBI OSSIUM EX ABLATIONE PARTIS CUJUSDAM.

1°. *OPE GLADII VEL ALIUS INSTRUMENTI* (1).

TABULA CXXX.

(*VOL. IV. TAB. III.*)

Figura 1.

Superioris partis conceptaculi cerebri pars sinistra, hominis adulti, gladio vulnerati ad os verticis sinistri lateris, qui notabilem hanc vulnerationem octo menses supervixit, et cui brevi ante mortem, propter vehementiam symptomatum, bis corona trepani fuit applicata.

a.

(1) Ad hoc caput pertinent Voluminis II. Tab. XIX, et Tabulae XX. fig. 1.

a. b. c. Vulnus ossis, quod fere a sutura sagittali usque ad fossam temporalem se extendit. a. b. Vulneris pars cicatrice clausa. b. c. Margines vulneris rotundati et callo obducti, adeo ut diploë non conspiciatur, inter se ante trepanationem fissuram relinquentes, ex qua pus stillabat.

d. e. Margines circulorum osseorum, trepanatione ablatorum.

Figura 2.

Eadem pars conceptaculi cerebri ab interiore.

a. b. c. Vulnus ossis ab interiore. a. Pars tabulae internae ossis antea ictu gladii a diploë separata, sed dein rursus cum ea callo conjuncta. b. Margo rotundatus vulneris.

d. e. Margines circulorum osseorum, trepanatione ablatorum.

f. Superficies tabulae internae, quae praesente abscessu, producto inter hanc tabulam et duram matrem ab inflammatione chronica, et insequente suppuratione illius membranae, erosa fuit, sed dein rursus sanata videtur.

g. Locus ubi etiam parvus abscessus durae matris antea adfuisse videtur.

Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N°. CXLVIII, vol. III. pag. 166 seqq.

Figura 3.

Pars superior sinistra conceptaculi cerebri hominis adulti, glande plumbea in vertice vulnerati, atque undecima hebdomade, post acceptum vulnus, mortui.

a. b. Margo circuli ossei, cui inhaesit glans plumbea, trepanatione ablati, dum anterior vulneris ossis pars, magis ovalis, ipsa glande plumbea fuit producta.

c. Pars tabulae internae et diploës ossis verticis a reliquo osse diffracta atque depressa.

d. e. f. Tabula externa necrosi affecta. In ambitu indicia formatae crenae separationis inter partes emortuas et vivas apparent.

Figura 4.

Eadem conceptaculi cerebri pars ab interiore representata.

a. b. Margo circuli ossei trepanatione ablati.

c. Frustum tabulae internae ossis, vulnere externo majus, a reliquo osse dissilitum atque introrsum pressum, diversas montrans fissuras, et a latere suturae sagittalis callo rursus cum interna tabula sana conjunctum.

Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N°. CLXIII. vol. III. pag. 174.

TABULA CXXXI.

(*VOL. IV. TAB. IV.*)

Cranium militis Hanoverani, gladio in osse frontis et osse verticis sinistri lateris vulnerati. Hoc vulnus insecuta fuit necrosis magnam partem ossis frontis, nec non ossium verticis occupans, atque aeger circa finem quarti mensis febre hectica periit.

Figura 1.

Cranium a latere sinistro visum.

a. b. Sutura coronalis.

c. Sutura processum lateralem ossis multiformis conjungens cum ossibus frontis et verticis.

d. Sutura squamosa ossis temporis et ossis verticis.

e. f. Fissura ab ictu gladii producta in ossibus frontis et verticis. In osse frontis margines sunt acutissimi, atque totum os in ambitu vulneris probat, hanc partem omnium primo necrosi fuisse affectam. In osse verticis vero, hoc in loco, foramen oblongum occurrit, necrosi hac in parte jam deperdita tota substantia ossis.

g. h. i. k. l. m. Insignis portio ossium frontis et verticis, quae necrosi affecta, fere ubivis a reliqua substantia ossea est separata; in nonnullis vero punctis adhuc cohaerens, totum hoc frustum nondum solutum fuit. Inter hanc insignem portionem, necrosi affectam, atque vicina ossa sana non tantum fissurae observantur, ubi tota substantia ossis deficit, sed adsunt etiam in nonnullis locis foramina sat magna, uti prope h., atque ab utroque latere m.

n. o. Pars ossis verticis, de qua sola tabula externa fuit separata, superstite interna cum parte diploës, unde haec pars inaequalis atque porosa se offert.

p. Foramen in osse frontis, ubi fragmentum, necrosi affectum, jam antea fuit separatum.

Figura 2.

Idem cranium a superiore.

a. b. Sutura coronalis.

c. Sutura sagittalis.

d. e. Fissura in ossibus frontis et verticis, gladii ictu producta.

f. g. h. i. k. l. Pars ossium frontis atque verticis sinistri lateris, necrosi affecta, ubivis fere, non vero in omnibus punctis a reliqua parte sana horum ossium separata: in fronte et vertice prope suturam coronalem varia adsunt foramina, et fissurae, ex quibus nonnulla satis magna, formata ex separatione et ablatione partium ossium, necrosi affectarum.

m. n. o. Pars ossis verticis dextri cujus tabula externa necrosi affecta est, atque superficiem inaequabilem, erosam quasi exhibet.

p. Pars ossis verticis sinistri, adjacens parti necrosi affectae, de cujus externa superficie portio exfoliatione separata est, unde tabula interna cum diploë, pro parte praesente, inaequabilem monstrat superficiem.

Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N°. CLIII. vol. III. pag. 169.

TABULA CXXXII.

(VOL. IV. TAB. V.)

Figura 1.

Cranium militis Hanoverani, ictu gladii in vertice vulnerati. Necrosis partim totius substantiae osseae, partim solius tabulae externae, insecuta vulnerationem ossis, devastavit insignem portionem verticis conceptaculi cerebri.

a. b. c. d. Ambitus foraminis, in osse frontis, producti necrosi totius substantiae ossis, quod gladio vulneratum fuerat.

c. d. e. f. Pars ossis frontis et ossis verticis dextri lateris, in qua, necrosi ablata tabula externa, sola tabula interna superest, quae tamen quatuor in locis aperturis diversae magnitudinis et formae pertusa est.

g. Locus ubi in frontis media fere parte tabula externa exfoliatione separata est.

h. i. Insignis portio ossis frontis in tota crassitie necrosi affecta, in ambitu pro majori parte jam a reliquo osse separatum, et in paucis tantum punctis adhuc cum reliqua ossis parte cohaerens.

Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N°. CLIV. vol. III. pag. 169.

Figura 2.

Pars superior conceptaculi cerebri hominis adulti, graviter gladio vulnerati a latere dextro capitis, septimana undecima media ab inflicto vulnere mortui.

a. b. c. Margo vulneris in ossibus frontis et verticis. Absorptione omnis acies marginum ossium periit, et vix tabulae ossis diploë a se invicem sunt separatae.

d. Margo inferior frusti, extrorsum inflexi, ubi tabula externa callo rursus cum reliquo osse conferruminata est.

e. Frustum ab osse verticis separatum, atque extrorsum reflexum, ita ut a superiore distet a reliquis ossibus.

f. Margo anterior ejusdem fragmenti, totus rotundatus, a quo aliud frustum, ictu fuit abruptum.

Figura 3.

Frustum ossis eodem ictu ab osse frontis et parte anteriore ossis verticis separatum, adimplens majorem partem vulneris hujus cranii. Ipsius margines absorptione sunt rotundati, et media in parte portionem suturae coronalis monstrat.

Conf. Supel. Anat. Brugmansianae N°. clxi. vol. iii. pag. 172.

2°. *AMPUTATIONE.*

TABULA CXXXIII.

(VOL. IV. TAB. VI.)

Ossis femoris sinistri lateris viri adulti pars major, ablata amputatione parte inferiore. Juxta totam longitudinem ossis usque ad radicem colli et trochanteris majoris, pars medullaris necrosi fuit affecta, et in totum jam separata a theca investiente. Quamvis durante vïta emortua pars tolli non potuerit, tamen post mortem, maceratione depurato osse, atque destructa parte molli inter thecam et mortuam partem semper praesente, haec pars, tota mobilis, facile tollebatur. Necrosis ergo etiam in hoc casu substitit circa partem magis cellularem ossis, et tantum internam corporis ossis partem, neque totum corticem fuisse mortuum manifestum videtur, si comparamus crassitiem partis mortuae sublatae cum solita crassitie corporis ossis femoris sani ejusdem longitudinis. Theca circumdans totam affectam partem sistit os spongiosum, tuberculatum, tumefactum, in externa superficie corticem nonnullorum arborum referens, atque ab interiore cellularem tenuem substantiam offerens. Inferior margo substantiam ossis tenuiorem, aequabiliorem, sed maxime porosam, callo magis similem, offert. Foramen unum in superficie anteriore majus, et in hac, et in opposita superficie alia minora adsunt, quae vulgo *Cloäcae* dicuntur.

Figura 1.

Os femoris a parte anteriore. Caput et collum usque ad inferiorem partem trochanterum sana sunt, reliqua vero ossis pars maxime tumefacta inaequabilem superficiem offert, in qua a. foramen, sive *Cloäca*, insigne adest, intra quod pars emortua ossis cernitur. In b. et c. foramina minora similia adsunt.

Figura 2.

Idem os a posteriore. In hac superficie, simili ratione affecta, tria foramina

na minora observantur, ex quibus superiora in cortice ossis immutato inveniuntur.

Figura 3.

Pars hujus ossis femoris interna, necrosi affecta ab anteriore delineata, adeo ut ipsius situs conveniat cum situ ossis femoris in Figura 1. Tota haec pars lamina est interna ossis, in formam cylindri, non valde crassa, a posteriore et superiore deficiens, ab inferiore cylindrum constituens, in externa pagina valde inaequabilis acutis lineis, prominentibusque quasi uncis inter sulcatam superficiem. Margo inferior crassior, ab anteriore superficiem externam corticis ossis monstrat, adeo ut manifestum sit non totum cylindrum ossis fuisse necrosi affectum. Pars superior sensim sensimque magis extenuata, extrorsum quasi incurvata est, dum cum hac parte etiam convenit margo superior thecae osseae, circa trochanterem majorem magis adscendens quam ab interiore.

Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N°. CLXXXII. vol. III. pag. 178.

TABULA CXXXIV.

(*VOL. IV. TAB. VII.*)

Figura 1.

Ossis femoris dextri, hominis adulti, pars superior ab exteriore visa, amputatione ablata parte inferiore. Pars inferior, serra tacta, necrosi affecta et fere soluta est a reliquo osse; supra hunc vero locum ab interiore et posteriore ex callo luxuriante, intra spatium sex mensium, per quos post amputationem supervixit aeger, productae fuerunt exostoses admodum insignes.

a. Lamina inferior serra tacta, necrosi affecta, et a sequente parte crena, absorptione producta, separata atque fere solubilis.

b. Superficies ossis mox supra crenam separationis praegressa inflammatione emollita, et dein rursus phosphate calcis indurata, partim effectus absorptionis monstrans.

c. d. e. Massae osseae, sive exostoses, ex callo luxuriante, maxime spumoso, a posteriore et interiore productae. c. et d. cum ipso osse cohaerere videntur. Massa e. prodiit ex massa d.

Figura 2.

Eadem ossis femoris pars ab interiore visa.

a. b. c. d. e. ut in Figura 1.

f. Sulcus duas exostoses majores separans.

Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N°. CLXXXIII. vol. III. pag. 178.

Figura 3.

Ossis humeri pars superior ex homine adulto, qui antea morbo venereo laboravit, propter grave vulnus in articulo cubiti, amputatione ablata parte inferiore.

a. Margo inferior partis inferioris ossis, necrosi affectae et solubilis.

b. c. d. e. Superficies externa ossis morbose affecta, tumefacta, porosa, aeque ac si luxuriante et morboso callo esset tecta.

Conf. Supel. Anat. Brugmansianae n°. clxxxi. vol. iii. pag. 178.

Figura 4.

Extremum inferius tibiae et fibulae hominis adulti, a posteriore visum. Postquam sphacelo pes separatus fuerat, neque sanatio intra biennium obtineri potuerit, amputatione in superiore parte cruris aeger servatus est.

a. Pars interna tibiae necrosi affecta et in ambitu tantum separata a cingente substantia ossea, ab eaque sulco satis profundo distincta.

b. c. Limbus satis crassus ex tumefacto ossis extremo, et apposito callo productus.

d. Noviter productus callus, sub forma lamellarum atque obtusarum spinarum se manifestans, vegetationem quasi substantiae osseae referens, non dissimilem ei, quae in affectione venerea observatur.

e. Extremum fibulae incrassatum, atque substantia ossea satis compacta constans.

f. Foveola sive sinuositas, ex qua pars necrosi affecta jam soluta est.

Conf. Supel. Anat. Brugmansianae n°. cxciii et cxciv. vol. iii. pag. 180.

TABULA CXXXV.

(*VOL. IV. TAB. VIII.*)

Hac tabula exhibentur mutationes, quas subit extremum ossis amputati, pro ratione, qua aeger diutius, aut minus diu, sanationi vulneris amputationis supervixit.

Figura 1.

Pars superior ossis humeri dextri lateris, ab anteriore delineata, aegri quarto mense post institutam amputationem mortui.

In media parte cavitatis medullaris parva adhuc cernitur apertura, circumdata margine calloso, ex dissecto osse prodeunte.

Fi-

Figura 2.

Eadem ossis portio a posteriore.

Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N°. CXCVI. vol. III. pag. 180.

Figura 3.

Anterior facies partis superioris Tibiae et Fibulae, dextri lateris, ex homine adulto, qui plures annos post amputationem feliciter vixit.

a. Extremum tibiae perfecte clausum callo.

b. c. Luxurians callus ex fibulae extremo prodiens, fibulam cum tibia conjungens.

Figura 4.

Facies posterior eorundem ossium. Quamvis utriusque ossis extremum cavum medullare perfecte clausum offert, protuberans tamen callus in media parte hic sulcum vel foveam reliquit. Callus duo extrema ossium conjungens ab hac parte copiosior est.

Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N°. CC. vol. III. pag. 180.

Figura 5.

Pars inferior Tibiae et Fibulae ab anteriore representata ex homine adulto, qui ab amputatione pedis, parum supra malleolos per plures annos sanus vixit.

a. Extremum Fibulae, a qua major portio quam a Tibia, necrosi separata videtur, desinens in tenuem lamellam osseam, a callo secreto formatam, et Tibiae extremo accretam.

b. Extremum inferius Tibiae, cujus cavitas medullaris minima copia calli est clausa, et superficiem satis aequabilem offert. Hic noviter productus callus non valde firmus, sive compactus est, sed plurimis, diversae magnitudinis, foraminibus quodammodo reticulatam offert substantiam.

Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N°. CXCVIII. et CXCIX. vol. III. pag. 180.

Figura 6.

Pars inferior ossium cruris, sinistri lateris, ab anteriore exhibita, ex homine adulto, qui ab amputatione in parte media cruris feliciter sanatus est.

Portio satis magna Fibulae necrosi periisse videtur, dum ex extremo inferiore parva calli copia producta cernitur, qua jungitur cum Tibia. Extremum inferius Tibiae valde est extenuatum, procul dubio absorptione superficiei externae ossis; cavum medullare clausum cernitur.

Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N°. CCI. vol. III. pag. 180.

3°. *NECROSI* (1).

TABULA CXXXVI.

(VOL. IV. TAB. IX.

Tibia cum Fibula sinistri lateris hominis adulti, necrosi affecta post ablationem partium mollium globo sclopetario crus stringente.

***Figura* 1.**

Tibia atque Fibula ab anteriore.

a. b. Portio insignis Tibiae necrosi affecta. Major portio emortui fragmenti ossei monstrat superficiem externam immutatam (foramina in hac parte, arte producta, ut exfoliatio promoveretur, delineare necesse non duxi), dum superficies externa partis inferioris b. ejusdem fragmenti, pro majori parte tecta crusta vel vagina ossea, sed ab ea tamen satis remota, valde est inaequabilis et quasi undulata. Margines fragmenti emortui a vivis partibus fere toti sunt separati.

c. d. e. f. Ambitus vulneris ossis, a mortua parte separatus, valde prominens atque revolutus, speciem luxuriantis porosi calli referens.

g. Degeneratio ossis ubi intus tantummodo pars medullaris ossis necrosi affecta videtur, thecam osseam foraminibus, sive cloäcis nonnullis perforatam exhibens.

***Figura* 2.**

Eadem ossa a posteriore.

Posterior Tibiae superficies pro parte immutata cernitur, quantum os ab interiore necrosi non fuit affectum. Margines vero vulneris ossis speciem monstrant calli spumosi luxuriantis.

Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N°. CCXIV. vol. III. pag. 182.

TABULA CXXXVII.

(VOL. IV. TAB. X.)

***Figura* 1.**

Ossis humeri sinistri lateris pars superior, ab interiore latere visa, globo sclopetario fissa.

a.

(1) Ad hoc caput pertinent Voluminis II, Tabula XCVI. XCVII. XCVIII. et CI.

a. Caput ossis, superficiem articularem offerens.

b. c. d. Tres partes corporis hujus ossis, a se invicem transeunte globo sclopetario separatae, sed inter se rursus concretae. Frusta non tantum in marginibus, sed etiam in majori parte superficiei externae monstrant qualem, in praegresso morbi statio post vulnerationem, subierunt mutationem, nec non ubinam nova ossis substantia fuit producta.

Figura 2.

Idem os ab exteriore latere.

a. Tuberculum majus capiti adstans, a cujus latere cernitur sulcus, pro transitu tendinis musculi Bicipitis brachii.

b. c. d. Eaedem tres partes corporis ossis, quam in praecedenti figura, quae inter se cavum notabile relinquunt, medullari, sive cellulari ossis parte penitus destructa, cujus parietes interni satis sunt aequabiles. Margines fragmentorum hic etiam apparent tumefacti et porosi; superficies externa frusti c. tota etiam mutata cernitur.

Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N°. CCCXVII. vol. III. pag. 197.

Figura 3.

Tibia cum fibula dextri lateris hominis adulti; post fracturam utriusque ossis tibia necrosi affecta est. Longitudo cruris fuit imminuta, quum diffractae partes non in situ fuerunt repositae, vel non bene retentae, sed lateraliter inter se concretae sunt.

a. b. Fractura valde obliqua in corpore tibiae, circa ejus partem inferiorem.

c. d. Fractura obliqua fibulae, prope ejus caput superius.

a. e. Frustum insigne corporis tibiae, necrosi affectum. Pars major e. superficiem inaequabilem offert; pars inferior a. aequabilior est, atque strias porosque exhibet. Margines fracturae circa a. et b. immutati cernuntur. Margines ossis, frustum necrosi affectum pro majori parte cingentes, sunt tumefacti et inaequabiles, atque circa fracturam emortuam partem vaginae adinstar tegunt, rursusque callo excreto concreti sunt cum fragmento, sive ossis parte inferiore, licet pars superior ossis juxta latus internum partis inferioris multum descenderit. Fragmentum, sive extremum ossis inferius in externa superficie etiam est tumefactum, inaequabile, tuberculosum ut in omni osse necrosi affecto. Extremum ossis ad articulationem cum pede pertinens sanum superest.

Fibulae fractura etiam fuit valde obliqua, frusta juxta se invicem posita, inter se conferruminata sunt.

Conf. Supel. Anat. Brugmansianae n. cccxxiii. vol. iii. pag. 198.

FRACTURAE (1).

TABULA CXXXVII.

(VOL. IV. TAB. X.)

Figura 4.

Ossis femoris sinistri lateris, hominis adulti, pars inferior ab anteriore delineata, fracturam obliquam sanatam exhibens.

a. b. c. Locus ubi antea fractura adfuit; pars superior ante partem inferiorem descendit, et in hoc situ fragmenta nunc rursus minima copia calli concreta conspiciuntur.

d. Fragmentum, fractura procul dubio a reliqua parte separatum, oblique introrsum nunc positum, in ambitu cum reliquo osse denuo concretum, prominentibus marginibus rotundatis circumdantis ossis, et cavitatem medullarem claudens.

e. Simile fragmentum, introrsum etiam pressum, sed valde porosum.

f. Superficies articularis condylorum. Haec inaequabili superficie satis probat etiam ipsam articulationem morbose fuisse affectam.

Figura 5.

Idem os a latere exteriore visum, quo probantur situs et cohaesio partium, fractura antea disjunctarum.

a. b. Locus ubi antea fractura adfuit.

Conf. Supel. Anat. Brugmansianae n°. cccxxviii. vol. iii. pag. 199.

TABULA CXXXVIII.

(VOL. IV. TAB. XI.)

Figura 1.

Os femoris dextri lateris, hominis adulti, ab anteriore visum, cujus corpus fractu-

(1) Ad hoc caput pertinent Voluminis II. Tabulae XVII. XVIII. LXXX ad LXXXVI. XCIII et XCIV, Fig. 1. 2. 3. 4.

tura transversa divisum, nondum fuit conferruminatum, sed in quo, interposita specie ligamenti, speudo-articulatio fuit producta.

a. Pars ossis superior; in extremo diffracto cavum medullare substantia ossea clausum est.

b. Pars ossis inferior.

c. Substantia ligamentosa extrema diffracta inter se conjungens.

Figura 2.

Idem os a posteriore delineatum.

a. b. Pars lineae asperae ossis femoris cui substantia ligamentosa, satis crassa atque firma, nexa est.

c. Substantia ligamentosa fragmenta conjungens, extremo superiori, atque asperae lineae partis inferioris inserta.

d. Pars inferior ossis.

Figura 3.

Idem os ab anteriore visum, reflexa deorsum introrsumque parte superiore.

a. Pars superior ossis femoris; circa ipsius extremum diffractum cernitur periosteum transiens in productam substantiam fibrosam, ligamenti speciem referentem.

b. Superficies anterior partis inferioris ossis femoris, juxta quam pars superior movebatur, exhibens magis glabram superficiem, periosteo satis crasso tectam, atque circumdatam limbo ligamentoso valde crasso.

c. Corpus ossis femoris.

Conf. Supel. Anat. BONNIANAE N°. CCLXII. vol. III. pag. 345.

Figura 4.

Os humeri, hominis adulti, ab omnibus partibus mollibus depuratum, fractura nondum sanata in media parte divisum. Utraque pars ossis circa fracturam valde est extenuata. In sinu ad recipiendum processum olecranon ossis ulnae, absorptione crassities ossis non tantum valde est extenuata, sed medio loco etiam perforata.

a. Extremum partis superioris extenuatum, atque parva copia calli tectum, unde species capituli producta cernitur.

b. c. Superficies oblonga, satis glabra, leviter excavata, a callo producto formata, atque limbo crenulato cincta, juxta quam movebatur extremum alterum, adeo ut speudo-articulatio fuerit formata.

Conf. Supel. Anat. BONNIANAE N°. DLXXVII. vol. III. pag. 381.

TABULA CXXXIX.

(*VOL. IV. TAB. XII.*)

Cranium nautae cujus ossa faciei a globo e tormento bellico exploso, faciem stringente, diffracta et repressa fuerunt, rursusque concreta sunt.

a. Portio superstes ossium nasi.

b. Processus nasalis ossis maxillaris superioris dextri lateris.

c. Idem processus alterius lateris.

d. Septum ossis cribriformis.

e. Processus alveolaris ossium maxillarium superiorum, valde retrorsus pressus, in quo alveoli dentium incisorum toti perierunt, superstitibus alveolis dentis cuspidati atque bicuspidati primi dextri lateris; a latere sinistro dens molaris primus obliquum acquisivit situm.

Ex mutata forma ossium maxillarium et deperditione ossium nasi, apertura narium etiam tota deformis est.

f. Os unguis dextrum a processu nasali separatum.

g. Os jugale dextrum in nexu cum osse frontis h. ab hoc osse partim solutum.

i. Os jugale sinistrum, in nexu cum osse maxillare ab eo solutum. Fractura in corpore ossis maxillaris hujus lateris praesente, sinus maxillaris apertus cernitur.

k. Sinus maxillaris dexter, ex commolitione parietis externi ossis maxillaris, etiam ab hac parte apertus.

l. Maxilla inferior, hac in parte spinam offerens. Hujus ossis alveoli medii ab anteriore etiam sunt destructi, quum omnes ipsius dentes, exceptis molaribus duobus ultimis, utroque in latere sub commolitione ossium faciei etiam fuerunt deperditi.

Figura 2.

Idem cranium a latere sinistro visum, ut constaret quantopere ossa faciei sunt repressa.

Conf. Supel. Anat. Bonnianae n°. dlxxxiii. vol. iii. pag. 382.

TABULA CXL.

(*VOL. IV. TAB. XIII.*)

Os femoris sinistri lateris, hominis adulti, fractura valde obliqua in duas partes divisum, formationem calli ex parte interna sive medullari, et ex tabula ossis externa exhibens.

Fi-

Figura 1.

Fragmentum sive pars superior ossis ab anteriore.

a. b. c. Margo inferior fracturae, necrosi affectus.

d. Superficies ossis externa in ambitu fracturae tenui lamella, ex callo jam producto tecta.

e. f. Callus fungose quasi excretus tam e superficie externa ossis e., quam ex cavitate medullari f.

Figura 2.

Idem fragmentum ab interiore latere visum.

a. Margo inferior fracturae necrosi affectus, et partim absorptione jam a sequente viva parte separatus.

b. Lamella superficiei externae ossis necrosi affecta, et pro parte jam soluta.

c. d. Callus e superficie externa et cavitate medullari excretus.

e. Callus prodiens ex superficie externa ossis, mox supra marginem necrosi affectum.

Figura 3.

Idem fragmentum ab exteriore exhibitum.

a. b. Margo inferior necrosi affectus. Inter hanc mortuam atque sequentem vivam ossis partem crena separationis egregie manifesta est, absorptione partis intermediae producta.

c. d. Callus noviter productus ac fungose excretus.

Figura 4.

Pars inferior ejusdem ossis femoris a posteriore visum.

a. b. Pars necrosi affecta, in cujus parte superiore margines immutati fracturae obliquae conspiciuntur, crena a reliqua parte jam separata, dum cavum medullare totum est inane.

c. Callus infra partem necrosi affectam ex posteriore superficie ossis prodiens.

Conf. Supel. Anat. Brugmansianae N°. cccv. vol. iii. pag. 195.

TABULA CXLI.

(*VOL. IV. TAB. XIV.*)

Os femoris dextri lateris juvenis, in diversa fragmenta fractum, quorum duo majora cum superiore parte corporis ossis, callo foliosae naturae quasi concreta

speciem vaginae formant, qua apex partis inferioris corporis partim continebatur. Remotam quodammodo a parte superiore delineavi partem ossis inferiorem, ut omnia eo melius in oculos incurrerent.

Figura 1.

Os femoris ab anteriore.

a. b. Fragmentum majus a superiore calli ope, ex marginibus fragmenti et superficie externa partis superioris ossis producti, cum superiore ossis parte junctum.

c. d. Fragmentum alterum oblongae figurae, cujus margines omnes rotundati novum callum jam produxerunt; extrorsum vero conversum monstrat superficiem internam, medullarem, omni tela cellulari orbatam.

e. Callosa massa ex superficie externa partis superioris ossis, et ex marginibus fragmentorum producta, fragmenta conjungens.

f. Extremum partis superioris ossis necrosi affectum, a reliquo osse nondum adhuc penitus solutum, constans parte corticis superficiei anterioris ossis.

g. Margo satis acutus fragmenti majoris (a. b.) necrosi affectus, neque separatus a reliqua parte.

h. Portio inferior corporis ossis in apicem transiens. Absorptione atque separatione lamellarum externarum, necrosi affectarum, superior pars extenuata est, atque partim tecta callo noviter producto, ex superficie ossis a lamellis necrosi affectis liberata.

i. Lamella tenuis superficiei externae, quae necrosi affecta, pro parte jam ab osse vivo separata, pro parte vero ei firmiter adhuc nexa est.

Figura 2.

Idem os a posteriore.

a. Fragmentum majus.

b. Fragmentum minus. Utriusque fragmenti margines novum ex iis productum callum exhibent, dum a superiore calli ope cohaerent cum externa superficie partis superioris ossis. Inter utramque massam callosam cernitur superficies ossis valde porosa.

c. Pars inferior corporis ossis.

d. Lamella tabulae externae ossis necrosi affecta, et partim tantum separata; dum in ambitu similes lamellae exfoliatione jam separatae sunt, superficies ossis inaequabilis, et ex ea secretus callus cernuntur. A parte interiore ossis etiam externa superficies, infra productum callum, observatur valde porosa.

Conf. Supel. Anat. Brugmansianae n°. cccviii. vol. iii. pag. 196.

TA-

TABULA CXLII.

(*VOL. IV. TAB. XV.*)

Os femoris sinistri lateris, hominis adulti, post commolitionem in quinque fragmenta sanatum; cohaerent vero fragmenta sub angulo valde acuto, antrorsum extrorsumque prominente.

Figura 1.

Os femoris ab anteriore.

a. b. Pars ossis superior, cujus cavum medullare in extremo diffracto b. totum callo est oppletum, atque mucrone acuminato terminatur.

c. Pars ossis inferior, cujus cavitas medullaris simili ratione in extremo etiam callo, ex interna superficie prodeunte repleta est.

d. Fragmentum de laterali interna superficie partis superioris a. b. separatum, atque callo e margine superiore, et ex interna superficie enato rursus cum eadem concretum.

e. f. Fragmentum e dimidia anteriore parte crassitiei corporis constans, quod mediam corporis ossis partem antea constituens, inter extremum superius atque inferius, circa b. antea situm erat; cavitas medullaris deleta est; margines omnes sunt rotundati, atque inter marginem externum, atque partem ossis inferiorem, copiosus satis callus ad conferruminationem prodiit. Margo superior hujus fragmenti f. satis firmiter cum fragmento d. concretus est. Ex margine inferiore major portio calli prodiit, hanc partem cum parte ossis inferiore, atque cum fragmento, antea partem posteriorem corporis ossis constituente conjungens. In hoc callo apertura est satis ampla, ex ulcere fistuloso, inter fragmenta diversa antea praesente, enata.

Figura 2.

Idem os ab interiore latere.

a. Pars ossis superior.

b. Pars ossis inferior.

c. Fragmentum a parte interiore partis superioris separatum (Fig. 1. d.).

d. Fragmentum separatum ab anteriore parte partis mediae corporis ossis. (Fig. 1. e.)

e. Fragmentum quod separatum fuit a posteriore superficie ejusdem partis corporis; ubi a superiore concretum est cum fragmento superiore, callus formam foliaceam monstrat.

f. g. Fragmentum necrosi affectum, inter partem anteriorem et posteriorem situm, totum solutum, adeo ut auferri queat. Pars superior f. monstrat parvam portionem superficiei externae ossis, reliqua pars potius ad cavum medullare pertinet.

h. Callus foliaceae atque spinosae formae, conjungens partem ossis inferiorem cum duobus intermediis fragmentis; in hoc callo apertura satis magna superest, in pagina posteriore, ex ulcere fistuloso tendente ad cavum medullare, cui inhaeret pars necrosi affecta.

i. Extremum superius partis inferioris b. ossis.

Conf. Supel. Anat. Brugmansianae n°. cccxvi. vol. iii. pag. 197.

TABULA CXLIII.

(VOL. IV. TAB. XVI.)

Hac tabula ut et figura prima sequentis tabulae exhibentur ossa pelvis juvenis novemdecim annorum, qui lapsu muri graviter vulnerabatur. Mox post vulnerationem symptomata fracturam colli ossis femoris indicare videbantur, sed dein constabat ossa pelvis atque organa contenta vehementer esse laesa, adeo ut post mensis spatium, gangrena in perinaeo enata, vitam cum morte commutaret aeger. Si acetabulum totumque os innominatum dextrum cum opposito osse sano comparamus, formae et situs mutatio facillime in oculos incurrit, atque symptomata observata optime explicantur.

Figura 1.

Ossa pelvim componentia inter se nexa, ab anteriore.

a. Fractura nondum sanata in crure horizontali ossis pubis.

b. Similis fractura in crure descendente ejusdem ossis.

c. Fractura sanata in crure descendente ossis pubis, ubi cum tubere ossis ischii jungitur.

d. Fissura in acetabulo.

e. Fragmentum in interna superficie ossis ilii prominens.

f. Diversa fragmenta, fractura ossis ilii producta, callo inter se concreta.

Figura 2.

Eadem ossa a latere dextro.

a. Fractura perpendicularis ossis ilii, qua pars anterior hujus ossis retrorsum mota, tota subjacet posteriori parti. Pars medullaris in superficie fractu-

turae callo leviter est oppleta; margines vero satis acuti supersunt.

b. c. Duo alia fragmenta, quorum alterum alteri transversum incumbit; licet satis appareat haec tota separata fuisse, nunc tamen inter se concreta observantur.

d. Fractura cruris horizontalis ossis pubis.

e. Fissura in acetabulo.

f. Fractura in crure descendente ossis pubis.

TABULA CXLIV.

(*VOL. IV. TAB. XVII.*)

Figura 1.

Os innominatum sinistrum ejusdem juvenis, ab interiore delineatum.

a. Fractura cruris horizontalis ossis pubis.

b. Fractura cruris descendentis ejusdem ossis.

c. Fractura sanata inter tuber ossis ischii et crus adscendens ossis pubis.

d. Fissura acetabulum dividens, e cujus marginibus callus jam prodiit.

e. Fragmentum ossis ilii, inter tria reliqua fragmenta hujus ossis oblique introrsum prominens, atque inter ea incuneatum.

f. Margo fracturae ossis ilii, a quo fragmentum e. est abruptum, introrsum prominens.

g. Pars tabulae internae ossis ilii, introrsum valde prominens, atque fissuram monstrans.

Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N°. CCCLVII. vol. III. pag. 203.

Figura 2.

Os innominatum sinistrum, hominis adulti, cujus crista ossis ilii graviter fuerat laesa. Pars insignis ossis ilii in plura fragmenta diffracta fuisse videtur; ex his duo fragmenta, quae cristam ossis ilii composuerunt, situm transversum assumserunt; superius a priore et a posteriore rursus concretum est cum partibus ossis ilii; inferius ab anteriore tantum de novo cum osse ilio nexum, retrorsum tendit et in processum unciformem terminatur. Utrumque fragmentum ultra superficiem ossis ilii extrorsum valde prominet.

Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N°. CCCLV. vol. III. pag. 203.

TABULA CXLV.

(VOL. IV. TAB. XVIII.)

Figura 1.

Ossa pelvim componentia juvenis, globo sclopetario a perinaeo ad pubem vulnerati, adeo ut ossa fracta partim perierint, partim vero quantum fragmenta e vulnere non fuerunt remota, singulari ratione inter se sunt concreta.

a. Extremum anterius rami horizontalis dextri ossis pubis. Toto corpore ossis pubis hujus lateris globo sclopetario fracto, atque e vulnere remoto, hoc extremum tectum cernitur quadam copia calli valde porosi, et irregularis figurae.

b. Ramus descendens ossis pubis dextri, in extremo fracto parva copia calli tectus.

c. Corpus ossis pubis sinistri lateris, fracto ejus crure horizontali atque crure descendente, totum e situ remotum, rursusque concretum cum superstite parte cruris horizontalis ejusdem lateris.

d. Locus ubi duo fragmenta concreta sunt.

e. Superstes pars tuberis ossis ischii, cujus superficies fracta parva calli copia tegitur.

Conf. Supel. Anat. Brugmansianae n°. cccLviii. vol. iii. pag. 204.

Figura 2 et 3.

Pars superior ossis femoris sinistri, hominis adulti, a posteriore et ab anteriore representata. Hujus ossis caput fractura fuit divisum, adeo ut circiter tertia et quidem anterior pars a reliquo capite fuerit separata, nec rursus cum eo concreta. Ipsum autem fragmentum inaequabilem monstrat superficiem ex callo ad ejus superficiem secreto.

a. b. Fragmentum a capite separatum, ex effuso ad superficiem articularem callo inaequabile.

Conf. Supel. Anat. Brugmansianae n°. cccLix. vol. iii. pag. 204.

FRACTURA COLLI OSSIS FEMORIS (1).

TABULA CXLVI.

(VOL. IV. TAB. XIX.)

Hac et sequente tabula exhibetur os innominatum cum osse femoris dextri lateris, hominis robustissimi, in quo observatur fractura colli ossis femoris, nec non trochanteris majoris sanata copioso, atque valde luxuriante callo.

a. b. Os innominatum. a. Ossis ilii superficies interna. b. Os pubis.

c. Caput ossis femoris.

d. Ejusdem ossis corpus.

e. Frustum osseum, quod basi lata cohaeret cum ampliato valde tubere inferiore et anteriore ossis ilii, ex quo alterum caput musculi Recti cruris oritur. Hoc frustum primo valde latum, dein contractum, deorsum rursus parum latescens, membrana crassa fibrosa, vel cartilagine procul dubio jungebatur cum osse ilio, et forte etiam cum callo luxuriante ossis femoris, quum nunc solutum utroque in loco superficiem inaequabilem monstrat, convenientem cum solutis superficiebus epiphysium et corporum ossium, ubi lamella cartilaginea ea conjungens est deleta. Descendisse haec portio videtur juxta musculum Rectum cruris.

f. g. h. Trochanter major, tuberculis, processibus atque spinis totus a forma naturali recedens. f. Tuberculum sat magnum, convexum, a superiore sulcatum, ex inferiore margine spinam emittens. g. Processus insignis antrorsum horizontaliter excurrens. h. Spina duplici mucrone terminata, versus os ilium tendens, atque sub leviore etiam motu ossis femoris illud os tangens. Omnes hae partes luxuriante callo productae, manifeste probant, hanc osseam materiem effusam fuisse inter musculos diversos Gluteos, atque musculum Tensorem vaginae.

i. Spina insignis longitudinis ex trochanteris majoris superficie anteriore, ad ductum musculi Cruralis, vel musculi Recti cruris, juxta anteriorem superficiem ossis femoris descendens.

k. Insignis massa ossea, inaequalis admodum formae, juxta asperam lineam inter duos trochanteres in anteriorem superficiem ossis se extendens.

l.

(1) Ad hoc caput pertinent Voluminis II. Tabulae LXXVII. Fig. 3. 4. 5. et 6. Tabula LXXVIII ad LXXXI.

l. Alia massa ossea ex praecedente parte ampla atque basi quasi scabra enata, adscendens juxta frustum e. usque ad marginem superiorem acetabuli; in media parte sulcum monstrans, cui procul dubio portio musculi Iliaci interni, et tendo Psoae majoris incubuerunt, dum anteriori parti verosimiliter incubuit musculus Pectineus.

m. n. o. p. Productiones osseae ex aspera linea ossis femoris juxta directionem musculorum Adductorum adscendentes, ex his m. n. crassissima usque ad crus inferius ossis pubis adscendit. o. et p. Portiones sunt tenuiores, sursum incurvatae, quae juxta musculum Adductorem majorem femoris per telam cellularem proserpserunt.

TABULA CXLVII.

(VOL. VI. TAB. XX.)

Figura 1.

Os femoris praecedenti tabula cum osse innominato conjunctum exhibitum, nunc ab eo osse solutum, atque ab interiore latere delineatum.

a. Superficies articularis capitis ossis femoris aequabilis, glabra, sinum pro insertione ligamenti teretis exhibens, atque probans ipsam articulationem non fuisse affectam.

b. c. d. Protuberantiae atque processus ex trochantere majori provenientes. b. Tuberculum in tabula praecedenti f. notatum. c. Processus unciformis antrorsum horizontaliter incurvatus, ab hac parte superficiem aequabilem, excavatam offerens, sub littera g. in praecedenti tabula exhibitus. d. Spina duplici mucrone terminata, in praecedenti tabula h. notata.

e. Massa ossea ad ductum musculorum Iliaci interni, Psoae majoris et Pectinei adscendens, in praecedenti tabula sub littera l. delineata.

f. Spina ad aliquam distantiam ab osse femoris descendens, juxta directionem musculi Recti cruris.

g. Insignis massa ossea ex posteriore facie trochanterum enata.

h. Processus major, juxta decursum musculi Adductoris ex aspera linea ossis femoris, ad crus inferius ossis pubis se extendens, in praecedenti tabula m. n. notatus.

i. Processus medius, in tabula praecedenti o. notatus.

k. Processus inferior, in tabula praecedenti p. notatus.

Figura 2.

Idem os a posteriore visum.

a. Caput ossis femoris.
b. Spina duplici mucrone terminata (Figura 1. d.).
c. Spina juxta femur descendens.
d. e. Massa ossea ex posteriore facie trochanteris majoris ad trochanterem minorem se extendens, irregularis formae (Figura 1. g.).
f. Processus major ex aspera linea ossis femoris juxta musculum Adductorem femoris, ad crus descendens ossis pubis se extendens (Figura 1. h.).
g. Processus medius (Figura 1. i.).
h. Processus inferior (Figura 1. k.).

Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N°. CCCLXXVII et CCCLXXVIII. vol. III. pag. 206.

TABULA CXLVIII.

(VOL. IV. TAB. XXI.)

Figura 1.

Os innominatum dextri lateris, hominis adulti. Collo ossis femoris circa mediam ipsius partem defracto, fracturae sanatio locum non habuit, sed deletis capite et collo ossis femoris, species novae articulationis producta est.

a. b. c. Margo acetabuli ex effuso callo, imprimis circa anteriorem partem b., crassus et inaequabilis.
d. Acetabuli interna superficies partim callo repleta, inaequabilis, sed tamen concava, monstrans foramen circa mediam fere partem, tendens ad sinum quo antea massa pinguedinosa et extremum ligamenti teretis recondebantur.

Figura 2.

Ossis femoris dextri lateris, ejusdem hominis, pars superior ab interiore visa.

a. b. c. Superficies valde aspera radicis colli ossis femoris, ubi fractura locum habuisse videtur, quae ampliata simul est calloso excreto margine c. b.
d. e. f. Copiosus callus, qui ex margine posteriore inter trochanteres, et ex trochantere minore prodiit; hic articulationem partim ambiens, juxta insertionem musculi Iliaci interni et tendinem Psoae majoris adscendebat. e. f. Portio quae imprimis in contactu venit cum margine posteriore acetabuli, et politam superficiem offert.
g. Margo superior trochanteris majoris.

Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N°. CCCLXVIII et seq. vol. III. pag. 205.

Figura 3.

Os innominatum dextrum hominis adulti. Capite ossis femoris, fractura colli illius ossis, ab ipsius corpore soluto, nec sanata fractura caput cum interna superficie acetabuli concretum est.

a. Caput ossis femoris superficiem inaequabilem, hic illic asperam, convexam monstrans, concretum cum superficie interna acetabuli, et duobus in locis cum ipsius margine.

b. c. Concretiones praecipuae capitis cum margine acetabuli.

d. Spina capiti adhaerens, procul dubio fractura producta. A superiore et inferiore similes spinae osseae adsunt.

e. f. Margo posterior et inferior acetabuli deletus ex abscessu in articulo praesente.

Figura 4.

Ossis femoris dextri lateris, ejusdem hominis, pars superior a latere interiore visa

a. Basis colli ossis femoris post ejus fracturam superstes, superficiem partim aequabilem, partim asperam offerens.

b. c. d. Lamella callo producta, a trochantere majore deorsum introrsumque descendens, inter quam et radicem colli spatium sat magum superest, ab anteriore duplici apertura, et ab interiore unica majori hians.

e. Trochanteris majoris superficies interna.

Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N°. CDXV et seq. vol. III. pag. 211.

TABULA CXLIX.

(VOL. IV. TAB. XXII.)

Fracturae colli ossis femoris intra ligamentum capsulare obviae, et feliciter sanatae hac tabula representantur.

Figura 1.

Ossis femoris sinistri lateris, foemina adultae, pars superior ab anteriore representata.

a. Fractura in collo ossis femoris, parva copia calli conferruminata. A superiore fractura ipsi superficiei articulari capitis proxima est, ab inferiore aliquantum ab ea superficie distat. Situs capitis parum est obliquus intror-

trorsum, unde pes extrorsum ductus fuit; superficies anterior colli, prominente margine ex sanata fractura, in duas superficies divisa est.

Figura 2.

Idem os a posteriore visum.

a. b. Fractura in collo antea praesens ab hac parte nondum penitus callo est consolidata, sed inter margines diffractos, qui hic superficiei articulari capitis proxime adstant, parvus sulcus superest.

Figura 3.

Idem os ab interiore latere visum, quo constat caput solito magis retrorsum post sanationem fracturae esse situm.

a. b. c. Fractura in collo ossis sanata; media pars b. caeteris partibus magis prominet.

Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N°. CCCLXXIX. vol. III. pag. 206.

Figura 4.

Pars superior ossis femoris sinistri lateris, hominis robusti, ab anteriore exhibita.

a. Capitis pars cui ligamentum rotundum fuit insertum, lamella ex callo obducta.

b. c. d. Fracturae antea praesentis vestigium. Quum superficies diffractae nondum perfecte inter se conveniunt, colli pars b. parum supra caput prominet, dum circa d. capitis pars descendit infra superficiem colli; utraque tamen haec pars fracturae superficiem callo oppletam exhibet.

e. Margo vel aspera linea inter trochanteres, cui insertum fuit ligamentum capsulare, sua asperitate monstrans hic inflammationem chronicam locum habuisse.

Figura 5.

Idem os femoris a parte posteriore.

a. Capitis superficies cui insertum fuit ligamentum teres, atque callo parumper obducta est.

b. c. d. Colli pars in qua antea fractura adfuit.

Margo vel aspera linea cui ligamentum capsulare fuit insertum ab hac parte etiam varias monstrat asperitates, dum linea aspera corporis ossis, cui

adhaerent musculi Adductores femoris, non parum etiam est ampliata et solito magis aspera.

Figura 6.

Idem os femoris ab anteriore latere.

a. Capitis pars callo obducta.

b. Pars prominens colli, atque supra trochanterem majorem eminens (Fig. 4 et 5. b.).

In hoc ergo casu longitudo membri quidem fuit imminuta, sed situs pedis nondum fuit mutatus (1).

Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N°. CCCLXXX. vol. III. pag. 206.

MORBI ARTICULATIONUM.

MORBI ARTICULATIONUM AB INJURIA EXTERNA FRACTURAM AUT CARIEM PRODUCENTE.

TABULA CL.

(VOL. IV. TAB. XXIII.)

Figura 1.

Extrema ossium brachii articulationem cubiti componentia, ab interiore exhibita, hominis, cujus ossis humeri extremum inferius, transeunte globo sclopetario, fuit fractum, sed tali ratione sanatum est, ut fragmenta partim anchylosin, partim speudo-articulationem produxerint.

a. b. c. Extremum inferius ossis humeri in fragmenta varia fractum, sed rursus conferruminatum, superstite tamen foramine valde magno inter diversa fragmenta. b. Capitis inferioris ossis humeri pars, quae rotulae speciem pro articulatione cum ulna constituit, nunc cum ulna anchylosi nexa.

c.

(1) Talem fracturam colli ossis femoris intra ligamentum capsulare aliquando absque notabili deformitate sanari, si debito in situ, et in quiete post fracturam perpessam satis diu servatur totum membrum, ipsumque periosteum colli eodem tempore totum dilaceratum sit, probare tentavi in Dissertatione, cui titulus *Aanmerkingen omtrent de breuk van den hals van het Dijebeen*, quae edita invenitur inter Dissertationes primae classis Instituti Regii artium atque scientiarum, *Nieuwe Verhandelingen der Eerste klasse van het Koninklijk Nederl. Instituut van Wetenschappen, Letterkunde en Schoone Kunsten. Amst. 1827. I Deel. pag. 153.* Si enim periosteum non in totum est dilaceratum, saepe valde extenditur, atque reposito in situ osse, plicam inter superficies fractas producit, quae concretionem perfectam calli ope impedit.

c. Fragmentum osseum, partim noviter productum, quod cum radii capite concretum est, deleta ea parte capitis ossis humeri, quae cum radio articulationem constituebat.

d. Radius cum osse humeri et cum ulna concretus.

e. Radii caput magnitudine auctum, atque cum fragmento c. concretum.

f. Ulna.

Figura 2.

Eadem ossa ab exteriore exhibita.

a. b. c. d. e. f. Ossis humeri extremum inferius in genere superficiem inaequabilem, ex crusta ossea noviter in superficie externa secreta, ab hac parte offerens. a. Corpus ossis. b. Fragmentum sat magnum, quod totum fuit separatum, sed diversis in locis rursus concretum est cum corpore ossis, tali tamen modo, ut circa partem superiorem inter corpus ossis et fragmentum spatium quoddam supersit. c. Pars ossis humeri articulationem cum ulna constituens, sed nunc anchylosi cum ea nexa. d. Pseudo-articulatio inter duo fragmenta b. et c. Superficies quae hic semet invicem tangunt, sunt satis aequabiles et glabrae. e. Fragmentum aliud cum radio concretum. f. Pseudo-articulatio inter hoc fragmentum atque corpus ossis.

g. Ulnae extremum superius cum parte ossis humeri c. concretum.

Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N°. CCCXC et seq. vol. III. pag. 208.

Figura 3.

Patella sinistri lateris, hominis adulti, a calcitrante equo transversaliter diffracta, ab interiore exhibita.

a. Pars superior patellae, cujus superficies interna a superiore lamella cartilaginea articulari sana tegitur, ab inferiore vero fissuras duas transversales monstrat. Margo inferior totius hujus fragmenti cariosum adspectum offert.

b. c. d. Pars inferior patellae fractura transversa a superiore parte separata. b. Pars media, sive mucro inferior patellae. c. d. Fragmenta duo, quae a superiore patellae parte videntur separata, sed cum hac inferiore parte callo sunt concreta, atque secreto callo magnitudine videntur aucta, et forma mutata.

Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N°. CDXIV. vol. III. pag. 210.

Figura 4.

Os innominatum dextrum cum osse sacro, post fracturam partis posterio-

ris ossis ilii, carie maxime erosum, ex homine adulto, a latere delineatum.

a. b. Margo fracturae in media fere parte ossis ilii. Externa ossis superficies hac in parte est scabra atque erosa.

c. d. Parva portio ossis ilii a destructione superstes, et cum osse sacro adhuc cohaerens.

e. f. g. Margo superstes acetabuli, qui licet valde erosus articularem capacitatem a superiore, posteriore et inferiore adhuc circumscribit. Fundus acetabuli carie penitus consumtus est.

h. i. Pars lateralis ossis sacri, quae antea conjuncta erat cum osse ilio, carie consumta.

Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N°. CDXVII et seq. vol. III. pag. 211.

MORBI ARTICULATIONUM AB INJURIA EXTERNA LUXATIONEM PRODUCENTE.

LUXATIO OSSIS HUMERI.

TABULA CLI.

(VOL. IV. TAB. XXIV.)

Figura 1.

Scapula cum superiore parte ossis humeri dextri lateris, hominis adulti, qui subluxatione humeri diu laboravit. Situs capitis ossis humeri in cavitate glenoidea scapulae abunde probat os humeri sursum fuisse propulsum, adeo ut inferior pars cavitatis articularis scapulae non amplius in contactu veniat cum capite ossis humeri; dum ab altera parte caput ossis humeri attingit summum humerum, nec non processum coracoideum.

Figura 2.

Scapula eadem ab anteriore delineata.

a. Pars cavitatis glenoideae, quae pro majori parte non amplius attingebatur a capite ossis humeri, et ex cujus margine callosa materies prodiit.

b. Pars superior cavitatis glenoideae, nec non radix processus coracoidei, cui impositum fuit caput ossis humeri, partim porosa, sed caeterum valde polita, ac quasi eburnea.

c. Extremum processus coracoidei, quod trituratione capitis ossis humeri partim deletum, porosam monstrat superficiem.

d. Margo superior summi humeri, cui adnectebatur clavicula, simili ratione quam processus coracoideus affectus.

Figura 3.

Ossis humeri ejusdem hominis pars superior, capitis superficiem articularem ampliatam, maxime politam atque quasi eburneam, nonnullis in locis porosam demonstrans, dum margo superficiem articularem cingens ampliatus, atque revolutus apparet.

Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N°. CDXIX et seq. vol. III. pag. 212.

Figura 4.

Scapula sinistri lateris hominis adulti, qui luxatione inveterata ossis humeri laboravit.

a. Cavitas glenoidea scapulae, quae licet per seriem annorum non amplius articulationi inserviisse videatur, tamen magnitudinem suam naturalem conservavit, sed tota inaequabilis, atque profundis sulcis exsecta deprehenditur.

b. Nova superficies articularis, cui impositum fuit caput ossis humeri, effuso copioso callo producta; haec licet in genere quidem aequabilis, atque leviter exsecta, tamen porositatem insignem monstrat.

Capitis ossis humeri mutatio non tanta est, ut mihi videretur digna illud os etiam delineare.

Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N°. CDXXIII. vol. III. pag. 213.

TABULA CLII.

(VOL. IV. TAB. XXV.)

Figura 1.

Scapula cum adnexa parte claviculae, et superiore parte ossis humeri, dextri lateris, ab interiore latere delineata, foeminae adultae, cujus summus humerus graviter fuerat contusus, atque acromium diffractum.

a. Cavitas glenoidea scapulae insigniter ampliata, ex nova secretione substantiae osseae. Tota fere ipsius superficies articularis, licet mirum in

modum aucta, tamen levissima est; ab inferiore haec superficies minus aequabilis observatur.

b. Processus coracoideus.

c. Claviculae portio scapulae adnexa, atque sursum promota.

d. Ossis humeri pars superior, cujus caput licet totum sit deletum, tamen superficiem satis aequabilem monstrat, quae movebatur juxta ampliatam superficiem articularem scapulae.

e. f. Duo fragmenta ossea, novae ut videntur formationis, quae ligamento capsulari adhaerent.

Figura 2.

Eadem scapula cum adnexa parte claviculae, ab exteriore visa.

a. Cavitas glenoidea.

b. Fragmentum osseum superius, novae ut videtur formationis.

c. Anterior pars summi humeri a spina scapulae diffracta, nec cum ea rursus concreta.

d. Extremum processus coracoidei.

e. Claviculae pars adhaerens summo humero a spina scapulae diffracto.

Conf. Supel. Anat. Bonnianae n°. dxciii. vol. iii. pag. 383.

LUXATIO OSSIS FEMORIS (1).

TABULA CLII.

(VOL. IV. TAB. XXV.)

Figura 3.

Os innominatum dextri lateris, foeminae adultae, quae ab hoc latere claudicavit, ab anteriore representatum. Femoris os sursum retrorsumque fuit luxatum, atque nova cavitas cotyloidea est producta, quae insignem acquisivit profunditatem, adscendente in toto ambitu pariete admodum insigni, quamvis hujus altitudo a posteriore omnium sit maxima. Tota haec noviter formata ca-

(1) Ad hoc caput pertinent Voluminis II, Tabula LXIV ad LXVIII.

cavitas articularis tantae est profunditatis, ut naturali non cedat, et inter rarissima specimina merito referatur; ab interiore satis est aequabilis, a posteriore quidem parum porosa, sed caeterum ubique magis polita. Externa superficies a priore paulo inaequabilior est quam a posteriore, atque sulcis instructa. Acetabulum naturale, os ischion atque os pubis eam subierunt mutationem, quam in inveterata simili luxatione subire solent.

Si hoc specimen comparemus cum aliis ejusdem generis, atque cum iis, quae ex luxatione congenita producta sunt, miramur maxime non tantum insignem copiam secretae osseae substantiae, sed etiam formam acetabuli ad naturalem formam valde accedentem; dolendum ipsum os femoris nondum esse servatum, quo constitisset, quali modo illud os procul dubio moveri potuerit, nam quamvis acetabulum satis sit perfectum, tamen motus quodam sensu limitatus esse debuit. Dolendum etiam nihil cognitum esse de historia hujus laesionis, quae certe juniori aetate obtinuit, si computemus quantitatem secreti calli, dum etiam ad ejusmodi perfectam conformationem novae cavitatis articularis obtinendam, diu protracta quies totius membri multum procul dubio contulit.

Figura 4.

Idem os innominatum ab exteriore latere delineatum.
Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N°. CDLII. vol. III. pag. 218.

MORBI OSSIUM A CAUSA INTERNA.

CLAUDICATIO ABSQUE LUXATIONE (1).

TABULA CLIII.

(VOL. IV. TAB. XXVI.)

Hac tabula et sex figuris sequentibus exhibetur degeneratio articulationis ossis femoris cum osse innominato ex morbo rheumatico, quo mollescunt partes articulares osseae, dein expanduntur, sive magnitudine augentur, et tandem tractu temporis rursus appositione phosphatis calcis soliditatem insignem acquirunt. Partibus illis emollitis, hae impares videntur ad sustentandum pondus totius trunci, unde hic inter femora quasi descendit, atque acetabulum sursum ad os ilium protruditur. Centro gravitatis ergo non amplius conveniente in eodem plano cum centro motus, acetabuli et capitis ossis femoris naturali figura atque situ deperditis, singularis producitur species claudicationis, a claudicatione ex luxatione facile distinguenda. Haec degeneratio hic in diversis morbi periodis exhibetur.

Figura **1.**

Os innominatum sinistri lateris, hominis robustissimi.

a. b. Acetabulum magnitudine parum auctum, superficiem articularem in parte superiore a. minus aequabilem quam in naturali statu exhibet; in parte inferiore b. haec superficies aequabilior est.

c. d. e. Margo acetabuli crassitie valde auctus ac parumper sursus remotus. c. Pars anterior limbum revolutum offert. d. e. Reliqua pars marginis in d. tumefacta, inde usque ad e. crassities aucta atque scabra est, deperditis praeparatione partibus osseis emollitis.

Figura **2.**

Ossis femoris sinistri lateris pars superior, ab anteriore ex eodem homine.

a.

(1) Ad hoc caput pertinent Voluminis II. Tabulae LXIX ad LXXIV.

a. b. Margo superficiei articularis capitis excretus, ac revolutus, adeo ut in toto ambitu promineat. Superficies articularis sanissima deprehenditur; capitis magnitudo paulo minor est quam cavitas acetabuli.

Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N°. CDLV et seq. vol. III. pag. 218.

Figura 3.

Os innominatum dextri lateris, foeminae adultae ex eodem morbo, sed in stadio provectiori, affectum. Acetabulum magnitudine valde est auctum, oblongae figurae, sursumque promotum, adeo ut insistat pro majori parte ossi ilio; cavitas recondens massam adiposam, atque ligamentum rotundum lamella ossea praeternaturali, excreta ex interiore margine superficiei articularis, caeterum in sano statu foveam semilunarem limitante, tegitur; hac lamella ossea haec altera cavitas separata est a superficie articulari.

a. b. c. d. Ambitus acetabuli sursum promoti, adeo ut adscendat supra tuberculum in margine anteriore ossis ilii, a quo musculus Rectus cruris altero suo tendine oritur. a. Marginis pars superior tenuis. b. Pars inferior acetabuli, in formam lamellae crassae excreta ex margine superficiei semilunaris. Haec lamella acetabulum separat a fovea pro massa adiposa atque ligamento rotundo. c. Acetabuli margo anterior tuberculosus, insidens margini inferiori ossis ilii.

e. f. Superficies interna acetabuli. e. Pars inferior satis aequabilis. f. Pars superior porosa cum punctis glaberrimis, maxime politis interspersis.

g. Fovea superstes, atque tota separata ab acetabulo, ad recondendam massam adiposam et ligamentum rotundum, quod transiit per fissuram inter b. et c. praesentem.

h. Tuberculum ex quo enascebatur alter tendo musculi Recti cruris.

Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N°. CDLXV. vol. III. pag. 220.

Figura 4.

Ossis femoris ejusdem lateris pars superior, ex eadem foemina.

a. Capitis superficies articularis scabra, porosa, complanata, in parvum apicem elevata, ubi ipsi procul dubio adnectebatur ligamentum rotundum, quamvis vestigium ipsius insertionis non amplius supersit.

b. c. Margo superficiei articularis anterior excretus, revolutus, colli partem tegens, sed ab eo remotus, ab exteriore inaequabilis, ac partim alia lamella ossea tectus.

d. Pars inferior ac posterior ejusdem marginis simili modo revoluta, et quum

latitudo capitis complanati maxime aucta est, valde distans a collo ossis femoris.

Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N°. CDLXVI. vol. III. pag. 220.

TABULA CLIV.

(VOL. IV. TAB. XXVII.)

Figura 1.

Os innominatum sinistrum hominis adulti, robustissimi, eodem vitio in articulatione cum femoris osse degeneratum.

a. b. c. d. Ambitus acetabuli sursum retrorsumque valde promoti, atque ovalis figurae, imprimis circa b. et c. ultra superficiem ossis ilii et ischii prominens.

e. Lamella ossea ex margine inferiore superficiei semilunaris excreta, atque hanc separans a fovea pro massa adiposa et ligamento tereti; haec vero lamella non tantae est latitudinis, ut ipsas cavitates a se invicem in totum separet. Ubi margo articularis acetabuli exsectus est pro ingressu vasorum, nec non in media parte interior pars alterius cavitatis cum parte articulari, in hoc specimine, adhuc communicat.

f. Superficies interna acetabuli inaequabilis, atque inter partes caeteris aequabiliores valde porosa.

Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N°. CDLXXI. vol. III. pag. 220.

Figura 2.

Ossis femoris ejusdem lateris pars superior.

Caput cernitur valde compressum atque porosum inter lamellas, sive squamas satis aequabiles, nonnullas capitis partes tegentes; margines superficiei articularis excreti atque parum tantum revoluti sunt.

Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N°. CDLXXII. vol. III. pag. 220.

Figura 3.

Os innominatum dextrum, hominis robustissimi, in quo acetabulum ex eodem morbo non tantum insigniter auctum, sed etiam ferme circularis formae cernitur.

a. b. c. d. Margo acetabuli. Hujus posterior pars a. marginem satis acutum, valde ultra superficiem ossis ilii prominentem offert. Marginis pars anterior

rior b. confluens cum tuberculo inferiore et anteriore ossis ilii, crassior est, et magis revolutus. Pars c. d. crasissima est, atque superficiem articularem a fovea pro massa adiposa in totum separat. Acetabuli pars inferior b. c. d. e., pro parte formata ex lamella praeternaturali, duas acetabuli partes caeterum in statu naturali praesentes, a se invicem separante, valde est aequabilis; contra vero acetabuli pars superior a. b. e. d. est porosa cum interstitiis glaberrimis, quasi politis.

e. Fundus acetabuli.

f. Superstes partim fovea, cui in statu naturali ligamentum teres inhaeret.

Figura 4.

Ejusdem hominis pars superior ossis femoris dextri lateris.

a. Superficies articularis capitis ossis femoris globosae figurae, magnitudinis valde auctae, partim porosa, partim polita. Hujus superficiei articularis margo in toto ambitu valde est excretus, et revolutus, adeo ut de superficie anteriore colli vix quidpiam conspiciatur, et lamella b. c. descendat usque ad asperam lineam inter trochanteres, cui inseritur ligamentum capsulare, quin tamen collo adhaereat.

d. Linea ad radicem colli, cui ligamentum capsulare adnectebatur, valde aspera, atque circa trochanterem majorem tuberculosa.

Conf. Supel. Anat. Brugmansianae n°. cdlxxvii et seq.. vol. iii. pag. 221.

TABULA CLV.

(VOL. IV. TAB. XXVIII.)

Figura 1.

Os innominatum dextri lateris hominis adulti, ex eodem morbo acetabulum valde degeneratum exhibens.

a. b. c. d. e. Ambitus sive margo acetabuli sursum promoti, atque ovalis figurae. Superior marginis pars b. non multum prominet ultra superficiem ossis ilii; anterior vero pars c. adimplet totum sulcum, cui caeterum incumbit musculus Iliacus internus. d. Anterius cornu superficiei articularis, sive semilunaris, tuberculosum atque prominens. e. Posterius crus ejusdem superficiei articularis valde excretum, atque tuberculosum.

f. Fovea sive exsecta marginis acetabuli pars, juxta quam vasa tendebant ad massam adiposam, atque ligamentum rotundum, cum parte articulari acetabuli unam cavitatem formans.

g. Tuberculum cui jungitur musculus Rectus cruris.

Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N°. CDLXXXIII. vol. III. pag. 222.

Figura 2.

Pars superior ossis femoris dextri lateris, ejusdem hominis.

a. b. c. d. Deforme admodum caput. a. Tuberculosa pars ossea inter marginem superficiei articularis et trochanterem majorem, cum utraque hac parte, et cum externa superficie colli cohaerens. b. Apex satis acutus in formam spinae e capite proveniens, qui admittebatur in foveam acetabuli, cui insidet massa adiposa et ligamentum teres. d. Eminentia alia ex revoluto margine inferiore superficiei capitis. c. d. b. Pars capitis quae recipiebatur acetabulo.

e. Trochanteris minoris pars superstes.

Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N°. CDLXXXIV et seq. vol. III. pag. 222.

CARIES ARTICULORUM.

TABULA CLV.

(VOL. IV. TAB. XXVIII.)

Figura 3.

Os innominatum sinistri lateris hominis adulti, in quo, ex abscessu in articulatione cum femoris osse, tota capacitas acetabuli non tantum cernitur quoad formam mutata, imprimisque sursum aucta, et hinc solito magis elongata, sed praeterea tota superficies articularis, a sua lamella cartilaginea orbata, ex erosione est scabra, cavitatisque margo anterior rotundatus, deperdito ligamento elastico, huic margini caeterum adhaerente. Fundus cavitatis totus quantus exesus, foramen exhibet majus, quam caeterum fovea in fundo acetabuli esse solet. Superficies externa ossis ilii supra acetabulum etiam probat crassitiem hujus ossis esse auctam, licet imprimis ipsius superficies interior promineat, atque haec potius convexum, quam concavum planum exhibeat.

Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N°. DLXV. vol. III. pag. 229.

Fi-

Figura 4.

Ossis femoris ejusdem lateris pars superior, ex eodem homine.

Maxima capitis pars fere penitus est consumta, deperdita non tantum cartilagine articulari, sed et magna capitis parte. Quae vero de capite superest pars monstrat substantiam scabram, cellularem et porosam. Trochanter major, nec non aspera linea inter trochanteres, cui ligamentum capsulare adnectitur, spinulis osseis solito majorem asperitatem offerunt.

Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N°. DLXVI. vol. III. pag. 229.

TABULA CLVI.

(*VOL. IV. TAB. XXIX.*)

Ossa articulationem genu sinistri lateris componentia, hominis adulti, ex hydrope articuli degenerata, ab anteriore et a posteriore delineata. Degenerationes superficierum articularium omnium horum ossium videntur ejusdem generis esse, quam quas in tabulis praecedentibus in articulatione ossis femoris cum acetabulo ex rheumatismo, vel arthritide vidimus. Forma nimirum ossium, ubi articulationem componunt, maxime est mutata, aeque ac si haec ossium extrema in prima morbi periodo, quando emollita fuisse videntur, gravitate corporis compressa, praeternaturalem hanc acquisiverint figuram, quam dein, duritie ossis rursus aucta, retinuerunt, dum post illud tempus marginum superficierum articularium excrescentiae proculdubio exortae sunt. Non enim hanc deformitatem fuisse congenitam probant specimina volumine III. pag. 233 et sequente, N°. DCX ad DCXIV descripta.

Quantopere genua introrsum fuerunt incurvata ex ipsis figuris satis elucescit; licet enim femoris atque cruris ossa a se invicem remota hic delineata sint, tamen eo in situ sunt posita, quem inter se juncta servabant.

Figura 1.

Ossis femoris pars inferior ab anteriore delineata monstrat quantopere condylus internus a. infra condylum externum b. descendit; excreti margines c. et d. superficierum articularium utriusque condyli ad corpus ossis sunt revoluti, unde superficies juxta quam patella movebatur etiam imminuta apparet.

Figura 2.

Eadem ossis pars a posteriore.

Constat superficiem articularem condyli externi a. latiorem mansisse, quam condyli interni b. Condylus hic internus subluxatione etiam e suo situ ad superficiem articularem internam tibiae fuerat remotus; margines articulationis etiam ab hac parte valde sunt excreti, et pro majori parte revoluti.

Figura 3.

In anteriore superficie partis superioris tibiae et fibulae non tantum apparet situs oblique extrorsum corporis tibiae, sed etiam constat fibulae corpus complanatum, partim pone tibiam, circa mediam partem longitudinis cruris descendere; superficies articulares tibiae etiam non servarunt situm naturalem horizontalem, sed pone elevatum marginem anteriorem oblique retrorsum descendunt.

Figura 4.

In hac figura easdem partes, eodemque in situ, sed a posteriore exhibente, omnino constat superficies articulares tibiae maxime degeneratas esse; non tantum enim utraque superficies planum retrorsum valde inclinatum offert, sed praeterea externa, licet satis ampla, in duas quasi partes linea a. parum prominente, est divisa, dum posteriori, solito magis excavatae parti, tantum inpositus fuisse videtur condylus ossis femoris, qua ex causa substantia hujus partis magis compacta, polita, quasi eburnea apparet. Margo anterior et exterior b. hujus superficiei articularis etiam cernitur excretus, et revolutus. Superficies articularis pro condylo interno femoris, in duas etiam partes c. et d. divisa, pro minori adhuc parte articulationi inserviisse videtur, quum tota ipsius anterior pars c, quae situm naturalem magis servavit, admodum inaequabilis, abunde probat lamellam articularem cartilagineam hic jam dudum fuisse consumtam; subluxatio itaque hic obtinuit. Caput fibulae ab hac posteriore parte etiam ampliatum cernitur.

Figura 5.

Patella a posteriore delineata eandem degenerationem in superficie articulari exhibet. Ut in femore superficies articularis in condylo interno pro hoc osse fere est deleta, sic etiam haec pars a. maxime lamella ossea praeternaturali est obducta; dum limbus b. superficiei externae etiam lamellam complanatam refert.

Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N°. DCVI ad DCIX. vol. III. pag. 233.

CON-

CONCRETIO ATQUE ANCHYLOSIS OSSIUM (1).

TABULA CLVII.

(VOL. IV. TAB. XXX.)

Cranium hominis adulti ab anteriore et a latere dextro delineatum. Omnes musculorum impressiones in hoc cranio valde sunt notabiles. Maxilla inferior sinistrorsum est subluxatum, adeo ut condylus sinister maxillae inferioris pro majori parte extra sinum articularem promineat. Concreta praeterea est maxilla inferior cum cranio ope insignis exostosis, ab osse jugali dextro in processum coronoideum maxillae inferioris descendentis. Licet dentes incisores maxillae superioris, et dens incisor medius sinister maxillae inferioris, procul dubio ut alimenta fluidiora ori possent infundi, fuerint evulsi, alveoli tamen, licet parum consumti, adhuc distinguuntur.

Figura 1.

a. Condylus sinister maxillae inferioris lateraliter e sinu articulari, pro majori parte expulsus.

b. c. Exostosis insignis duritiei ex superficie externa, et ex margine inferiore ossis jugalis excreta, juxta os maxillare superius, sed ab eo valde remota descendens, et cum superficie externa processus coronoidei maxillae inferioris concreta.

Figura 2.

a. Condylus dexter maxillae inferioris valde extenuatus, lateraliter introrsum propulsus, unde sinus articularis callo fere totus repletus est, nec nisi sulcum angustum refert.

b. Exostosis ab inferiore superficiem parum inaequabilem offerens, cui musculus Masseter adnectebatur.

Conf. Supel. Anat. Brugmansianae N°. dcxvi. vol. iii. pag. 234.

TA-

(1) Ad hoc caput pertinent Voluminis II. Tabulae XIV—XVI. XXXVIII—XLIV. XLVI—XLVIII. LXI. LXIII. LXXV. LXXVI. LXXXVI. XC. XCI. XCIV. XCV. CIII.

TABULA CLVIII.

(*VOL. IV. TAB. XXXI.*)

Cranium anchylosi junctum cum maxilla inferiore, atque cum sex superioribus vertebris cervicalibus, hominis adulti, qui paralysi universali laboravit per seriem annorum, orta ex luxatione epistrophei ad atlantem.

Figura 1.

Delineatum cernitur cranium cum concretis vertebris cervicis a latere sinistro, ut constaret quantopere totum cranium antrorsum sit incurvatum, nec non qualis sit curvatura vertebrarum colli, ex praesente luxatione secundae vertebrae. Situs atlantis parum est mutatus, hinc arcus oblique adscendens, tali ratione a latere sinistro cum margine foraminis magni est concretus, ut tantum spatium supersit pro transitu arteriae vertebralis. Constat porro processum odontoideum epistrophei a margine interiore atlantis recessisse, et fere centrum foraminis atlantis occupare, unde omnes vertebrae colli, in processubus articularibus et corporibus concretae, sub angulo cum ipso cranio, interventu atlantis sunt nexae, adeo ut situs relativus conceptaculi cerebri et canalis spinalis maxime sit mutatus. Cernitur praeterea condylum maxillae inferioris valde esse applanatum, antrorsumque juxta tuberculum articulationis adauctum, et in superficie articulari concretum cum tota superficie articulari ossis temporis, ita tamen ut in ambitu articulationis ossa separata videantur.

Figura 2.

Pars posterior conceptaculi cerebri horizontaliter aperti, ab interiore visa.

Ab hac parte constat quantopere lumen foraminis magni ossis occipitis et atlantis, luxatione processus dentiformis epistrophei sit oppletum. Totus enim ille processus valde recessit a margine interiore atlantis, et cariosus cernitur in superficie anteriore, ejusque figura ex praesente carie est mutata. Quanta compressio medullae spinalis ex hac luxatione producta fuerat, sponte liquet. Tam ex praesente carie, quam ex paralysi universali per seriem annorum protracta, concludendum videtur, dentem epistrophei non nisi sensim sensimque e sede fuisse pulsum.

a. Margo anterior foraminis magni.
b. Processus dentiformis epistrophei.
c. Arcus atlantis.

Fi-

Figura 3.

Hac in figura cernuntur vertebrae colli cum media parte basis cranii ab inferiore, adeo ut superficies inferior vertebrae pene infimae colli a superiore conspiciatur,

a. Pars basilaris ossis occipitis.
b. Superficies inferior corporis vertebrae pene infimae colli.
c. Tuberculum in media anteriore parte arcus atlantis.
d. Anterior superficies processus dentiformis epistrophei, cariosam monstrans superficiem.

Ex spatio praesente inter arcum atlantis et anteriorem superficiem processus dentiformis epistrophei, satis constat quantopere haec vertebra e sede est remota.

Conf. Supel. Anat. Bonnianae n°. dciii. vol. iii. pag. 384.

TABULA CLIX.

(VOL. IV. TAB. XXXII).

Anchylosis ossium pubis ex viro et foemina.

Figura 1.

Ossa innominata foeminae adultae, in nexu ossium pubis substantia crassa, satisque dura, ossea inter se concreta.

Licet ossa pelvis solito magis in pube a se invicem sint remota, totum tamen illud spatium intermedium substantia ossea adimpletum est, adeo ut firmissime inter se cohaereant. Margo ossis pubis dextri lateris processus monstrat spinosos contortos, dum circa marginem superiorem, in genere latum atque crassum, a sinistro latere etiam tubercula, ac spinae osseae apparent. Licet ossa pubis solito magis a se invicem distare videantur, diameter transversalis in apertura superiore pelvis minoris tamen non superat quinque pollices rhenolandicos. Superficies articulares conjunctionis ossium iliorum cum osse sacro immutatae supersunt. Os sacrum est deperditum.

Conf. Supel. Anat. Brugmansianae n°. dclviii. vol. iii. pag. 238.

Figura 2.

Ossa pelvim componentia ex viro adulto, robusto, in qua post perpessam frac-

fracturam utriusque cruris ossis pubis sinistri lateris, anchylosis inter ossa pubis enata videtur. Adfuisse enim duplicem fracturam, nunc callo sanatam omnino constat, tam ex figura et situ cruris horizontalis ossis pubis sinistri lateris, quam ex deformitate rami descendentis, prope tuber ossis ischii. Corpus ipsum ossis pubis sinistri, nec non anterior superficies anchylosis asperitates diversas monstrant. Latus dextrum omnino sanum videtur. In media parte nexus ossium pubis quaedam cavitas superest.

Conf. Supel. Anat. Bonnianae n°. dcvii. vol. iii. pag. 385.

MORBI OSSIUM EX CAUSA SCROPHULOSA (1).

TABULA CLX.

(VOL. IV. TAB. XXXIII.)

Figura 1.

Extremum inferius ossis humeri cum superioribus partibus ossis radii et ulnae, dextri lateris, ab interiore visum, viri juvenis viginti octo annorum, qui ex carie scrophulosa periit. Haec ossa, ut ea omnia quae ex morbo scrophuloso sunt affecta, levissima, valde fragilia atque porosa sunt, imo toto habitu externo distinguuntur facile ab affectionibus ossium aliis morbis productis, uti etiam ex his figuris facilius conspicitur, quam verbis describitur.

a. b. c. d. Extremum ossis humeri circa articulationem valde ampliatum atque extensum, totumque morbosum. Cavitas medullaris maxime est ampliata, ita ut non nisi tenuissima lamella corticem constituat. b. c. Superficies articularis lamella cartilaginea orbata, tota quanta porosa et exesa est, ita tamen ut superficies b., pro articulatione cum radio adhuc a superficie c., quae jungebatur cum ulna, distingui valeat. d. Limbus ab uno latere articulationis in alterum tendens, atque terminans superficiem cui incubuit abscessus, ex callo poroso et tuberculoso constat. Superficies inter b. c. et d. est erosa, scabra atque valde porosa.

e. Radii extremum superius, cujus capitulum in vertice, et in toto ambitu etiam cartilagine articulari orbatum est, valde porosum et leviter tumefactum cernitur.

f.

(1) Ad hoc caput pertinent Voluminis II, Tabulae XXII. Fig. 2 et 3. et Tab. XXIII. Fig. 5 et 6.

f. Ulnae caput superius maxime tumefactum a radio nimis remotum, superficiem articularem, tam pro articulo cum osse humeri, quam pro eo cum radio monstrat valde erosam, dum in toto ambitu ossis substantia est scabra et porosa.

Figura 2.

Eadem ossa ab exteriore exhibita.

a. b. c. Extremum ossis humeri, ab hac parte etiam carie affectum, maxime est emollitum atque tumefactum, unde tota externa superficies inaequabilis, tuberculosa et quasi fungosa cernitur. Ubi limites observantur inter partem sic maxime degeneratam et corpus ossis, quod figuram naturalem servavit, substantia ossea quam maxime est extenuata, imo partim fissura a se invicem partes sunt separatae.

d. e. Ulnae caput maxime tumefactum. In parte d. ubi substantia cellularis valde expansa est, detegitur foramen fistulosum. Processus olecranon, cujus substantia ossea magis tumefacta videtur ex emollitione corticis ossis, concretus est a latere interiore cum portione ossis humere b. In extremo lamella ossea e. noviter ab effuso callo producta, olecrani verticem cum osse humeri conjungit, utraque enim cum parte concreta videtur.

Radii caput etiam ab hac posteriore parte valde porosum cernitur.

Conf. Supel. Anat. Brugmansianae n°. dcciv et seq.. vol. iii. pag. 243.

Figura 3.

Extremum inferius ossium cubiti sinistri lateris, cum ossibus carpi et metacarpi, ejusdem hominis, ab interiore.

a. Caput inferius radii in hac superficie, ex emollitione et expansione lamellae externae ossis, superficiem inaequabilem, tuberculosam monstrat, atque cum ulna hac in parte concretum est.

b. Ulnae caput totum etiam ex simili degeneratione ampliatum, tuberculosum ac forma naturali plane orbatum.

c. Ossis lunati pars. Concretum hoc os est cum ulna et cum radio. Os naviculare, nec non os triquetrum carie perierunt.

d. Utrumque os multangulum, quorum majus cum ossibus metacarpi pollicis et digiti indicis concretum est.

e. Os cuneiforme, ut videtur concretum cum subrotundo osse, et cum ossibus metacarpi digiti annularis et auricularis. Inter hoc os et capitatum foramen praesens est, ex corrosis superficiebus horum ossium in naturali statu caeterum nexorum.

Figura 4.

Eadem ossa ab exteriore.

a. Radii caput, ab hac parte licet tumefactum tamen formam naturalem, et sulcos pro decursu tendinum melius servavit quam ab interiore latere; pars vero ulnae obversa magis intumuit, atque ab exteriore tuberculosam superficiem exhibet, ad majorem altitudinem quam ab interiore latere.

b. Ulnae caput, quamvis etiam tumefactum, tamen suam formam naturalem imprimis ab inferiore exhibet.

c. Ossa metacarpi pollicis et indicis inter se, et cum ossibus multangulis concreta.

d. Ossa cuneiforme, lunatum et capitatum inter se, et cum ossibus metacarpi concreta.

Ossa metacarpi ex emollitione et expansione etiam sunt deformia.

Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N°. DCCV. vol. III. pag. 243.

TABULA CLXI.

(*VOL. IV. TAB. XXXIV.*)

Figura 1.

Tibia juvenis 25 annorum, habitu corporis scrophulosi et cachectici, carie in parte media corporis fere penitus consumta.

a. b. c. d. Lamellae corticis ossis, quae necrosi affectae superficiem externam striatam, porosam, nigrescente colore tinctam offerunt, et vel magis, vel minus jam absorptione a subjacentibus partibus sunt separatae. Inter has cernitur substantia cellularis ossis, de qua externa lamella necrosi affecta jam est separata.

e. f. g. h. Lamellae superficiei externae ossis tenues, partim a subjacente parte cellulari separatae et porosae, partim tenuissima lamella callosa, pravae indolis, tectae.

i. Foramen ubi in anteriore et posteriore superficie omnis substantia ossea est deperdita; mox infra hanc destructionem ex consumtione totius anterioris parietis cavitas medullaris aperta cernitur, superstite parte cellulari parietis posterioris.

Supra et infra cariosam destructionem hujus ossis, superficies externa ossis leviter affecta et porosa apparet.

Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N°. DCCVI. vol. III. pag. 244 et seq.

Fi-

Figura 2.

Anchylosis ossium cubiti cum ossibus carpi et metacarpi post degenerationem, atque cariem horum ossium, ex causa scrophulosa enatam, sed feliciter sanatam. Extremum ossis radii imprimis tumefactum fuisse videtur, unde ipsius externa superficies, licet debitam soliditatem recuperaverit, adhuc vestigia monstrat praegressae degenerationis, qualem in tabula praecedente etiam observavimus.

Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N°. DCCXIII. vol. III. pag. 246.

TABULA CLXII.

(*VOL. IV. TAB. XXXV.*)

Figura 1.

Tibia dextri lateris juvenis, scrophuloso morbo affecti, a latere interiore.

a. Epiphysis superior tota separata est a corpore ossis, sed membranae ligamentosae ope anteriori parti tibiae adnectitur.

b. Pars interna corporis ossis necrosi affecta, atque a tabula externa orbata; hujus portionis superior pars, ut et ei respondens substantia interna epiphysis carie consumta sunt, adeo ut cavitas medullaris pro parte aperta sit.

c. d. Lamellae osseae partim a parte interiore b., necrosi affecta separatae, parumper revolutae et in marginibus indicia praebentes secreti noviter calli.

Latus internum ossis levissimis sulcis quasi striatum est, atque poros plurimos dilatatos offert.

Figura 2.

Eadem tibia a posteriore.

a. Epiphysis separata a corpore ossis, cujus externa pars magis carie consumta cernitur, quam interna. Lamella cartilaginea in utraque superficie articulari integra superest.

b. Pars interna corticis corporis ossis necrosi affecta, et a sua parte externa orbata.

c. d. Partes sive lamellae superficiei externae ossis, partim a subjacente parte mortua separatae.

Latus externum ossis cernitur non tantum ampliatum, sed etiam in media parte longitudinis excavatum, ubi a fibula degenerata fuit compressum.

Figura 3.

Fibula ejusdem juvenis a latere exteriore.

Tota dimidia superior pars in tumorem insignem, solidum, ovalem, maxime spinosum et hinc inaequabilem est expansa, dum de ipsius capitulo superiori nihil superest. Mox infra tumorem os tumefactum est, sed ab inferiore sanum videtur. Ad radicem tumoris in externa ossis superficie, multi pori atque sulci adsunt.

Conf. Supel. Anat. Brugmansianae n°. dccx et dccxi. vol. iii. pag. 245.

MORBI OSSIUM EX SCIRRHO ET CANCRO (1).

TABULA CLXIII.

(VOL. IV. TAB. XXXVI.)

Figura 1.

Cranium hominis adulti, qui ulcere carcinomatoso labii inferioris laboravit. Ex hoc ulcere maxilla inferior, nec non superior a latere dextro affectae, et partim consumtae sunt.

Maxillae superioris processus alveolaris, pro parte qua continebat dentes duos incisores, cuspidatum ac bicuspidatum primum ad altitudinem palati duri consumtus cernitur, dum margo ulceris ossis offert porosum adspectum. Ossis jugalis dextri tabula externa leviter est affecta et porosa. Maxilla inferior partim etiam est destructa, deficiente toto processu alveolari hujus lateris, cum parte recondente dentes incisores dextros. Ramus adscendens dexter maxillae inferioris ab exteriore totus innumeris foraminibus exiguis pertusus, ab interiore vero fere totus consumtus est usque ad tabulam externam, quae inferiora versus sensim sensimque extenuata est, usque dum tota deficit. Ramus horizontalis in parte mentali crassitiem satis notabilem servavit, inde sensim extenuatus in apicem acutum tandem desinit.

Om-

(1) Ad hoc caput pertinet Voluminis II. Tabulae XXIII. Figura 7.

Omnia ergo confirmare videntur ossa hoc morbo sensim in loco circumscripto emolliri, et absorptione dein tota consumi.

Conf. Supel. Anat. Brugmansianae N°. dccxv. vol. iii. pag. 246.

Figura 2.

Cranium viri adulti, cujus maxilla inferior partim ex affectione cancrosa labii inferioris destructa est.

Post evulsionem dentium incisorum maxillae superioris deleti observantur alveoli, et sequentium dentium, ab utroque latere, nonnisi fragmenta cariosa supersunt. Maxillae inferioris pars media tota quanta est destructa, major tamen portio deficit a latere sinistro, quam a dextro. Extrema utriusque partis maxillae sunt foliaceae quasi naturae, adeo ut consumtio progressiva facile observetur, dum circa extrema cariosa substantia ossea porosa observatur.

Conf. Supel. Anat. Brugmansianae N°. dccxvi. vol. iii. pag. 247.

MORBI OSSIUM EX CAUSA VENEREA (1).

TABULA CLXIV.

(VOL. IV. TAB. XXXVII.)

Figura 1.

Conceptaculi cerebri hominis adulti pars, quae ante foramen magnum ossis occipitis est, ab inferiore visa.

In palato cernitur foramen sat magnum, oblongum, adeo ut interiora narium usque ad lacunar conspiciantur. Ex lue venerea nimirum palatum pro majori parte consumtum est, superstite ejus margine posteriore. Intra capacitatem narium apparent pars ossis vomeris, atque pro parte os spongiosum dextrum.

a. b. Margo posterior basium ossium palati.

c. Vomeris capitellum ossis multiformis basi insidens; corpus hujus ossis, et ossa spongiosa inferiora pro parte etiam consumta sunt, adeo ut non nisi pars vomeris septo ossis cribriformis adhaerens supersit. Pone den-

(1) Ad hoc caput pertinent Vol. II. Tab. XIII. Fig. 1—5. XXI. XXII. Fig. 1. 4. 5. XXIV. XXV. XXVI. XXVII. Fig. 1—6. XXVIII. Fig. 1. et forte Tab. C. Fig. 8—13.

dentes incisores conspicitur foramen incisivum, magnitudine etiam auctum.

d. Superficies articularis pro condylo dextro maxillae inferioris, carie affecta.

Conf. Supel. Anat. Brugmansianae n°. dccxxiii. vol. iii. pag. 248.

Figura 2.

Similis pars conceptaculi cerebri, hominis adulti, cujus interiora oris carie venerea partim destructa sunt; ex dentibus non nisi dentes bicuspidati ab utroque latere, atque praeterea duo fragmenta radicum dentis molaris sinistri lateris supersunt.

a. Superstes lamella anterior processus alveolaris dentium incisorum, ac cuspidatorum, cujus superficies interna rugosa, ac cariosa se offert.

b. c. Pars major lamellae palatinae ossis maxillaris sinistri, quae ab anteriore, ubi pari suo adjungebatur, partim consumta, partim porosa et valde extenuata se offert, dum a posteriori ossi vomeri adhuc adhaeret. Margo posterior deficiente parte basis ossis palati oblique decurrit. Ab hoc latere palati situs non valde mutatus est, sed ejus superficies est scabra.

d. Lamellae palatinae ossis maxillaris dextri pars interna, consumta parte tota, quae ad cavitatem oris pertinet. Superficies quae hic se offert valde est porosa, carie affecta, et concava; in hoc latere itaque lamella palatina a parte oris, in opposito vero latere a parte narium erosa est. Ab hoc latere non tantum a posteriore parte deficit basis ossis palati, sed etiam pars lamellae palatinae ossis maxillaris.

e. Os vomer a carie non affectum.

f. Margo posterior ossis maxillaris dextri. Destructo pariete exteriore, antrum Highmori hic apertum cernitur.

g. Lamella externa sive major processus pterygoidei dextri ossis multiformis, crassitie aucta; lamella interna hujus processus et totum os palati hujus lateris carie perierunt, adeo ut spatium adsit inter hunc processum et marginem posteriorem ossis maxillaris.

Conf. Supel. Anat. Brugmansianae n°. dccxxiv. vol. iii. pag. 248.

Figura 3.

Conceptaculi cerebri et faciei pars, hominis adulti, cujus palatum osseum, processus alveolaris inter dentes bicuspidatos posteriores, atque ossa narium internarum ex carie venerea penitus destructa fuerunt; caries vero diu ante mortem sanata est.

a. Ossium nasi, nec non processuum nasalium ossium maxillarium partes su-

superstites, inter se concretae, atque perpendiculariter positae. Ab utroque latere os unguis partim destructum, ac perforatum est, adeo ut uterque canalis nasalis deficiat.

b. Margo inferior aperturae nasi, destructis toto palato atque vomere; in hoc margine etiam fissura cernitur, ubi duo ossa maxillaria nectebantur; Processus alveolaris totus quantus inter dentes bicuspidatos posteriores est erosus. Margines totius ulceris sunt rotundati et satis crassi.

Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N. DCCXXVIII. vol. III. pag. 249.

Figura 4.

Conceptaculi cerebri et faciei pars, hominis adulti, cujus palatum osseum, atque nares internae lue venerea exesae sunt, et qui sanationem diu supervixisse videtur. Ossa nasi solito magis perpendicularem habent situm; apertura anterior narium est rotunda ex crassitie aucta parietum internorum ossium maxillarium superiorum, et ex peculiari lamella ossea descendente ex interiore parte marginis inferioris ossium nasi.

Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N°. DCCXXXI. vol. III. pag. 250.

TABULA CLXV.

(VOL. IV. TAB. XXXVIII.)

Figura 1.

Cranium hominis adulti, cujus nares internae cum majori parte tabulae externae ossis frontis carie venerea destructae sunt.

a. b. c. Pars media ossis frontis tabula externa destituta, superficiem inaequabilem monstrans, ex superstite tabula interna cum portionibus nonnullis diploës.

Margines sunt rotundati, satis aequabiles, atque sanationis initium monstrant.

d. e. Duae portiones superstites de tabula externa, valde porosae et necrosi affectae.

f. Paries posterior sinuum frontalium. Deletis tabula externa et sepimentis, hi sinus toti quanti hiant. Introrsum cernuntur duae fissurae oblongae, ubi lamina cribrosa ossis cribriformis valde extenuata partim est fissa.

g. Pars, quae superest, processus nasalis ossis maxillaris superioris dextri, tenuiore parte adhuc cohaerens cum lamella interna supercilii. Totum os un-

unguis et major pars ossis plani perierunt, adeo ut hic apertura sat magna adsit.

h. Margo superior verticis ossis maxillaris sinistri, qui antea nectebatur cum osse unguis et osse plano, ab hoc latere etiam destructis.

i. Pars basis processus nasalis ossis maxillaris sinistri. Margo aperturae narium inter i. et k. erosione etiam naturalem formam hoc in latere amisit.

k. Pars, quae superest, processus alveolaris dentium incisorum sinistri lateris. Dentes incisores dextri carie ad collum usque sunt consumti.

Destructis parietibus nasalibus ossium maxillarium, atque omnibus ossibus, quae ad nares internas pertinent sinus maxillares etiam hiant, atque separatas cavitates non demonstrant. In fundo cernuntur aperturae, quae cellulae sunt sinuum sphaenoidalium. Infra has extrorsum utroque in latere cernitur foramen, quo hiat canalis Vidianus.

Conf. Supel. Anat. Brugmansianae n°. dccxxv. vol. iii. pag. 248.

Figura 2.

Cranium hominis adulti, in osse frontis, et osse jugali dextro carie venerea erosum. In hoc cranio egregie manifestum est quomodo ossa ex hoc morbo sensim consumuntur. In utraque parte ossis frontis, quibus musculi frontales incubuerunt tabula externa ossis in toto ambitu ulceris cernitur porosa, sed ulcus est circumscriptum, et circumdans pars omnino sana videtur. Versus centrum vero ulceris tabula externa magis est consumta, et in medio, ubi procul dubio ulceratio ortum sumsit, haec tota quanta est deleta, adeo ut sola tabula interna, cum nonnullis cellulis diploës appareat; imprimis haec omnia observantur a latere sinistro. Utriusque supercilii externa lamella partim etiam est erosa; margines in ambitu sunt acuti, et cum sinus frontales in hoc cranio valde sunt evoluti, in his partibus plures sinuum cellulae hiant. Glabella simili ratione est affecta, lamella externa est extenuata, porosa, in medio tota erosa, unde et hac in parte sinus frontales hiant. Ulceratio ossis jugalis dextri videtur in ultima periodo morbi, margines sunt magis rotundati, et superficies cariosa ossis granulosa deprehenditur. Palatum osseum leviter est affectum, os vomer destructum, et basis ossis multiformis parum erosum, unde sinus sphaenoidalis dexter hiat foramine ovali, cujus margines sunt levigati.

Conf. Supel. Anat. Brugmansianae n°. dccxxxvii. vol. iii. pag. 251.

TABULA CLXVI.

(*VOL. IV. TAB. XXXIX.*)

Figura 1.

Cranium hominis adulti, cujus os frontis hic cernitur pro majori parte carie venerea erosum. In hoc vero specimine morbus majores fecit progressus, quam in praecedentibus, non solum enim tabula externa ossis est porosa, exesa, tota consumta, sed diploë in bene multis locis est deperdita, imo tabula interna tota quanta in nonnullis partibus est deleta. Ubi utraque ossis tabula deficit in marginibus ulceris apparet, substantiam cellularem intermediam magis esse destructam ipsis tabulis, quae valde porosae sunt. In glabella etiam tabula externa est affecta, atque hac deficiente in parva parte, hiat sinus frontalis. Ossium nasi partes inferiores carie perierunt; horum et processuum nasalium margines sunt rotundati et incrassati, totum septum narium, nec non ossa spongiosa superiora et inferiora carie consumta sunt.

Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N°. DCCXL. vol. III. pag. 252.

Figura 2.

Cranium hominis adulti ex eadem causa insigni necrosi in fronte, et vertice affectum. Tota ossis substantia in hoc admodum amplo ulcere mortua est; externa tabula ubique videtur pro majori parte consumta, hinc superficies externa spongiosum offert adspectum, duobus parvis locis, in medio circa marginem inferiorem, exceptis, ubi externa tabula, vix laesa superest. In parte supra orbitali margines plus minus sunt rotundati, atque sinus frontales, qui in hoc cranio amplissimi sunt, juxta totum hunc marginem hiant, et ab interiore sani apparent. In toto reliquo ambitu ulceris margines ossis vivi sunt acutissimi, atque plurimis in locis pars quaedam inter vivum et mortuum os consumta est. In vertice ubi antea adfuit fontanella tabula interna paulo minus necrosi videtur affecta, quam tabula externa et diploë.

Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N°. DCCXLI. vol. III. pag. 252.

TABULA CLXVII.

(VOL. IV. TAB. XL.)

Figura 1.

Cranium hominis adulti, in tota superficie, quae musculo Epicranio tegitur carie venerea affectum. In osse frontis major portio tabulae externae, et diploës deperdita est, atque in media parte etiam tabula interna est perforata. Tuberculosa itaque cernitur in osse frontis superficies, quum diversis in locis parvae portiones tabulae externae supersunt, dum caeterum omnis substantia ossea usque ad tabulam internam consumta est. Licet margines fere ubique sint rotundati, tamen in multis locis diploes inter lamellam externam internamque magis ipsis illis tabulis est destructa. Ubique in fundo ulceris granulatio cernitur, quae cicatrisationem ossis indicat. Utriusque supercilii partes exteriores deficiunt, unde his in partibus hiant sinus frontales. In ossibus verticis, et majore parte ossis occipitis superficies externa est inaequabilis, a carie feliciter sanata in sola tabula externa.

Conf. Supel. Anat. Brugmansianae n°. dccxlvi. vol. iii. pag. 253.

Figura 2.

Cranium hominis adulti, cujus omnia ossa camerae cerebri ex lue venerea vel penitus, vel pro majori parte consumta sunt. Ossis verticis dextri lateris pars major penitus exfoliatione deperdita est; foramen insigne hinc productum sola dura matre clauditur; in ambitu hujus foraminis superstes lamina interna indicia offert sanati ulceris ossis. Ossis frontis lamella externa cum diploë etiam exfoliatione separata cernitur, et ipsa interna lamella, in plurimis locis tenuissima, in aliis tota quanta periit, et inde producta foramina etiam dura matre clauduntur. Maxillae inferioris ramus horizontalis dexter, ex antea praesente carie, usque ad internam superficiem erosus cernitur; quae superest pars omnia indicia offert etiam hanc cariem fuisse sanatam.

a. b. c. d. Margo acutus superstitis tabulae externae ossis frontis. Non tantum in spatio his litteris circumscripto deficit externa tabula, sed omnis etiam cellularis substantia, imo in marginibus haec magis quam externa tabula erosa est; tenuissima lamina interna, nonnullis in locis etiam perforata superest.

e. f. g. h. i. k. Circumferentia ulceris in tabula externa ossis verticis, quae ubique superficiem laevigatam offert.

l. Foramen insigne dura matre clausum, ubi omnis substantia ossis penitus est deperdita. In margine partis squamosae et mammillaris g. et h. ossis temporis nonnulla adhuc cernuntur fragmenta tabulae internae, quae durae matri insularum instar adhaerent. Pars tabulae internae, quae inter foramen et marginem tabulae externae e. f. h. et i. superest, sanatam superficiem monstrat.

m. Paries posterior rami horizontalis maxillae inferioris superficiem etiam sanatam, post destructionem fere omnis substantiae osseae offerens. Dentium cuspidati et bicuspidati primi radices nudae cernuntur, adhaerentes parieti posteriori maxillae; reliquorum alveolorum hujus lateris nequidem vestigia supersunt.

Conf. Supel. Anat. BONNIANAE N°. DCXII. vol. III. pag. 386.

TABULA CLXVIII.

(VOL. IV. TAB. XLI).

Figura 1.

Conceptaculi cerebri pars superior, hominis adulti, qui diu lue venerea laboravit. In vertice periit insignis portio totius substantiae osseae, adeo ut foramen sat magnum supersit, dura matre, in qua sinus longitudinalis transparet, clausum. In toto ambitu foraminis margo osseus crassus, valde rotundatus, et tuberosus cernitur, qui omnia indicia offert eum productum fuisse a callo secreto e marginibus foraminis, unde aperturae magnitudo valde imminuta est.

Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N°. DCCLI. vol. III. pag. 254.

Figura 2.

Cranium vetulae, quae media aetate stupenda carie totius superioris partis cranii laboravit, ab eaque feliciter sanata est.

Quamvis haec caries minime ex causa venerea esset provocata, sed, auctore A. VAN SOLINGEN, suppressioni mensium adscribi debuerit, tamen hoc cranium hic delineare non incongruum duxi, ut constaret, ossa cranii carie erosa, post sanationem, licet causa morbi valde sit diversa, eundem adspectum offerre.

Foemina haec ex sanis parentibus nata, robusta, aetatis anno duo de vicesimo viro nupsit militari, sano, et gravida facta filiam peperit, quae brevi defuncta est. Tribus cum dimidio annis post initum matrimonium praeterlapsis obiit maritus; per sex annos vidua vixit, tumque alteri viro nupsit, vegeta sanitate fruenti. Proles nunc edidit tres, quarum prima puella sana supervixit; obierunt duae

duae aliae, juvenes, quarum posteriorem tempore, quo morbo describendo laboravit, utero gessit, et in lucem editam lactavit.

Mulier haec absolutis septem vitae lustris, dum sub dio solani esculenti tuberibus legendis occuparetur, vehementis doloris insultum per totum dextrum brachium a scapula ad cubitum se diffundentis percepit; postquam doloris vehementia maxime increverat, hi dolores a medico et chirurgo ex arthriticorum genere habebantur. Sequentis anni mense quarto mensium fluxus, qui instabat, non apparuit, atroci dolore erypsipelas nucham, regiones post aures, et universam faciem misere infestavit, sicut ad immanem molem caput increverit; apparentibus una cum colore subnigro hic illic pustulis, et perseverantibus simul molestis brachii affectionibus, quamvis minori cum vehementia. Disparuit post aliquot dies erysipelas, sed menses non apparuerunt, et brachii dolores eadem perstiterunt vehementia. Sequente mense, subpressis adhuc menstruis, eadem loca denuo occupavit erysipelas, iisdem cum symptomatibus, et per idem temporis intervallum perdurans, quale phaenomenon per quinque menses continuo reversum est, quo tempore praeterlapso subpressus mensium fluxus rediit, et per tres menses debito se manifestavit tempore, nullo tum apparente erysipelate, et utero cum concepisset nullum per omne graviditatis intervallum apparuit erysipelas. Postquam erysipelas prima vice fugatum esset, et brachii dolores vehementer increverant, ex improviso sub brachii usu, os humeri cum strepitu frangebatur in medio. Quarto die, post debitam deligationem, ex dolorum vehementia saepius in lipothymias incidit, atque remotis ferulis, praeter parvas pustulas et ulcuscula, ulcus insigne, materiem serosam fundens in brachio observabatur. Dein imminuti aliquomodo sunt dolores, et postquam in quiete aliquamdiu servaverat brachium, os fractum coalitum percepit, et omnem brachium movendi facultatem recuperavit. Anno praeterlapso inter pariendum, dum affecto brachio sedili innitebatur, et validos edebat nixus, denuo fractum est os humeri. Nullam fracto huic ossi curam adhiberi permisit, adeo ut separatae extremitates nequaquam ad se invicem accesserint, sed speudo-articulationem formaverint. Tempore quo erysipelas primo prodiit, tumor satis insignis cutaneus se manifestavit ad partem colli inferiorem, et sterni superiorem, qui aliquomodo erat durus, neque admodum dolorificus; quatuor post hebdomades, mensium tempore, quorum loco iterum apparebat erysipelas, tumor ille sponte apertus est, materiem effundens tenuem, albicantem, inodoram, qua effusa, quarto die tumor sponte clausus est. Tumor hic aperiebatur, similem materiem fundebat, iterumque claudebatur quolibet mense tempore menstruorum, eorumque vices supplebat, donec tandem post quatuor menses, utero cum concepisset, perfecta cicatrice claudebatur, et semper clausus mansit.

Mox sub initium graviditatis alter tumor frontem infestavit, ab omni parte prio-

priori similis, et absque multo aegrae incommodo per sex menses immotus persistit, donec tandem incisione aperiebatur, et materiem tenuem, albicantem, inodoram fundebat, dum ulcus inde enatum tandem sanabatur. Quarta post partum hebdomade inter sternutandum hoc ulcus rursus disruptum est, priori similem materiem effundens, nec unquam postea rursus occlusum est, ac dirae cephalalgiae hoc phaenomenon exceperunt. Brevi post infestaverunt totam cranii superficiem varia ulcuscula cariosa, quae severis torminibus aegram vexabant, fundentia materiem purulentam, putridam cum foetore intolerabili, febre hectica stipatam. Hoc tempore ad mediam claviculam tumor ejusdem magnitudinis atque indolis, ac priores apparuit, qui post mensis spatium, nocte sponte disrumpebatur, effluente rursus materie albicante et tenui. Clavicula periosteo suo erat orbata, et carie infecta, atque separatis tribus fragmentis osseis ulcus claudebatur.

Praeter memorata in vertice cranii ulcuscula, in medio ossis verticis sinistri ulcus aderat, magnitudinis volae manus, deërat periosteum sub hoc ulcere, ossisque superficies carie infecta erat; aderat effluxus materiae tenuis, ichorosae, odoris intolerabilis, et sinus sub integumentis se ad ulcus ossis frontis extendens; toto hoc sinu aperto, os periosteo orbatum atque cariosum inveniebatur, sic ut caries haec se a medio ossis verticis sinistri fere ad inferiorem sinistram frontis, et hinc ad mediam ejus partem, quo loco primus tumor fuerat, extenderet. Post sex menses tota haec ossis denudati pars, ad magnitudinem plus quam quatuor pollicum rhenolandicorum, a vicinis soluta, separataque fuit.

Praeterlapsis tribus mensibus, tres tumores insignes, quorum unus medium brachium dextrum, alter superiorem partem dextri temporis, tertius tandem os occipitis occupabat, prodierunt, quibus lanceolae ope apertis, similis, foetoris intolerabilis, sanies effluebat, omnesque subjectae partes osseae, periosteo denudatae, et carie infectae repertae sunt, solummodo excepto loco, quem tumor ossis temporis occupaverat. Interim media ossis frontis pars etiam carie erat affecta, qua propter Chirurgus omnem cavitatem ad medium os verticis dextrum aperuit, cutem undique resecuit, et totam hanc plagam in ulcus apertum mutavit. Aegra hoc tempore, si solas exceperis cephalalgias, recte valuit, et domestici operis curam absque magno incommodo habuit. Post intervallum octodecim mensium, pars ossea a medio osse verticis usque ad mediam et inferiorem partem ossis frontis, longitudinis novem pollicum rhenolandicorum, a vicinis una cum parvis fragmentis osseis a lateribus separabatur. Apertus itaque erat ab hac parte sinus frontalis, et maxima pars musculi Temporalis destructa fuit; sex quoque hebdomadibus ante hanc osseam separationem pars insignior arteriae temporalis, absque notabili haemorrhagia, et duo fragmenta ex ulcere in occipite separata fuerant. Dein aegra perfectam recuperavit sanitatem, et menses post suppressionem quatuor annorum redierunt, perfecte et debito tem-

tempore fluebant; sed quo tempore hi instabant tumebant nucha et facies tumore, ad sensum quidem leucophlegmatico, punctorio tamen cum pruritus sensu, calore, et colore, in rubedinem erysipelatosam vergente, stipato, accedentibus cephalalgiis gravioribus, quae una cum tumore per quatuor quinqueve dies plerumque perdurabant, statim vero, ac menses fluxerunt, evanescebant (1).

Si cranium consideramus patet in osse frontis, praeter foramina, quibus sinus frontales hiant, supra sinum dextrum adesse foramen fere quadrangulare, dum interna ossis tabula tenuissima in ambitu foraminis quasi evanescit. In parte sinistra hujus ossis externa tabula supermansit, ejusque margines admodum tuberculati, crassi, toti quanti rotundati sunt. Prope suturam coronalem partim quidem externa tabula superest, sed valde porosa. Ossis verticis sinistri tota pars supra musculi Temporalis ortum, deperdita tabula externa, inaequabilis atque porosa est, dum circa suturam lambdiformem, quae de tabula externa superest portio, limbo crasso, rotundato circumdatur. Ossis verticis dextri media pars tota desideratur, adeo ut hic foramen adsit, longitudinis trium poll. rhen., et latitudinis duorum cum dimidio poll. Adest aliud foramen ovale, longitudinis unius poll., septem lin., et latitudinis unius poll., ubi sutura sagittalis cum lambdiformi conjungebatur, dum in toto ambitu utriusque foraminis, sola tabula interna superest, superficiem admodum inaequabilem monstrans.

Conf. Supel. Anat. Bonnianae n°. dcxlvi. vol. iii. pag. 392.

TABULA CLXIX.

(VOL. IV. TAB. XLII.)

Figura 1.

Os verticis dextri lateris, ex homine adulto, ab exteriore in vertice visum, cujus crassities valde est aucta, imprimis in parte dimidia posteriore. Diploës crassities solito major est; superficies externa ubique est rugosa, in vertice vero valde porosa, quod ex figura melius adhuc apparet, quam verbis describi valet.

Figura 2.

Idem os verticis a superficie interna exhibitum. De crassitie aucta ex hac figura melius quam ex praecedente judicium ferre possumus, imprimis in vertice et

(1) Conf. A. van Solingen *de Stupenda imprimis cranii carie, per naturam et artem feliciter sanata.* Traject. ad Rhen. 1780. in 8vo. c. fig.

et posteriore parte; etiam manifeste cernitur inter impressiones arteriarum durae matris tabulam internam solito magis prominere. Denticuli suturarum in hac et praecedenti figura etiam apparent incrassati et solito magis obtusi.

Conf. Supel. Anat. BONNIANAE N°. DCXIV. vol. III. pag. 386.

Figura 3.

Hac, ut et sequentibus figuris hujus tabulae, nec non duabus sequentibus tabulis exhibentur degenerationes, quas ossa, imprimis longa, cylindracea ex lue venerea subeunt. Hae degenerationes facilius oculis distinguuntur ab iis, quae aliis morbis producuntur, quam verbis describuntur.

Radius dextri lateris ab interiore, ex homine adulto. In media fere corporis parte, os cernitur parum tumefactum, sed longe alia ratione quam intumescere solet os, praesente necrosi. In hac nimirum degeneratione substantia admodum est rara, porosa, partim in spinas, partim in squamulas degenerata, dum ubique manifesta sunt indicia consumtionis ossis, et contra aliis in locis species vegetationis osseae rursus observantur. Pars ossis affecta est circumscripta, et caeterum os sanissimum.

Figura 4.

Idem os a parte exteriore. Ab hac parte foramina paulo majora in extenuata et tumefacta ossis substantia observantur, dum ab inferiore ita dictae vegetationis osseae primordia observantur.

Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N°. DCCLXIX. vol. III. pag. 256.

Figura 5 et 6.

Ulna dextri lateris ab anteriore et posteriore, ejusdem hominis. Juxta totam longitudinem fere tumefactum cernitur hoc os, extrema et superficies articulares tantum sanae supersunt. Omnia quae in radio observantur, hic non tantum manifesta sunt, sed magis sunt perspicua, quum morbus in hoc osse jam videtur majores fecisse progressus. Ab una parte ex deperditione osseae substantiae foramina plura et majora observantur, quae introrsum fistulosum decursum monstrant, et primo adspectu cum cloäcis, in ossibus necrosi affectis, convenire videntur, sed re bene perspecta ab iis multum differunt; ab altera parte, imprimis in superficie posteriore, et maxime circa extremum inferius, vegetatio major substantiae osseae observatur, unde squamulae vel lamellae, novae secretionis osseae producta, superficiem tegentes, sed a cariosa parte separatae conspiciuntur.

Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N°. DCCLXX. vol. III. pag. 256.

TABULA CLXX.

(*VOL. IV. TAB. XLIII.*)

Figura 1.

Ejusdem hominis, cujus radium et ulnam praecedens tabula exhibet, ossis femoris sinistri lateris pars major, ab exteriore exhibita. Ab hac parte in corpore ossis similis, quam in praecedentibus figuris cernitur degeneratio. Intumuit externa ossis superficies, quae porosa et cariosa se offert; sed vegetatio ex substantia ossea longe major observatur, unde squamulae inter cariosa foramina sunt productae, et ab anteriore superficie descendit squama insignis, tota remota a superficie reliqua ossis.

Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N°. DCCLXXII. vol. III. pag. 256.

Figura 2.

Ossis humeri dextri lateris extremum inferius ab interiore visum, ex homine adulto juniori, dum epiphyses inferiores radii et ulnae adhuc secesserunt. Superficies articularis recipiens radium et ulnam tota quanta lamella cartilaginea orbata, inaequalem, ac porosam monstrat superficiem; supra hanc articulationem, ubi caeterum in utraque pagina ossis sinus, admittens processum olecranon ulnae, et coronoideum radii, invenitnr, os totum est perforatum; margo hujus foraminis est satis crassus et aequabilis. Quousque purulenta materies cum ossis substantia in contactu venerit facile apparet; in ambitu vero, et ad ipsos condylos cernitur vegetatio illa pecularis ossea, quae hoc in morbo saepius observatur, et ex qua spinulis, tuberculis vel squamulis externa ossis superficies obtegitur.

Figura 3.

Ulnae ejusdem lateris pars superior, ex eodem homine, ab interiore delineata. Totus processus olecranon necrosi est affectus, et crena separationis jam manifeste cernitur. In parte affecta insignis apparet amplificatio substantiae osseae, et in ambitu eadem degeneratio observatur, quam in osse humeri notavimus.

Figura 4.

Radii ejusdem lateris, ejusdemque hominis, pars superior. Superficies articularis et in vertice, et in ambitu lamella cartilaginea orbata, maxime porosa est,

est; infra hanc partem spinulis rotundatis obsessum est collum hujus ossis, imprimis in facie anteriori.

Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N°. DCCXC—DCCXCII. vol. III. pag. 258.

TABULA CLXXI.

(VOL. IV. TAB. XLIV).

Exhibet haec tabula Tibiam ac Fibulam sinistri lateris, hominis adulti, inter se atque cum talo et calcaneo non tantum anchylosi junctas, sed mirum in modum degeneratas, quum fibula et inferior tibiae pars summam vegetationem osseam ostendunt, adeo ut non tantum margines acutiores, qui latera fibulae distinguere solent, hic in cristas spinosissimas sint elevati, sed integrae lamellae, imo et canales musculos diversos includentes, productae observentur.

Figura 1.

Demonstrat haec figura ossa memorata ab exteriore latere.

Tibiae superficies externa verrucis osseis quasi est obsessa, ipsiusque inferior pars tumefacta, atque valde porosa. In articulo cum talo hujus ossis pars carie consumta est, et omnis superficies articularis utriusque ossis in hoc articulo est destructa. Fibulae latitudo insigniter est aucta, praesente lamella ossea, quae ex fibula et tibia juxta ligamentum interosseum se extendit, utrumque os conjungit. Externa fibulae superficies, cui musculus Peroneus longus adjungitur, sulci speciem offert, elevatis maxime marginibus, imo circa mediam partem canalis integri speciem monstrat. Extremum malleolum externum formans, maxime ampliatum, concretum est cum talo, et cum calcaneo, atque supra hanc concretionem lamellam, digitatam quasi, emittit, quae partim ante musculos partis anterioris cruris se dimittebat, adeo ut materies ossea hic sit effusa juxta diversas aponeuroses, vel membranas fibrosas. Calcanei superficies lateralis externa spinulis osseis tota quanta etiam est rugosa.

a. b. Lamina ossea spinulis, tuberculis, squamulisque obsessa inter fibulam atque tibiam, juxta ligamentum interosseum excreta, utrique ossi adnexa.

c. d. Margo simili ratione asper, ex superficie externa fibulae elevatus.

e. Similis margo ex posteriore magis parte fibulae excretus. His marginibus maxime prominentibus sulcus insignis productus fuit, qui continebat musculum Peroneum longum, atque lamella transversa f. in canalem integrum mutatus est.

g. h. i. Lamellae tenues osseae digitatae, quae ante musculos cruris procedebant.

k. Malleolus externus cum tibia, talo et calcaneo anchylosi nexus.

l. Externa superficies ossis tali.

m. Eadem pars ossis calcanei.

n. Tuber calcanei, spinulis squamulisque totum inaequabile.

o. Lamina ossea conjungens tibiam cum calcaneo.

Figura 2.

Eadem ossa a posteriore exhibita. Latitudo fibulae hic apparet maxime aucta; spinis, squamulisque ejus superficies tota est inaequalis et asperrima. Inferior tibiae pars etiam valde affecta est, et quamvis ex nova producta substantia ossea tota sit valde inaequabilis, sinuosa, porosa et aspera, tamen, imprimis ad partem, ex qua margo inferior musculi Solei originem trahit, spinae longissimae observantur. Calcanei tuber lamina ossea conjunctum est cum valde ampliata parte fibulae.

a. Calcanei tuber.

b. Lamina ossea conjungens pontis instar calcaneum cum fibula.

c. Lamina ossea calcaneum cum talo conjungens.

Conf. Supel. Anat. Brugmansianae N°. dccxxix. vol. iii. pag. 261.

MORBI OSSIUM E LABE SCORBUTICA.

TABULA CLXXII.

(VOL. IV. TAB. XLV.)

Cranium hominis adulti cum maxilla inferiore, qui ex morbo scorbutico gravi necrosi partium anteriorum ossium maxillarium superiorum, ossium nasi, atque narium internarum extinctus fuit.

Figura 1.

In cranio ab anteriore considerato, cernitur separatio mortuarum ossium partium a partibus vicinis osseis non affectis. Ossa mortua valde porosa, sola inspectione facile ab ossibus vivis distinguuntur, sed praeterea a sanis separantur fis-

fissura satis ampla, in utroque latere adscendente a margine alveolari secundi dentis bicuspidati per antrum Highmorianum et orbitam, usque ad conjunctionem processus nasalis cum osse frontis; in sinistro latere haec fissura transit inter os unguis et os planum; in dextro vero latere juxta marginem posteriorem canalis nasalis. Ossium nasi non nisi partes, cum osse frontis nexae, vivae supersunt; reliquae vero partes horum ossium mortuae jam exfoliatione deperditae videntur. Perierunt dentes incisores, cuspidati, et bicuspidati primi, eorumque alveoli partim deleti, partim superstites observantur. Intra narium capacitatem supersunt os cribriforme, et spongiosum inferius dextrum. Vomer atque spongiosum os sinistrum perierunt.

Figura 2.

Transitus fissurae inter vivas mortuasque partes a latere sinistro hic delineatur.

Figura 3.

In hac inferiore cranii parte ob oculos ponitur, utriusque palati ossis partem, basin dictam a. a. superstitem esse. Fissura vero in basi ossis sinistri adest, quae continuatur inter hanc et sequentem partem b. lamellae palatinae ossis maxillaris. In dextro latere lamella palatina ossis maxillaris pro parte exesa cernitur. Vomeris capitellum c., sphenoideo ossi adhaerens, superest, deleta tota anteriore hujus ossis parte.

Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N°. DCCCLVI. vol. III. pag. 267.

MORBI OSSIUM A MORBO RHACHITICO, VEL AFFINIBUS MORBIS (1).

TABULA CLXXIII.

(VOL. IV. TAB. XLVI.)

Figura 1.

Sceletus naturalis foetus, qui rhachitide congenita laboravit. Caput hydrocephalo af-

(1) Ad hoc caput pertinet Voluminis II. Tabulae I—V.

affectum plura memoratu digna offert, quae hoc in situ neque delineari, neque describi potuerunt, quare illud peculiari delineatione, inter crania hydrocephalo affecta, dignum judicavi, atque invenitur Tabula CXCII. Figura 2. et 3. (sive hujus voluminis Tab. 65. fig. 2. et 3.).

Praeter ossa columnae vertebralis, quae reliquis omnibus minus affecta sunt, ossa pleraque trunci atque artuum valde sunt emollita, adeo ut cultro vix resisterent, et a periosteo ea propter penitus denudari non potuerint, facileque in omnem sensum, absque crepitatione flecti possint. Costae lateris sinistri in media parte longitudinis nodosae sunt; in aliis illi nodi sunt simplices, in aliis plures adsunt, et a fracturis sanatis enati videntur. A latere dextro costae nonnullae superiores et mediae quodammodo intropressae sunt, et in superioribus etiam nodi observantur. Sternum nihil peculiare offert, inferius ossiculum in duplicem cartilaginem mucronatam desinit. In pelvi margo innominatus quodammodo a forma naturali recedit, quum ischii ossa solito proprius ad se invicem accedunt, quamvis eorum tubera debito modo a se invicem distent, adeo ut apertura superior pelvis ad triangularem formam accedat. Hac ex causa acetabula jam magis in anteriore, quam laterali superficie pelvis sita sunt. Femoris ossa in media parte incurvata, imo dextrum ad angulum fere rectum inflexum est, sunt praeterea nodosa, aeque ac si fuissent fracta rursusque conferruminata. Ex curvatura horum ossium, et forte etiam ex mutato situ acetabulorum, nec non horizontali situ colli utriusque femoris, capita femorum aliam, quam naturalem habent directionem, et trochanteres majores solito magis ad ilia ossa accedunt. Crurum ossa etiam singulari modo incurvata, vix permittunt ut plantae pedum in situm naturalem reduci valeant. In artubus superioribus claviculae nodosae et incurvatae sunt, scapularum forma, imprimis in sinistro latere, periit, ad costarum prominentiam nimirum sunt incurvatae, et inaequabilem offerunt superficiem; ossa humeri valde tumefacta, formam naturalem amiserunt; cubiti ossa, imprimis circa extrema inferiora, tument, et parum sunt incurvata; manuum et pedum ossa non videntur affecta.

Conf. Supel. Anat. BONNIANAE N°. CCCXV. vol. III. pag. 353.

Figura 2 et 3.

Quatuor vertebrae superiores dorsales, cum totidem costis dextri lateris inter se concretis, anchylosi junctae, et parvam curvaturam formantes, a latere dextro et ab anteriore delineatae. Peculiaris hic procul dubio lusus naturae in osteogenesi horum ossium locum habuit. Si enim hoc praeparatum ab anteriore examinetur, nullum superest dubium, quin ex quatuor vertebris constet, dum a latere sinistro tres numerantur processus transversi, et a posteriore quinque ad-

adesse videntur processus spinosi. Processus spinosi supremae et quartae vertebrae omnino distincti sunt; intermedius autem tribus inter se concretis processubus videtur constare, quorum rursus superior et inferior in latere dextro, intermedius vero in latere sinistro magis evoluti videntur. Distincti, sed tamen anchylosi juncti sunt processus quatuor transversi a latere dextro; in opposito vero latere tantum tres numerantur, ex quibus tamen inferior crassior reliquis, duplicem monstrat superficiem articularem, adeo ut procul dubio cum duabus costis conjunctus fuerit. Costae quatuor non tantum cum corporibus et processubus transversis vertebrarum anchylosi junctae, sed praeterea juxta longitudinem inter se concretae sunt in formam scuti, adeo ut in partibus posterioribus ab exteriore, et ab interiore vestigia separationis tantum supersint; extremum anterius supremae costae integrum est, in reliquis pars anterior diffracta videtur.

Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N°. CMXCIII. vol. III. pag. 289.

TABULA CLXXIV.

(VOL. IV. TAB. XLVII.)

Truncus foeminae adultae, quae emollitione ossium laboravit. Columna vertebralis, in parte superiore dorsi parvam format curvaturam dextrorsum, reliquae vertebrae sinistrorsum parumper sunt conversae; hinc, dum thorax ab anteriore conspicitur, pelvis sinistrorsum versa magis latus dextrum, quam mediam ipsius partem offert. Manubrium sterni fere perpendiculariter situm est, medium os, ex quatuor partibus constans, antrorsum est incurvatum, inferiusque ipsius ossiculum cum osse tertio sterni rursus retrorsum directum invenitur. Costae omnes circa extrema anteriora singulari ratione incurvatae, primo introrsum, dein extrorsum, antequam in cartilagines transeunt, inflexae sunt, quin indicia fracturarum, antea praesentium exhibeant.

Generalis atque aequabilis ossium emollitio hic adfuisse videtur, adeo ut ossa neque vi musculorum, neque ponderi partium incumbentium resistere potuerint. Hinc etiam processus spinosus vertebrae quartae, quintae, sextae, septimae et octavae ex decubitu supino sunt compressi, et dictus processus vertebrae sextae fere totus evanuit. Forma thoracis ex his omnibus mutationibus valde est deformis, et ab interiore ex transverso valde angustata, dum, prominente media parte sterni, distantia inter hoc os et columnam vertebrarum est aucta. Claviculae valde, et singulari modo sunt incurvatae, imo dextra a parte sterni fracta olim fuisse videtur. Scapularum forma accommodata est superficiei externae costarum; in his fracturae observantur, et foramina membranis clausa; earum situs totus est mutatus, directis deorsum cavitatibus articularibus, unde humerorum motus etiam procul dubio valde limitatus fuit. Pelvis ossa tumefacta, di-

diversimode flexa sunt. Ilia perpendiculariter fere sunt sita, et in latere dextro mox ante unionem cum osse sacro ilium os incurvatum est. Rami horizontales ossium pubis sunt flexuosi; rami descendentes, singulari modo incurvati, fissuras, vel fracturas in ipsa curvatura demonstrant. Apertura superior pelvis minoris est triangularis formae; inferior apertura magis est angustata quam superior. Ex mutatis, quod ad decursum attinet, ramis horizontalibus et descendentibus ossium pubis, distantiae inter ossa pubis et acetabula sunt imminutae, et foramina ovalia valde elongata. Os sacrum ad angulum fere rectum est incurvatum.

Conf. Supel. Anat. Brugmansianae N°. dcccLxxiii. vol. iii. pag. 269.

TABULA CLXXV.

(VOL. IV. TAB. XLVIII.)

Ossa pelvis cum duabus inferioribus vertebris lumborum ligamentis nexa, hominis adulti, ex emollitione ossium, quantum ad formam pertinet, maxime mutata.

Figura 1.

Ex hac figura, pelvim ab anteriore exhibente, imprimis cernitur quomodo ex curvaturis ramorum horizontalium ossium pubis, acetabula tota quanta in anteriore facie pelvis sita inveniuntur, unde sequitur tali in casu ossium femorum positionem et motum, durante vita, singulari ratione mutari, ita ut saepe ex motu progressivo illorum hominum, jam a priore de hac deformitate concludere possemus. Corpora ossium pubis prominentiam ab anteriore constituunt, ab utroque latere compressam, ex curvatura introrsum utriusque rami horizontalis horum ossium. Rami descendentes media in parte ad se invicem accedentes, aperturam inferiorem pelvis in duas partes dividunt. Ossis sacri extremum cum coccyge junctum, introrsum tantopere incurvatum est, ut externa superficies illius curvaturae, in hoc situ pelvis conspiciatur.

Figura 2.

Haec figura, pelvim a superiore exhibens, totam mutatam formam pelvis minoris ob oculos ponit. Promontorium ossis sacri cum infima vertebra lumborum ultra modum intra aperturam superiorem pelvis prominet, dum anterior facies ossis sacri tantopere est excavata, ut scutum, sive dorsalis pars hujus ossis multum retrorsum tendat. Crura horizontalia ossium pubis introrsum maxime incurvata aperturam non tantum superiorem, sed totam capacitatem pelvis minoris valde imminuerunt, imo ei tribuerunt peculiarem illam formam huic morbo propriam, in-

inque causa fuerunt mutati situs acetabulorum. Processus acuti ischiorum ossium introrsum etiam multum prominent.

Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N°. DCCCLIX. vol. III. pag. 267 et seq.

TABULA CLXXVI.

(VOL. IV. TAB. XLIX.)

Pelvis foeminae adultae a latere sinistro mirum in modum deformis, cujus ossa sunt tenerrima, et admodum levia. Os sacrum in anteriore superficie a superiore solito magis complanatum, concretum est a latere dextro cum processu transverso infimae vertebrae lumborum, adeo ut ille processus, valde ampliatus, partem alae ossis sacri componat. A latere vero sinistro processus transversus dictae vertebrae solito modo ab osse sacro distat. Os innominatum dextrum, in genere quidem tenerum, naturalis est figurae, excepto ramo horizontali ossis pubis, nimis oblique sursum posito. Ossis femoris dextri caput luxatum fuit, unde acetabuli forma mutata est, ut hoc in plurimis luxationibus hujus ossis fieri solet. Talis autem adfuisse videtur luxatio, ut caput femoris impositum fuerit superficiei externae ossis ilii, mox pone ejus marginem anteriorem, ad altitudinem mediam inter duas spinas, ibi praesentes, quin tamen ibi superficies ossis sit mutata. Trochanter minor margini posteriori acetabuli impositus continuo motu, hunc acetabuli marginem in superficiem ovalem, complanatam, satis aequabilem, speciem pseudo-articulationis referentem mutavit. (Fig. 1. a.). Os innominatum sinistrum totum est deforme, sursumque quasi protrusum. Ilium os perpendicularem habet situm, et altero longe tenuius est, media in parte vestigia monstrans praesentis antea fissurae (Fig. 2. a.), ubi ab exteriore curvatura praecipua observatur, quales fissurae saepius in emollitione scapularum observantur. Os ischium totum est deforme, tuber vix evolutum est, ac praeterea introrsum incurvatum; ejus ramus adscendens tenuis admodum est; ramus horizontalis mox ante acetabulum complanatus (Fig. 1. b.), ac quodammodo juxta longitudinem sulcatus (Fig. 2. b.) cernitur. Acetabuli superficies semilunaris solito magis est complanata, ipsiusque margo magis rotundatus.

Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N°. CDXLIII. vol. III. pag. 216.

TABULA CLXXVII.

(VOL. IV. TAB. L.)

Figura 1. et 2.

Femoris os dextrum ejusdem foeminae, cujus pelvis praecedenti in tabula delineata est, ab anteriore et a latere interiore exhibitum. Solitae quidem hoc os est longitudinis, sed ab anteriore visum tenue apparet, dum a latere examinatum constat lineam asperam valde prominentem, et potius gracilem laminam referentem, crassitiem femoris ab hac parte adaugere. A luxatione capitis forma, imprimis ab anteriore parum mutata est, a posteriore vero suam convexitatem conservavit, sed in genere tenerum est. Trochanter minor superficiem offert complanatam, aequabilem, quodammodo porosam, quae forma convenit cum superficie ad marginem acetabuli posteriorem notata (Tabulae praecedentis Fig. 1. a.), juxta quam post luxationem movebatur. Majoris vero momenti est notare capitis et colli situm non esse naturalem, quod sola inspectione atque comparatione utriusque figurae mox in oculos incurrit. Non enim, ut in naturali statu, collum cum laterali interna superficie corporis ossis cohaeret, sed insertum est parti mediae inter superficiem anteriorem et lateralem internam, uti manifestum est, si attendamus ad superficiem anteriorem condylorum, articulationi genu inservientium (Fig. 1.), et ad lateralem superficiem condyli interni (Fig. 2.). Ex hoc situ capitis sequitur ergo, quod, juncto hoc osse acetabuli ope cum pelvi, patella ab interiore fuerit posita, et cruris motus extrorsum, non retrorsum locum habuerit (1).

Figura 3.

Os femoris sinistrum ejusdem foeminae, longe tenuius et brevius, cujus collum solito magis perpendiculariter adscendit, et hinc situm capitis magis supra trochanterem majorem eminentem, quam in statu naturali, produxit; collum vero justo loco ossi femoris adhaeret. Trochanter minor solito major est; condylorum inferiorum magnitudo solito minor observatur.

Fi-

(1) Cohaesionem colli ossis femoris cum anteriore superficie ossis, ex qua itaque adhuc major conversio articulationis genu in interiora producebatur, bis in cadavere observavi, et plus semel in vivis hominibus, conjunctam cum eo pedis vitio, quod vulgo *Varum* vocare solemus; unde si duplex hoc vitium congenitum eodem tempore locum habeat, ejusmodi hominum gressus admodum difficilis est, et perfecta sanatio omnino impeditur, etiamsi vitium pedis caeterum sanationem admitteret. Conf. E. C. A. Sandifort *Diss. sistentem Animadversiones de vitiis congenitis, et de fracturis articulationis coxae.* Lugd. Bat. 1834. 8vo.

Figura 4.

Tibia et fibula ejusdem lateris ex eadem foemina. Haec ossa admodum tenuia sunt, eorumque lineae asperae, superficies separantes, spinulis diversis obsessae sunt. Haec ossa, ut et femoris os, tenuitate satis probant, nunquam destinato usui inserviisse.

Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N°. CDXLIV—CDXLVII. vol. III. pag. 216 et seq.

CURVATURA SPINAE (1).

TABULA CLXXVIII.

(VOL. IV. TAB. LI.)

Figura 1.

Spina dorsi, vertebra suprema excepta, cum arteria aörta, foeminae adultae, quae singulari curvatura spinae, ad scoliosin accedente laboravit. Vertebrae nimirum lumborum, mox post unionem cum osse sacro, retrorsum sinistrorsumque inflectuntur, et fere horizontalem situm acquisiverunt, dum simul superiores hae vertebrae totae quantae sunt conversae, adeo ut corporum superficies anterior, licet in genere haec spina fere tota a latere sinistro conspiciatur, se offerat, et processus transversi sinistri fere in medio dorsi sint positi. Tres infimae vertebrae dorsales imprimis curvaturam majorem, ac antrorsum spinae produxerunt; earum nimirum corpora a latere dextro pro majori parte consumta, cunei figuram referunt, et praeterea juxta axin conversa sunt; unde tota superior spinae pars rursus, quamvis antrorsum inflexa, situm tantum non naturalem habet. Arteria aörta in situ suo relicta demonstrat eam omnem spinae curvaturam exacte sequi, ac tali in casu angulum plus minusve acutum formare. Ipsam circulationem in hoc individuo satis fuisse liberam statui posse videtur, quum arteriae lumen in hoc casu non, ut saepius in scoliosi obtinet, circa flexuram imminutum est.

Conf. Supel. Anat. BONNIANAE N°. DCXXIV. vol. III. pag. 388.

Fi-

(1) Ad hoc caput pertinet Voluminis II. Tabulae XXXVI—LXI.

Figura 2.

Pars superior spinae dorsi infantis recens nati, curvatura spinae dorsi congenita laborantis, a priore exhibita, atque constans undecim superioribus vertebris dorsi, atque vertebris cervicis, suprema excepta. Ex evolutione turbata corporum nonnullarum vertebrarum, haec singularis deformitas producta videtur. Epistrophei corpus solito paulo crassius videtur. Corpora duarum sequentium vertebrarum a latere dextro sunt separata, sed in opposito latere sunt concreta, et unicum processum transversum formant. Duarum sequentium vertebrarum corpora neque in forma, neque in situ mutata sunt. Corpus vertebrae infimae colli, cunei figuram referens, a sinistro latere tantummodo observatur, hinc corpus vertebrae pene infimae cum corpore vertebrae supremae dorsi a dextro conjungitur. Corpus vertebrae supremae, sive duodecimae dorsi oblique positum est, ejusque processus transversus dexter, parum deformis, cohaeret in extremo cum processu transverso sequentis vertebrae dorsi, dum processus transversus sinister juxta corpus vertebrae infimae colli situs est. Corpus vertebrae undecimae dorsi, cuneiformis figurae, a latere dextro conspicuum, ultra mediam lineam spinae se non extendit; hinc a latere sinistro corpus vertebrae duodecimae cum corpore vertebrae decimae cohaeret. Simili ratione corpus vertebrae decimae cum corpore vertebrae octavae a sinistro latere jungitur, quoniam corpus vertebrae nonae, etiam cunei figuram habens, a dextro tantum latere spinae se manifestat. In nonnullis corporibus sequentium vertebrarum duo separata puncta ossificationis observantur.

Figura 3.

Eadem pars spinae dorsi a posteriore exhibita. Ut a priore corpora vertebrae quartae et quintae cervicis a latere sinistro sunt concreta, sic a posteriore arcus illarum vertebrarum confluxerunt, et unicum processum spinosum formant. Arcus vertebrae quintae a sinistro latere tegit magnam partem arcus sequentis inferioris vertebrae. Arcus infimae vertebrae colli cohaeret cum duobus sequentibus, unde ex tribus illis arcubus unicus exsurgit processus spinosus. Sequens processus spinosus a sinistro provenit ex ampliato quidem arcu, sed cui tantum unicus, sive decimus processus transversus adhaeret; a dextro vero latere cohaeret cum tribus processubus transversis superiorum vertebrarum.

Conf. Supel. Anat. Bonnianae n°. cccx. vol. iii. pag. 351 (1).

OS-

(1) Ulteriori depuratione hujus praeparati constitit descriptionem ibi datam, minus accuratam esse.

OSTEOSARCOMA, OSTEOSTEATOMA.

TABULA CLXXIX.

(VOL. IV. TAB. LII.)

Figura 1.

Sternum hominis adulti volumine maxime auctum, atque mutatum in substantiam fibrosam, ab anteriore exhibitum.

a. b. c. Manubrii sterni pars superior, quae, licet emollita, tamen figuram naturalem servavit. a. Superficies articularis pro capite claviculae. b. Margo superior. c. Abscissus margo lateralis. Tanta enim erat hujus partis emollitio, ut culter facilius transierit per totam ossis substantiam, quam quod solveretur articulatio hujus ossis cum clavicula.

d. e. Pars inferior manubrii, tumefacta, extrorsum tuberculata.

f. Os medium sterni, totum tumefactum, inaequabilem monstrans superficiem, atque descendens ante ossiculum tertium, ita tamen ut hoc, pro dimidia parte adhuc infra illud promineat. Ultimum ossiculum degenerationis nulla praebet indicia.

Figura 2.

Idem sternum juxta longitudinem dissectum, ut mutata interna structura patescat.

a. b. Manubrii pars superior, quae licet emollita, tamen ejus formam servavit, et cellularem propriam substantiam demonstrat.

c. Pars inferior manubrii, insigniter expansa, ac in substantiam fibrosam compactam mutata.

d. e. Nexus mobilis manubrii cum osse medio.

d. e. f. Os medium insigniter expansum. In facie posteriore quaedam substantia ossea superesse videtur, totum vero reliquum os mutatum est in substantiam fibrosam, compactam, fibrarum decursum tamen facile exhibentem; inter fibras variis in locis spatia supersunt, quae in nonnullis partibus vasa sanguinea dilatata videntur, dum in inferiore parte manubrii substantia minus distincte fibrosa apparet, ex praesentia substantiae albumini concreto similis, inter fibras depositae.

Inferius ossiculum immutatum cernitur.

Conf. Supel. Anat. BONNIANAE N°. CCCI. vol. III pag. 349.

Figura 3.

Pars superior ossis humeri sinistri, ex homine adulto, ad aliquam distantiam infra caput superius diffracti, nec callo, sed substantia fibrosa intermedia, ac fracturam cingente, conferruminati; quamvis extrema diffracta hoc in casu minime callo essent conjuncta, tamen nulla mobilitas superfuit, ut caeterum in pseudo-articulationibus, post fracturas non sanatas, obtinet. Externa superficies circa fracturam est tuberculosa; membrana fibrosa tensa, totum tumorem circumdat, quae forma externa, et tensione valde convenit cum ea in media parte ossis sterni, praecedente figura delineata.

Figura 4.

Idem os juxta longitudinem dissectum. Interna cellularis ossea substantia in capite et corpore ossis immutata superest, et medullam sanam continebat. Inter extrema diffracta ossis non tantum fibrosa substantia satis compacta adest, in quam extrema ossium evanescunt, sed haec substantia medullarem ossis partem, sursum deorsumque aliquantulum replet, et ex ea produci videtur, dum extrorsum insigni sua expansione tumorem satis magnum, fracturam circumdantem, et membrana tendinosa firma cinctum, constituit. Fibrarum decursus ex figura facilius intelligitur, quam verbis describitur.

Conf. Supel. Anat. BONNIANAE N°. CCLXIII. vol. III. pag. 345.

TABULA CLXXX.

(VOL. IV. TAB. LIII.)

Figura 1.

Cranium foeminae adultae, cum insigni tumore in parte dextra maxillae inferioris. Quum integro tumore ejus natura minus bene intelligi potuit, tumorem juxta longitudinem dissecui, qua sectione constitit, veram esse degenerationem hujus partis maxillae inferioris in substantiam fibrosam, quasi tendineam, quin hic substantia ossea sit producta, sed quae ex cellulari ossis parte evoluta lamellam externam ossis expandit. Post scrupulosam separationem telae cellularis condensatae, adhaerentis membranae externae, constat lamellam osseam partim penitus esse destructam, partim valde extenuatam superstitem esse, unde externa tu-

tumoris superficies satis aequabilis est, atque compressa renititur. Idem itaque videtur ossis vitium, quod in praecedenti tabula delineatum est, sed in hoc specimine forte cernitur alia morbi periodus. Non tantum enim in tumore conspicitur fibrosa substantia cum vasis sanguineis dilatatis, sed praeterea in interiore parte hic adsunt cavitates diversae insignes, quae sanguine erant repletae, dum earum parietes ab interiore obducti sunt lamellis crassis, ex sanguine coagulato. Non solum deorsum, extrorsumque, sed sursum etiam tumor insigne incrementum coepit; hinc ossis maxillaris superioris dextri processus alveolaris pro majori parte periit, atque consumta parte externa, antrum Highmori apertum est; praeterea os jugale extenuatum e sede est remotum, extrorsumque curvatum, atque processus zygomaticus fere totus periit, superstite parva parte circa radicem. Dentes maxillae superioris fere omnes evulsi videntur, eorumque alveoli perierunt. In maxilla inferiore dentes dextri lateris, qui supersunt, toti quanti e sede sunt remoti, atque sibi invicem incumbunt.

Figura 2.

Maxilla inferior, ejusdem foeminae, ab inferiore exhibita, monstrat lamellam ossis externam maximopere esse extensam, et tantum in interna parte, nec etiam hic ubique, superstitem esse, sed variis in locis membranam tensam inter lamellas osseas superesse. Totam lateralem maxillae partem occupavit hoc vitium, adeo ut de processu coronoideo nihil, et de condylo articulari superficies tantummodo supersit. Inde a spina mentali interna, quae solito major est, incipit expansio, quae cito dein insigne volumen acquirit.

Figura 3.

Eadem maxilla inferior ab anteriore exhibita, postquam segmentum tumoris fuerat ablatum. Hac sectione vera natura tumoris patet. Inter fibrosam compactam substantiam, apparent aperturae dissectorum vasorum sanguineorum, valde dilatatorum; cernuntur praeterea cavitates majores et minores, quae lamellis ex sanguine coagulato sunt obductae, adeo ut extravasationes internae insignes locum habuerint, de quibus in externa facie nihil constabat.

a. Superficies articularis condyli dextri.

b. Substantia fibrosa, nullam substantiam osseam continens, in qua dissecta vasa, et cavitates diversae cernuntur.

c. d. Lamellae ex coagulato sanguine, partim parietes cavitatum obducentes; partim sepimentorum instar prominentes, quae in reliquis minoribus ca-

vitatibus etiam deprehenduntur, licet nec adeo crassae, nec adeo amplae sint.

Conf. Supel. Anat. Bonnianae n°. ccc. vol. iii. pag. 348.

TABULA CLXXXI.

(VOL. IV. TAB. LIV.)

Hac tabula ut et figura prima tabulae sequentis exhibetur cranium viri adulti, qui insigni tumore osteosteatomatoso, in ramo dextro maxillae inferioris laboravit. Maceratione in aqua depuratum est hoc cranium, hinc omnes partes molliores tumoris perierunt, atque vegetatio ossea, antea per substantiam propriam dispersa, sola superest.

Figura 1.

Cranio ab anteriore inspecto, cernitur quantopere tumor, quantum ex ossea substantia constat, se extrorsum retrorsumque extendit, atque componitur ex squamosis quasi lamellis, sive spinis complanatis, retrorsum tendentibus, sibi invicem quasi incumbentibus, sed tamen ita a se invicem remotis, ut manifeste appareat, osseam substantiam per massam propriam dispersam, ab hac fuisse sustentatam. Prior tumoris pars, circa alveolos dentium molarium ex lamellis tenuissimis, fere perpendiculariter positis, brevioribus componitur; ceterae lamellae, longiores, retrorsum inflexae, tumorem ab exteriore satis aequabilem, rotundatum constituunt. Inferior pars circa marginem maxillae inferiorem probat laminam externam superficiei internae maxillae primo fuisse expansam, deorsum extrorsumque reflexam.

Pressione tumoris faciei ossa sinistrorsum sunt remota, hinc longe abest ut linea media ossium maxillarium et nasi sita sit in linea perpendiculari cum protuberantia mentali maxillae inferioris. Latus ossis maxillaris superioris, inde ab alveolo dentis cuspidati dextri retrorsum totum est destructum; vertex hujus ossis in orbita, pro dimidia parte consumtus; os jugale, valde extenuatum quantum ad orbitam non pertinet, elevatum, atque ad superficiem rotundatam tumoris accommodatum est; processus zygomaticus penitus destructus est. Destructa parte majori ossis maxillaris superioris, inter hujus marginem priorem superstitem, atque tumorem nunc cernitur pars externa basis conceptaculi cerebri. Foramen infraorbitale dextrum latitudine multum est auctum, atque foramen ossis jugalis valde ampliatum.

Fi-

Figura 2.

In situ laterali cranii cernitur quantopere hicce tumor se extendit, atque lamellis, sive spinis complanatis, ramosisque ab invicem distantibus constat, dum in media circiter parte antrum satis profundum adest; cernitur porro quali modo os jugale e sede est remotum, totusque processus zygomaticus consumtus est. In parte squamosa ossis temporis, quae tota est porosa, impressiones cernuntur vasorum sanguineorum dilatatorum.

TABULA CLXXXII.

(*VOL. IV. TAB. LV.*)

Figura 1.

Idem cranium, remota maxilla inferiore, a parte basis delineatum.

Ex mutato situ ossium faciei nexus lamellarum palatinarum incurvam sequitur directionem, e linea media cranii recedentem. Processus alveolaris pars dextra, inde ab alveolo dentis cuspidati, deficit; lamella palatina pro dimidia posteriore parte hic desideratur, dum in latere sinistro, hac lamella pro minori parte deficiente, margo posterior palati duri oblique tendit in processum pterygoideum sinistrum. Deficiente pariete exteriore antri Highmori, cum majore parte verticis ossis maxillaris illud antrum non tantum apertum cernitur, sed simul etiam apparet portionem ossis cavernosi, partem ossis spongiosi superioris, cum septi narium partem superiorem tantum superesse; os jugale extenuatum insigniter extrorsum est remotum; processus zygomaticus deficit; sinus et tuberculum pro articulatione maxillae inferioris superficiem ampliatam, atque complanatam offerunt; paries canalis auditorii est applanatus. In processu laterali ossis multiformis foramen magnum invenitur, atque processus pterygoidei dextri non nisi radix superest. Superficies articularis pro capitulo sinistro maxillae parum est aspera, et sulcum praeternaturalem offert. Condylus dexter ossis occipitis etiam parum e sede est remotus.

a. Margo detritus ossis maxillaris superioris dextri lateris.
b. c. Margo posterior palati duri, oblique tendens in processum pterygoideum sinistrum.
d. Pars superior superstes septi narium.
e. Pars cavernosa dextra ossis cribriformis, partim destructa.
f. g. Margo superstes verticis ossis maxillaris.

h. i. Margo processus lateralis ossis multiformis. Spatium inter g. et i. fissura est orbitalis inferior.

k. Margo posterior ossis jugalis.

Spatium inter f. g. h. k. apertura est, qua, pressione tumoris consumtis parte verticis ossis maxillaris, priore parte processus lateralis ossis multiformis, et huic adnexa parte ossis jugalis, nunc hiat ab inferiore orbita, et cernitur lamella orbitalis ossis frontis.

k. l. Os jugale extrorsum, antrorsumque remotum.

m. Superficies complanata et ampliata articularis pro articulatione maxillae inferioris.

n. Radix lamellae internae, sola superstes pars processus pterygoidei dextri.

Inter m. et n. foramen magnum in processu laterali ossis multiformis cernitur.

o. Paries complanatus canalis auditorii.

p. Canalis caroticus sinistri lateris, hic semicanalem referens.

Conf. Supel. Anat. BRUGMANSIANAE N°. CMLXXI. vol. III. pag. 285.

Figura 2.

Os innominatum dextri lateris, quod postquam a partibus mollibus fuerat depuratum, in liquore idoneo asservatum est, ita ut exhibeat naturalem formam, atque magnitudinem degenerationis morbosae, ad osteosteatomata referendae. Ex interna ossis ilii substantia excreta videtur substantia fibroso-cartilaginea, quae extenuata, elevata atque tandem deleta tabula externa ossis, excrevit in tumorem notabilem, inaequabilem, fungosum quasi, substantiae compactae, subalbidae, per quam frustula ossea parva quasi dispersa sunt.

Conf. Supel. Anat. BONNIANAE N°. CCCII. vol. III. pag. 349.

TABULA CLXXXIII.

(VOL. IV. TAB. LVI.)

Hac et sequente tabula exhibetur pelvis cum tribus inferioribus vertebris lumborum, viri robusti, mediae aetatis, qui ex lapsu laesionem in nexu ossis ilii sinistri cum osse sacro contraxerat, qua insigne osteosteatoma fuit provocatum. Constat quantam partem pelvis majoris tumor a latere sinistro occupat, imo pelvis minoris capacitatem ab eo fere totum repleri, adeo ut symptomata in historia morbi memorata facillime explicentur. Ossis ilii sinistri non nisi margo anterior satis sanus se offert, dum reliqua pars in tumorem valde tuberculatum, inaequabilem est elevatum. Totum illud os e sede naturali esse remotum compa-

paratione cum osse alterius lateris in oculos incurrit. Tumor aperturam inferiorem pelvis, nec non foramina sacro-ischiadica transgressus se conjunxit cum tumoris parte in posteriore superficie.

TABULA CLXXXIV.

(*VOL. IV. TAB. LVII.*)

Pelvi a posteriore considerata, apparet tumorem ab hac parte longe magis esse evolutum quam ab anteriore, atque divisum in plures partes. Superior pars juxta vertebras adscendens magis complanata est, procul dubio ex situ supino, et ab inferiore confluit cum alia parte ex osse sacro prodeunte; inferiora et exteriora tubera admodum inaequalia sunt, et valde convexa. Totus tumor, qui in statu recenti insignem quantitatem materiae purulentae in intimis partibus continebat, in superficie monstrat vel lamellas osseas, vel frusta ossea per substantiam fibroso-cartilagineam disseminata, unde post exsiccationem substantia molliori magis contracta, superficies tota est aspera.

Conf. Supel. Anat. Brugmansianae n°. cmlxxii. vol. iii. pag. 286.

TABULA CLXXXV.

(*VOL. IV. TAB. LVIII.*)

Hac atque sequente tabula exhibentur ossa diversa hominis viginti septem annorum, cujus ossa fere omnia osteosteatomatibus sunt affecta, et cujus historia morbi, atque sectio cadaveris descriptae inveniuntur volumine tertio pag. 349. Nonnulla ossa post depurationem cultri ope sunt exsiccata; alia vel integra, vel juxta longitudinem dissecta in idoneo liquore asservantur; alia tandem maceratione in aqua depurata et dein exsiccata sunt, ut, ex his omnibus praeparationibus inter se comparatis, vera degenerationis natura melius pateret.

Figura 1.

Os innominatum dextrum ab interiore delineatum monstrat, in osse exsiccato, post depurationem cultri ope, in superficiebus ossis ilii, ischii et pubis variis in locis tabulam externam ossis pro majori, aut minori parte extenuatam, aut totam deperditam, dum fibroso-cartilaginea substantia in statu recenti ex meditullio ossis proveniens, externamque tabulam extenuatam elevans, vel per destructam

tabulam propullulans, nunc post exsiccationem contracta, ultra superficiem naturalem non prominet, et interiora replet.

Conf. Supel. Anat. Bonnianae n°. dcxli. vol. iii. pag. 391.

Figura 2.

Pars dimidia fibulae sinistrae, juxta longitudinem dissectae, ejusdem hominis, in idoneo liquore asservata, monstrans miram expansionem utriusque extremitatis, adeo ut figura naturalis ossis tota perierit. In extremitate inferiore plurimae cellulae dilatatae continent substantiam albissimam, substantiae fibroso-cartilagineae similem; corpus ossis et cellulae dilatatae extremitatis superioris vacuae sunt.

Conf. Supel. Anat. Bonnianae n°. cccviii. vol. iii. pag. 349.

Figura 3.

Radii dextri, longitudinaliter secti, pars dimidia, idoneo in liquore asservata. Quamvis extremi inferioris hujus ossis amplificatio valde sit insignis, tamen forma naturalis non periit. Substantia cellularis massa solidiore, fibroso-cartilagineae simili, fere tota est repleta, cellulaeque magis deletae sunt, atque externa lamella tenuissima; articularis superficies autem immutata superest. In extremo superiori, cujus figura non mutata est, cernuntur cellulae infra collum dilatatae et magis destructae, atque repletae simili massa albissima, qua parietes jam distendi incoeperunt.

Conf. Supel. Anat. Bonnianae n°. cccix. vol. iii. pag. 349.

Figura 4.

Manus sinistrae ossa, ligamentis nexa, et in liquore idoneo asservata.

Carpi omnia ossa sanissima sunt. Metacarpi ossa pollicis, digiti medii et annularis juxta longitudinem diversimode intumuerunt. Omnia ossa illorum digitorum amplificatione formam naturalem amiserunt, sunt tuberculosa et apices ossiculorum tertii ordinis sani tantum supersunt, verum situ maxime mutati. Tumores illi omnes comprimi possunt, quum tabula externa adeo est extenuata ut contenta materies transpareat, imo in nonnullis locis tota evanuit; in aliis crassior est substantia ossis et tumores videntur solidiores. Superficies articulares omnes sanae apparent.

Conf. Supel. Anat. Bonnianae n°. cccvi. vol. iii. pag. 349.

TABULA CLXXXVI.

(*VOL. IV. TAB. LIX.*)

Figura 1.

Os femoris dextri lateris, post depurationem exsiccatum, ab anteriore exhibitum.

Superficies articulares tam capitis, quam condylorum sanissimae sunt. Extremum inferius supra condylos ex amplificatione omnem formam naturalem amisit. Tabula externa non tantum extenuata, sed pro magna parte penitus deleta est, adeo ut nunc exsiccata massa fibroso-cartilaginea, quae fungose per aperturas propullulabat, cellularem expansam substantiam ossis adimpleat. In media parte apertura sat magna cernitur, simili ratione dicta massa repleta. Corpus ossis figuram naturalem servavit, sed infra collum a priore et a posteriore, substantia ossis partim extenuata, partim destructa observatur, cum dilatatione totius partis cellularis, quamvis figura naturalis hic melius, quam in inferiore parte servata fuerit.

Conf. Supel. Anat. BONNIANAE N°. DCXLII. vol. III. pag. 391.

Figura 2.

Tibia et fibula dextri lateris valde incurvatae.

Fibula hoc morbo non est affecta; utrumque vero tibiae extremum tumefactum, corticis substantiam partim valde extenuatam, partim penitus consumtam demonstrat, ita ut ex hoc, uti ex praecedenti specimine, manifestum fiat, quali modo a substantia fibroso-cartilaginea in interna parte evoluta, sensim sensimque extenuatur, tandemque perit cortex, et contenta massa extra superficiem ossis fungose excrescit.

Conf. Supel. Anat. BONNIANAE N°. DCXLIII. vol. III. pag. 391.

Figura 3.

Calcaneus sinistri lateris, a latere exteriore exhibitus, postquam maceratione in aqua omnis mollis fibroso-cartilaginea massa fuerat ablata, exsiccatus.

In externo latere et parte anteriore, ubi cum cubiforme nectebatur hoc os affectum fuit, latus nimirum internum sanum videtur. Non tantum in externo latere lamella externa periit, sed ossis cellularis substantia pro majori parte est destructa, cellulaeque reliquae omnes ex tenerrima lamina ossea constant, adeo ut levissimum sit totum os. Lamina articularis, pro articulo cum osse cubiformi

pro parte etiam periit, et hac in parte totum os eandem tenuissimam cellularem fabricam demonstrat.

Figura 4.

Idem os ab anteriore visum, ut confirmarentur quae modo notavimus de superficie interna ossis, et de superficie articulari in parte anteriore.

Conf. Supel. Anat. Bonnianae n°. dcxliv. vol. iii. pag. 392.

Figura 5.

Os metatarsi digiti ultimi sinistri pedis, post similem praeparationem exsiccatum.

In corpore et extremo anteriori post insignem amplificationem similis destructio substantiae osseae observatur quam in calcaneo.

Figura 6.

Os metatarsi digiti pollicis sinistri pedis.

In hoc osse, maceratione ablata omni substantia molliori, tenuissima lamina ossea superest, quae in nonnullis locis maxime expansa et hinc tenuissima est, dum aliis in locis penitus consumta foramina exhibet, ad destructam internam cellularem partem tendentia.

Conf. Supel. Anat Bonnianae n°. dcxlv. vol. iii. pag. 392.

TABULA CLXXXVII.

(VOL. IV. TAB. LX.)

Hac atque duabus sequentibus tabulis exhibetur amplificatio enormis condylorum, inferiorisque partis ossis femoris, hominis adulti, procul dubio adscribenda affini morbo illi, cujus effectus in ossa diversa in praecedentibus tabulis delineavimus. Ex collectione nimirum materiae purulentae, pultaceae spissitudinis, copioso humore aqueo dilutae, interna ossis substantia contentae, inferior haec ossis pars in tumorem expansa est, cujus superficies externa tota inaequabilis, tuberculis majoribus monstrat tabulam externam inaequabiliter fuisse expansam, imo in posteriore parte valde descendere infra articulationem genu. In media superiore parte ossis substantia tantopere expansa est, ut fabricam fere cellularem exhibeat, dum omnis reliqua superficies in hac facie, magis compactam substantiam exhibet; cernuntur praeterea impressiones variae latitu-

di-

dinis atque profunditatis, vasorum valde dilatatorum, ut et foramina majoris vel minoris amplitudinis, quae transmiserunt vasa substantiam ossis percurrentia. Cum inferiore media parte anchylosi juncta est patella, quae caeterum a parte tibiae libera, et in totum magnitudine aucta non est. Tibia sana articularem superficiem superiorem illaesam offert, et nisi in majori parte ipsius ambitus osseis tumoribus, ex femore descendentibus circumdaretur, facile a femore solveretur, quod vero, licet mobilissima sit, nunc plane impossibile est.

TABULA CLXXXVIII.

(VOL. IV. TAB. LXI.)

Eadem femoris degeneratio, a latere exteriore visa. In tuberculosa externa superficie manifestum admodum est, vasa sanguinea omnia, quae ossis substantiam percurrunt valde fuisse dilatata; hinc enim omnes illi semicanales atque foramina diversae magnitudinis, quae superficiem tuberculosam, magis asperam reddunt. Superiori atque posteriori parti adhaeret tuberculum sat magnum, sed ex posteriore et inferiore parte descendit tuberculum longe majus, magis quasi subdivisum, et sulco profundo a tumore majori distinctum, quod valde pone articulationem et tibiam descendit, atque procul dubio evolutum fuit intra spatium, ab inferioribus partibus musculorum flexorum tibiae, et capitibus superioribus musculi Gemelli, relictum. Superficies articularis tibiae integra et separata a condylo femoris, maxime ampliato, observatur. Inferior patellae margo, infra marginem inferiorem tumoris cum quo anchylosi jungitur, et satis remotus a tibia cernitur.

Linea quae fingi potest inter litteras a. a. indicat locum, quo serrae ope totus tumor divisus est, ut interiora patescant.

TABULA CLXXXIX.

(VOL. IV. TAB. LXII.)

Figura 1.

Dissecto, in parte indicata praecedenti in tabula, transversaliter tumore, delineata in hac figura est interna facies partis superioris, ut constaret quantopere interna cellularis substantia mutata est, atque tenues cellularum parietes, nunc sepimenta vel trabeculas osseas referunt, praeprimis ex intima parte in circumferentiam tendentia, quae ut trabeculae satis crassae circa centrum, ramosae quasi fiunt in ambitu, ibique cellulas varias componunt. Lamella externa sive cortex

inaequalis est crassitiei in variis locis, atque quodammodo aemulatur substantiam ossium conceptaculi cerebri; inter tabulam nimirum externam internamque, cellularis quaedam substantia est intermedia.

Figura 2.

Ejusdem tumoris pars inferior ab interiore exhibita. Sepimenta partialia ut et trabeculae osseae, diversae crassitiei hic magis ex centro prodeunt, et in ambitum extenuantur atque desinunt. In superiore et inferiore parte substantia ossis maxime degenerata observatur, dum in media parte tumoris ea tota quanta destructa fuit.

Conf. Supel. Anat. Bonnianae n°. dcxlviii. vol. iii. pag. 392.

Figura 3.

Digitus auricularis hominis adulti, ab exteriore exhibitus. Excrevit juxta longitudinem ossis primi ordinis tumor, respectu magnitudinis ossis, insignis voluminis, structurae omnino similis, quam modo descriptus tumor ossis femoris. Ab exteriore superficies licet in genere aequabilis, parva tamen tubercula, atque foramina, et semicanales exhibet, quibus incumbebant, vel transibant vasa dilatata ad interiorem partem pertinentia. Interna substantia tota quanta ex cellulis dilatatis, diversae amplitudinis constat.

Figura 4.

Idem digitus ab interiore visus.

Conf. Supel. Anat. Brugmansianae n°. cmlxxvii. vol. iii. pag. 287.

EVOLUTIO IMPEDITA (1).

TABULA CXC.

(*VOL. IV. TAB. LXIII.*)

Cranium juvenis viginti annorum, amentis atque ferocis, cujus conceptaculum ce-

(1) Ad hoc caput pertinet Voluminis II. Tabula XXXV.

cerebri nec debitam formam, nec naturalem magnitudinem acquisivit, licet organa manducationis, atque in genere omnia faciei ossa, bene evoluta sint.

Figura 1.

In cranio a latere sinistro delineato constat quantopere frons complanata est, sed superior cranii pars retrorsum a vertice ad cristam occipitalem aequabilem convexam habet superficiem. Partibus vero condyloideis ossis occipitis solito magis descendentibus, inferior occipitis ossis pars cum ipsius superiore parte angulum obtusum format, dum ipsa inferior pars cerebello respondens magis etiam est complanata. Basilaris pars oblique valde adscendit, et distantia inter processus pterygoideos et condylos ossis occipitis solito minor est. Vestigium musculi Temporalis crenam notabilem exhibet. Processus mammillares sunt parvi. Sutura coronalis omnino deficit. Orbita naturalis est magnitudinis. Ossa maxillaria superiora et ossa nasi valde sunt evoluta. Maxilla vero inferior est tenera et in parte mentali multum descendit. Dentes probant dentitionem secundam nondum plane fuisse absolutam.

Figura 2.

Idem cranium ab anteriore delineatum.

Conceptaculi cerebri ossa in vertice tantopere sunt contracta, ut inter vestigia musculorum Temporalium spatium non valde magnum adsit. In orbitis cernuntur fissurae lacerae breves, sed amplae. Sinus frontales bene sunt evoluti. Dentium coronae plagas cariosas monstrant.

Figura 3.

Conceptaculum cerebri ab interiore visum, sectione horizontali ablata superiore parte supra orbitas atque tentorium cerebelli, demonstrat sinus frontales satis esse insignes; formam totius conceptaculi cerebri magis ad triangularem quam ad ovalem formam accedere, atque ossa non valde esse crassa. Os cribriforme reconditum quasi est in sulco profundo inter lamellas orbitales valde convexas. Processus priores ossis multiformis sunt breves, sed ampli. Sella turcica profunde exsecta est, lamina posteriore imprimis valde adscendente. Pars basilaris ossis occipitis fere perpendiculariter sita est. Foramina rotunda pro ramis secundis nervorum quinti paris solito minora; ovalia vero foramina pro ramis tertiis quinti paris majora, imprimis foramen sinistrum. Lunulae majores inter os occipitis et ossa petrosa solito angustiores, minores contra justo majores.

Scrobes ossis occipitis non valde excavatae. Foramen magnum fere solitae est magnitudinis.

Figura **4.**

Pars superior conceptaculi cerebri ejusdem juvenis in vertice visa.

Vestigia musculorum Temporalium notabilia observantur, et in media parte valde ad se invicem accedunt. In parte occipitali, quae hic superior est, desideratur naturalis convexitas horum ossium. Suturae fere omnes desiderantur, sed in earum directione foramina nonnulla observantur.

Conf. Supel. Anat. Bonnianae n°. dclxxiv. vol. iii. pag. 395.

TABULA CXCI.

(*VOL. IV. TAB. LXIV.*)

Figura **1.**

Hac in figura delineatur cerebrum atque cerebellum ejusdem juvenis a parte superiore, atque constat totam ipsius figuram cum fere triangulari figura conceptaculi cerebri, tabula praecedente fig. 3. exhibiti, convenire. Lobi priores vix sunt evoluti, valde acuminati; gyri cerebri satis lati, neque sulcis profundis distincti, atque longe minori numero adsunt, quam ceterum in hominibus ejusdem aetatis observantur. Lobis posterioribus a se invicem recedentibus, justo amplior pars superficiei superioris cerebelli in conspectum venit.

Figura **2.**

Idem cerebrum cum cerebello atque medulla oblongata ab inferiore delineatum.

Quamvis lobi medii multum promineant, et hinc facile a prioribus lobis distinguantur, tamen inter eos desiderantur fossae Sylvii, quarum vix vestigia adsunt. Lobi priores valde sunt acuminati. Gyri cerebri in tota inferiore superficie solito sunt ampliores. Ab utroque latere, juxta marginem priorem cerebelli hiat ventriculus lateralis cerebri fissura satis longa; inter marginem priorem harum fissurarum atque crura medullae oblongatae ad cerebrum pars loborum mediorum prominens, atque unciformis figurae, videtur esse cornu ammonis. Cerebellum formam naturalem sat bene demonstrat. Medullae oblongatae corpora pyramidalia solito profundiori sulco a se invicem distinguuntur, et in pontis Varolii media parte sulcus quidam longitudinalis conspicitur.

Cru-

Crura cerebri proxime sibi invicem accumbunt, ut et corpora candicantia, quae unum adhuc corpus constituunt. Nervi omnes facile distinguuntur, et inter hos nervi quinti paris sunt crassi.

a. Fissura oblonga, qua hiat in utroque latere ventriculus lateralis cerebri.
b. Cornu ammonis.
c. Corpora candicantia inter se cohaerentia.

Figura 3.

Delineatio ejusdem cerebri post sectionem perpendicularem, transeuntem mediam partem corporis callosi, inter duos thalamos nervorum opticorum, et medias partes medullae oblongatae et cerebelli, adeo ut tota pars sinistra hic exhibeatur.

In superficie hemisphaerii cerebri, processui falciformi durae matris obversa, cernuntur gyri cerebri paucissimi, sed singularis latitudinis. In corpore calloso, cujus margo posterior erat exsectus, cernitur marginem lateralem, cum cerebri haemisphaerio cohaerentem, esse longiorem parte media dissecta, adeo ut in media parte se tantum extendat ad mediam priorem partem thalami nervi optici. Ex ipsius inferiore superficie descendens in fornicem cernitur septum lucidum. Corpora quadrigemina superficiem superiorem exhibent quasi undulatam, adeo ut potius sex quam quatuor adesse videantur corpora.

Cerebelli sectio nihil praeter naturam offert, neque etiam aliquid notatu dignum observatur in dissecta medulla oblongata.

a. b. c. Corpus callosum. a. Ipsius margo anterior. a. c. Margo externus, cum cerebri hemisphaerio cohaerens, longior parte media. b.
d. Fornicis crus sinistrum.
e. Septum lucidum.
f. Thalamus sinister nervi optici.
g. Corpora quadrigemina.
h. Crus cerebelli ad corpora quadrigemina.
i. Pons Varolii.
k. Corpus pyramidale.
l. Nervus opticus.
m. Eminentia mammillaris.
n. Protuberans lobus medius cerebri.

Conf. Supel. Anat. Bonnianae n°. cdxliii. vol. iii. pag. 365.

Figura 4.

Cranium hominis adulti, absque maxilla inferiore, praecedente non majus,

sed formae magis naturalis, a latere sinistro exhibitum, adeo ut constet, ex conceptaculi cerebri figura, cerebrum stricte dictum satis bene fuisse evolutum, dum contra, ex situ magis perpendiculari partis inferioris ossis occipitis, inter cristam occipitalem atque foramen magnum, manifestum est, cerebellum non in eadem proportione quam cerebrum fuisse evolutum. Hinc foraminis occipitalis situs magis in posteriore cranii parte invenitur, atque solito major distantia adest inter processus pterygoideos et dictum foramen, dum pars basilaris ossis occipitis nimis obliquum situm habere videtur. Suturae verae et squamosae sunt perfectae, imo suturarum verarum denticuli sunt magni et compositi. Faciei ossa proportionem servarunt cum conceptaculo cerebri; nasi ossa nimis magna videntur.

Figura 5.

Ejusdem cranii a priore delineatio demonstrat latitudinem conceptaculi cerebri et faciei in debita proportione esse cum altitudine cranii, ipsasque orbitas debitae esse magnitudinis; atque proportionatam esse distantiam inter vestigia musculorum Temporalium. Alveoli omnium dentium incisorum sunt deleti, et marginem acutum formant; dentium cuspidatorum alveoli sunt satis magni, atque ab exteriore aperti, ex defectu ossificationis, quod in sequente alveolo ab utroque latere etiam observatur.

Figura 6.

Idem cranium ab inferiore visum.

Ex margine alveolari constat totam dentitionem fuisse perfectam, conspiciuntur nimirum a latere dextro tres dentes molares veri, atque in oppotito latere, praeter dentem molarem primum verum, alveoli perfecti duorum posteriorum molarium dentium conspiciuntur. Alveoli dentium incisorum sunt clausi et marginem acutum formant. Pone hos in utroque osse maxillari sutura valde distincta transversa, incisiva dicta, cernitur, se extendens ad marginem alveolarem inter alveolos dentis incisivi et cuspidati. Foramen occipitale in proportione magnitudinis cranii valde magnum est, unde probabile evadit medullam spinalem habuisse crassitiem fere solitam, quae in adultis hominibus debitae longitudinis observatur, dum foramini magno adstantes condyli eam etiam habent magnitudinem, quam in adultis observare solemus. Dolendum certe nihil esse cognitum de ipso homine, cujus longitudo certe non fuit in proportione naturali cum ipsius capite, si ex memoratis partibus aliquid concludere liceat. Foramina omnia ad nervos pertinentia nihil notandum offerunt; canales carotici et lunulae majores, per quas sinus transversales du-

durae matris se evacuant in venas jugulares sunt in proportione cum magnitudine cranii.

Conf. Supel. Anat. BONNIANAE N°. DCLXXV. vol. III. pag. 396.

HYDROCEPHALUS. SPINA BIFIDA. HERNIA MEDULLAE SPINALIS (1).

TABULA CXCII.

(VOL. IV. TAB. LXV.)

Figura 1.

Conceptaculum cerebri infantis recens nati, qui hydrocephalo laboravit, a superiore visum.

Totum hoc conceptaculum cerebri, quod ante nativitatem jam fere hanc magnitudinem acquisiverat pro magna parte membranosum est, nam quamvis ossa verticis atque os occipitis, uti ex hac delineatione constat, magnitudine valde sunt aucta, atque satis tenuia, tamen inter se conjunguntur membranis quam maxime ampliatis. Ossificationem ossium verticis non fuisse regularem, in utroque osse manifestum est; constant enim haec ossa ex variis distinctis frustulis valde extenuatis, atque quasi fibrosis, quae inter se membranis cohaerent tali modo ut tamen unicam partem constituant. In membranacea parte inter ossa verticis, nec non inter haec atque os occipitis copiosa adsunt ossicula separata, WORMIANA vulgo dicta. Mediae partes ossium verticis plurimum protuberant, et ex vestigio sinus longitudinalis constat latus sinistrum magis fuisse expansum latere dextro.

Conf. Supel. Anat. BONNIANAE N°. DCXXXV. vol. III. pag. 390.

Figura 2.

Cranium foetus, qui hydrocephalo atque rhachitide congenita laboravit, cujus reliqua ossa descripta atque delineata sunt Tab. CLXXIII. (sive hujus voluminis Tab. XLVI. fig. 1), a latere sinistro delineatum, in quo fontanella major insignis admodum est amplitudinis, recedentibus valde a se invicem duabus partibus os-

(1) Ad hoc caput pertinent Voluminis II. Tabulae VI—XII. et CXXIV.

ossis frontis, unde fere ad radicem usque nasi descendit. Utraque pars ossis frontis, ossa verticis, et occipitalis pars ossis occipitis sunt solito longe minores, sed circumdantur ossiculis WORMIANIS copiosissimis, quae licet inter se separata, et per membranas dispersa sint, tamen unum quasi continuum marginem in ambitu singulorum ossium constituunt, adeo ut in multis locis haec ossicula fere in contactu veniant, atque suturas constituant. Totius conceptaculi cerebri forma satis est regularis atque naturalis, vertex tantum paululum nimis elevatur, et tota capacitas justo major est respectu magnitudinis faciei.

Figura 3.

Idem cranium a posteriore exhibitum.

Ex hac figura constat quantopere ossa verticis a se invicem, et ab osse occipitis distant, nec non quantus sit numerus ossiculorum WORMIANORUM inter diversa ossa; quali ratione ea omnia, diversae admodum formae atque magnitudinis, licet tota quanta a se invicem distincta, tamen in ambitu ossium majorum, unum quasi continuum marginem formant, qui pro magna parte supplet quod in ossibus deficit, praesente tamen adhuc magna parte membranacea in hac parte posteriore. Satis aequabiliter superiorem conceptaculi cerebri partem esse extensam facile in oculos incurrit, imprimis si attendimus ad vestigium sinus longitudinalis durae matris.

Conf. Supel. Anat. BONNIANAE N°. DCXXVIII. vol. III. pag. 389.

Figura 4.

Quatuor vertebrae infimae lumborum cum osse sacro atque coccyge infantis, qui spina bifida laboravit, cum sacco tumoris ita dissecto, ut capacitas atque communicatio cum dura matre appareant. Arcus duarum inferiorum vertebrarum lumborum in media parte hiant, et hoc foramen transmisit non tantum duram matrem, in saccum dilatatam, sed praeterea bene multa filamenta nervosa caudae equinae, quae cum pariete durae matris concreta sunt. Superiorum vertebrarum arcus, et scutum ossis sacri sunt in statu naturali.

a. a. a. Pars lateralis sinistra tumoris sacco constantis, cujus parietes componuntur dura matre, atque integumentis communibus extenuatis.

b. Inferior pars lateris dextri tumoris.

c. Filamenta nervosa caudam equinam componentia, per foramen in arcubus vertebrarum praesens exeuntia, et parieti sacci adhaerentia.

Conf. Supel. Anat. BONNIANAE N°. CDXLVIII. vol. III. pag. 366.

Fi-

Figura 5.

Vertebrae lumborum cum osse sacro infantis, qui spina bifida laboravit. Dissectis arcubus vertebrarum lumborum, atque aperta juxta longitudinem dura matre, quatuor superioribus vertebris contenta, medulla spinalis cum ex ea prodeuntibus nervis lumbaribus conspicitur. Tumor juxta os sacrum descendens longitudinaliter est dissectus, unde constat arcum vertebrae infimae lumborum deficientem transmisisse duram matrem, in tumorem expansam, atque per hanc aperturam simul transiisse medullam spinalem, quae cohaeret cum pariete sacci.

a. b. c. d. Dilatatio durae matris juxta longitudinem dissecta, atque ab exteriore obducta integumentis communibus, vix extenuatis.

e. Inferior pars medullae spinalis, durae matri adhaerens.

f. f. f. Filamenta tendinosa tensa inter parietes sacci, a dura matre formati.

Conf. Supel. Anat. Bonnianae n°. cdxlvi. vol. iii. pag. 366.

TABULA CXCIII.

(VOL. IV. TAB. LXVI.)

Hac tabula exhibentur duo casus herniae medullae spinalis in cervice. Alter casus in puero vivo, alter autem alio in individuo juniori post mortem examinatus est.

Figura 1.

Delineatio capitis et nuchae pueri 6 annorum, ab A. Bonn Viro Cl. observati, qui in media parte inferiore cervicis tumorem mollem gerebat, cute tectum. Hic tumor congenitus, sensim magnitudine increvit, latam satis basin monstrans; in vertice parum contractus cicatrice tegebatur, quum nimirum antea cutis, hac in parte, gangraena fuerat correpta, ab eaque feliciter erat sanata. Si tumor parumper attolleretur facile apertura rotundata in arcubus duarum vertebrarum cervicis detegebatur, deficiente in utroque arcu processu spinoso, quae apertura manifeste transmittebat portionem quamdam medullae spinalis. Brachium dextrum erat emaciatum atque paralyticum, digiti illius manus erant deformes. Puer hic valde debilis, aetatis annum decimum tertium attigit.

Figura 2.

Sex vertebrae superiores cervicales pueri junioris, cujus cranium levia symptomata hydrocephali offerebat; in collo gerebat tumorem mollem congenitum cum basi parum angustiori. Chirurgus veram indolem tumoris ignorans, eumque cum atheromate confundens, cultro illum resecuit, verum effluente mox humore seroso, atque collapso cerebro, infans animam efflabat.

In vertebra tertia et quarta a superiore, ex defectu processuum spinosorum, foramen cernitur, quod transiit pars medullae spinalis suis membranis tecta.

Conf. Supel. Anat. Bonnianae n°. dclxxxiv. vol. iii. pag. 399.

Figura 3.

Dura mater cum vaginulis radicum nervorum, continens medullam spinalem, separata e vertebris cervicalibus ejusdem pueri, emittens a posteriore parte vaginam, quae transiit foramen in arcubus vertebrarum, atque distenditur portione medullae spinalis. In superficie abscissa medullae cernuntur foraminula, producta memorata incauta operatione, ex quibus sub operatione effluxit humor serosus.

Figura 4.

In interna superficie durae matris, a medulla spinali separatae, hic cernitur apertura interna vaginae, tanquam saccus herniosus, hoc in casu a dura matre productus.

Figura 5.

Medulla spinalis dura matre orbata exhibens partem prolapsam in formam processus cylindrici, quae vagina durae matris includebatur, et in cujus superficie abscissa foraminula nonnulla observantur. A lateribus radices posteriores nervorum cervicalium apparent.

Figura 6.

Medullae spinalis pars dimidia posterior, ab interiore visa, sectione perpendiculari per mediam partem medullae inter radices posteriores et anteriores nervorum instituta, exhibens canalem conoideum, a superiore satis amplum, atque desinentem in basin partis prolapsae medullae spinalis.

In

In hoc ergo specimine humor ventriculis cerebri contentus procul dubio descendit per mediam medullae oblongatae et spinalis partem, in iisque partibus canalem satis amplum produxit, usque ad mediam partem cervicis, ubi herniae speciem constituit.

Conf. Supel. Anat. Bonnianae n°. dcli. vol. iii. pag. 366.

DEGENERATIONES NONNULLARUM PARTIUM MOLLIUM.

TABULA CXCIV.

(VOL. IV. TAB. LXVII.)

Figura 1.

Cranii hominis adulti latus dextrum, serrae ope juxta longitudinem cranii ab altero latere solutum, ab interiore visum, membrana dura matre in conceptaculo cerebri tectum, adeo ut processus transversalis dexter distinguat cameram cerebri a camera cerebelli. Sinus frontalis, sphaenoidalis atque tota capacitas narium internarum suis membranis mucosis teguntur.

Ex interna superficie durae matris, processum priorem ossis multiformis tegente, adsurgit tumor satis magnus, incumbens excavatae superficiei processus lateralis ossis multiformis, nec non ossi verticis, et squamosae parti ossis temporis, quin his in locis cum dura matre cohaereat, multum intra conceptaculum cerebri prominens, atque comprimens nervum tertium atque nervum quintum. Externa tumoris superficies, quae cerebrum repressit, in eoque excavationem satis notabilem produxerat, leviter est tuberculosa, atque hinc inaequabilis. Sectione longitudinali tumoris constat ejus substantiam totam esse fibrosam.

Hic tumor totus quantus intra conceptaculum cerebri evolutus, neque cum dura matre, nisi in basi, cohaerens, nulla ratione affecit ossa, quod eo magis mirandum, quum similes tumores durae matris, sed longe minoris voluminis non raro, introrsum etiamsi prominent, etiam destructionem ossium cranii producunt. Procul dubio spiritu quo jam per seriem annorum haec cranii pars asservatur totus hicce tumor est contractus, adeo ut vivente homine longe major fuerit; quod si consideremus, atque ejus situm et actionem in cerebri partes attendamus, symptomata in historia morbi memorata, facile explicantur.

a. Sinus frontalis dexter.

b. Sinus sphaenoidalis.
c. Os spongiosum superius.
d. Os spongiosum inferius.
e. Lamina orbitalis ossis frontis.
f. Processus transversalis dexter durae matris.
g. Nervus opticus.
h. Nervus quinti paris.
i. Nervus Facialis cum nervo auditorio.
k. Tumor fungosus durae matris.
l. Lobus ejusdem minor ex externa facie magis adscendens.

Conf. Supel. Anat. Brugmansianae n°. xxxix. vol. iii. pag. 147.

Figura 2.

Delineatio genitalium externorum cum vesica urinaria inversa Lamberti Muller Dordracensis, aetatis 45 annorum, quam anno 1813 ad objectum vivum paravi; obiit anno insequente.

In utroque inguine per dilatatas fissuras musculorum Obliquorum externorum abdominis portio intestinorum herniam inguinalem formabat. Scrotum erat bene evolutum, atque testes continebat. In regione pubis cernitur vesica urinaria inversa, formans tumorem satis notabilem, leviter inaequabilem, atque mucosa membrana vesicae tectum. Supra marginem superiorem tumoris conspicitur cicatrix umbilici; circa ipsius marginem inferiorem, in prominentibus quasi papillis, aperturae ureterum facile distinguuntur. Membro virili quantum fieri potuerit deducto non tantum constat illud juxta totam longitudinem a basi ad apicem glandis esse fissum, atque urethram fissam ejus mediam occupare partem, dum corpora spongiosa penis lateraliter a se invicem recesserunt, et glande fisso terminantur; sed praeterea ad radicem, vel ubi vesicae membrana in urethram transit, caput gallinaginis, et ab utroque ejus latere orificium vesiculae seminalis facile observabantur. Inferiori parti membri virilis adhaerent integumenta communia, circa glandis inferiorem superficiem praeputium constituentia.

a. Cicatrix umbilici.
b. Tumor ab inversa vesica urinaria formatus.
c. c. Ostia ureterum.
d. e. Ostia vesicularum seminalium, et inter ea caput gallinaginis.
f. Urethra longitudinaliter fissa, et cum corporibus spongiosis penis lateraliter expansa.
g. h. Glans penis fissa.
i. Praeputii pars media.

Fi-

Figura 3.

Ossa pubis cum omnibus partibus mollibus ad genitalia ejusdem viri pertinentibus ab interiore conspicua.

Cernuntur ossa pubis ab omnibus partibus mollibus depurata, tantopere a se invicem distantia, ut spatium intermedium adsit $2\frac{1}{2}$ poll. Rhen. quod partim repletur fascia ligamentosa, admodum crassa, ossa dicta conjungente, ad cujus marginem superiorem etiam terminantur aponeuroses musculorum abdominalium, nec non tendines musculorum Rectorum abdominis. Pone fasciam ligamentosam descendunt ureteres, ad vesicam tendentes inter hanc et marginem superiorem glandulae prostatae; huic corpori glandiformi incumbunt vesiculae duae seminales, quae tela cellulari in unum corpus erant junctae, sed nunc separatae, cellulosa tela dissecta; singulae formam ovalem exhibent, dum inter eas a priore vasa deferentia, ad parvam distantiam a vesiculis abscissa, distinguuntur. Glandula prostata partem inferiorem excavatam tumoris, sive inversae vesicae, implens a superiore marginem satis crassum habet, cui incumbunt vesiculae seminales, et ab utroque latere substantia fibrosa ossibus pubis adnectitur. Corpora cavernosa penis, in prima dissectione jam separata a ramis descendentibus ossium pubis, satis robusta cernuntur, et licet sat cito conjuncta, tamen cum glandulae prostatae corpore spatium triangulare relinquunt, in quo bulbus corporis cavernosi urethrae conspicitur; caeterum vero tali modo corpora spongiosa penis ab inferiore cohaerent, ut nihil de corpore spongioso urethrae detegi valeat. Glans penis tegitur ita ab hac parte praeputio, plicam cutaneam satis crassam formante, ut ipsius apex infra illud promineat.

a. a. Corpora ossium pubis, serrae ope divisis ramis superioribus et inferioribus.

b. Integumentorum abdominalium superficies interna, ab aponeurosi musculorum abdominalium separata.

c. d. e. Aponeurosis musculorum abdominalium.

f. g. Tendines musculorum Rectorum abdominis.

h. i. k. Fascia ligamentosa satis crassa, ossa pubis conjungens.

l. m. Vesiculae seminales, inter quas cernuntur abscissa vasa deferentia.

n. o. Ureteres.

p. Media pars glandulae prostatae, ab utroque latere fibrosa substantia ossibus pubis nexa.

q. r. Corpora cavernosa penis.

s. Bulbus corporis cavernosi urethrae.

t. u. Integumenta communia dissecta, ubi a membro virili ad scrotum transeunt.

w. Praeputium, infra quod glans penis prominet.

Conf. Supel. Anat. Bonnianae N°. cdxiv. vol. iii. pag. 362.

TABULA CXCV.

(*VOL. IV. TAB. LXVIII.*)

Delineatio puellae mortuae in lucem emissae, bene evolutae et nutritae cum insignibus tumoribus polyposis ex naribus et ore prodeuntibus.

Figura 1.

Quum infans a sinistro latere atque a priore consideratur, facile apparet parvam portionem polypi ex apertura sinistra nasi prodire, dum longe major ex dextra apertura exiens figuram habet rotundatam, atque ante oculum illius lateris incurvata est. Tota vero oris capacitate polypo oppleta, hic ex ore prodiens tuberculosae admodum formae sinistrorsum imprimis se extendit, atque ad summum humerum hujus lateris, et ante pectus descendit.

Figura 2.

Hac in figura cernitur partem polyposam ex apertura dextra narium exeuntem satis esse remotam ab oculo. Oris capacitate tota tumore polyposo oppleta, lingua, magnitudine nec aucta, nec figura mutata, ore extrusa juxta angulum dextrum labio inferiori incumbit. Fissura labiorum quam maxime dilatata tumore repleta est, dum polypi superficies externa in tubera diversa quasi divisa est; sinistrorum et infra mentum quam maxime volumine increvit totus polypus.

Conf. Supel. Anat. Bonnianae N°. dlviii. vol. iii. pag. 377.

TABULA CXCVI.

(*VOL. IV. TAB. LXIX.*)

Polypus uterinus insignis voluminis, magnitudine naturali delineatus, a pedunculo elongato ex orificii uterini labio posteriori dependens, ex cadavere foeminae 43 annorum, quae nunquam matrimonium inierat, castam

tam admodum vitam degerat, et menstruorum fluxu regulari passa fuerat.

Haec foemina postquam tempore pubertatis morte fidelissimi amantis, quo cum brevi matrimonium iniisset, quam vehementissime affligebatur, corripiebatur anxia tussicula, pituitosa, cum febricula, quae imminentem phthisin pulmonalem indicare videbantur, et primo ad omnia remedia rebellia, dein vero imminuebantur, et subinde redibant. Aetatis anno 32 mentruorum fluxus subinde erat minus regularis, aliquando copiosus, diuturnus et doloribus gravissimis stipatus; saepius bis quovis mense prodibant menses, et fluor albus antea nonnunquam mensium fluxum insequens, vix amplius observabatur; dolores vero tempore menstruationis augebantur et intolerabiles evadebant. His non obstantibus sanitas non multum laedebatur, et aetatis anno 36 nulla symptomata morbum localem indicare videbantur. Tussicula atque anxietates hoc tempore denuo recrudescebant, et ad mortem usque perseverarunt. Post biennium queri incoepit de sensatione dolorifica in regione hypogastrica sinistra, atque de pressione in urethram. Mensium fluxus erat copiosus, et magis dolorificus. Dolores gravativi ad urethram et intestinum rectum tendentes augebantur, subinde erant intolerabiles, et dein rursus pro tempore evanescebant. Post annum omnia in pejus ruebant. Alvi depositio fere tota impediebatur, et urinae excretionem concomitabantur gravissimi, intolerabilesque dolores. Sensus ponderis ad perinaeum observabatur, cum insigni et dolorifica intumescentia in regione pubis.

Omnis exploratio per vaginam ab aegrotante pertinaciter prohibebatur, et vix concedebatur applicatio clysmatum, et in casu maxime urgente evacuatio urinae catheteris ope. Clysmata difficillime applicabantur, intestino recto toto a tumore, totam cavitatem pelvis minoris opplente, compresso, dum etiam minimum tentamen ad tumorem in cavitatem abdominis reducendum, intolerabilem pressionem, atque dolorem provocabat.

Sensim sensimque aegra emaciabatur, quin tamen vires eadem proportione labi viderentur. Pulsus erat celer, atque parvus, et vespertino tempore 120 pulsus intra minutam numerabantur. Pedes intumescebant, respiratio erat difficilis, imprimis matutino tempore, nec, nisi difficili expectoratione tenacissimi muci, facilior reddebatur; appetitus erat irregularis; urina erat vel pellucida et copiosa, vel parca et foetida cum sedimento ichoroso: Oculi ad mortem usque erant vivaces et splendentes; arteriarum pulsatio ob debilitatem saepe vix percipiebatur, et subinde mors instare videbatur. Saepius vero post evacuationem insignis quantitatis urinae, catheteris ope, virium admiranda refocillatio observabatur. Mensium fluxus erat irregularis, illumque concomitabantur evacuatio humoris mucosi, tenacis, foetidi, sed minori copia quam insequentibus temporibus, atque dolores vix perferendi.

Tandem exploratio per vaginam concedebatur, et licet ob summum dolorem non nisi imperfecte institui potuerit, tamen omnia praesentiam polypi uterini ex sententia primi exploratoris indicare videbantur.

Quum ergo in hoc casu dubio, si polypus revera adesset non nisi ligatura cura radicalis obtineri posset, alter obstetricator in consilium vocabatur. Hic vero exploratione instituta statuebat tumorem in vagina praesentem non esse polypum, sed carcinomatosam indurationem ostii et colli uterini, et forte totius uteri, et hac ex causa ligaturam tentare dissuadebat. Tertius itaque obstetricator, priorum sententias ignorans etiam exploratione facta statuebat tumorem esse carcinomatosam indurationem ostii et colli uteri, et forte etiam totius uteri, imo partem etiam vesicae urinariae esse induratam credebat; concludebatur ergo curam radicalem non esse suscipiendam. Reiterata hac exploratione, sed imprimis prima vice, quum movebatur, sursumque propellebatur tumor, humor tanti foetoris evacuabatur, ut foetor totam domum penetraret, et indelebilis esset. Tales evacuationes copiosissimae materiei purulentae, mucosae, foetidissimae cum sanguine coagulato mixtae ab eo tempore summis doloribus stipatae, sub evacuatione foecis et urinae ad mortem usque perdurabant, cum insigni prostratione virium vitalium, dyscrasia omnium humorum, et pulsu celerrimo atque debilissimo, adeo ut mors inevitabilis videretur; attamen haec omnia perferebantur, atque sub majori intumescentia, et induratione abdominis vires redibant, et reconvalescere videbatur aegra. Ad dolores intolerabiles mitigandos aegra opio cum successu utebatur, cujus tamen dosis continuo erat adaugenda, adeo ut nycthemeri spatio tribus granis uteretur, quum intolerabilibus doloribus ad summum vexata, inscio medico, octo grana una vice assumebat. Brevi sopore apoplectico afficiebatur, qui per 48 horas durabat, et ex quo expergefiebat cum insolita hilaritate et jocandi specie, aegrotae nunquam propria; haec symptomata per aliquot horas perseverabant, et dein, excepto dolore, in praecedenti versabatur statu; quod vero notandum, dolores sub evacuatione dictae materiei ex vagina post illud tempus nunquam redierunt. Interim abdominis intumescentia cum sensibilitate peculiari juncta tantopere augebatur, ut graviditati septem mensium responderet. Dein postquam aegra insolitam sensationem in pelvi observaverat, aeque ac si corpus insignis ponderis per pelvim descenderet, tumor satis durus in orificio vaginae detegebatur. Nunc omnia symptomata jam jam gravissima insuper increscebant; mensium fluxus erat copiosus, et cum pure foetidissimo mixtus. Vires magis magisque decrescebant, et aphthis obscessae erant omnes oris fauciumque partes, adeo ut mors jam jam instare videretur; attamen ejusmodi virium refocillatio locum habebat, ut post aliquod tempus rursus obambulare, aliaque exercitia peragere potuerit. Tandem vero febris hectica cum om-

omnibus suis symptomatibus vires penitus pessumdabat, et mors vitae, miseriis plenae, optatum finem imponebat.

Accurata ipsius morbi historia mali delineationem antecedere debere videbatur.

Figura 1.

Vagina crassitie valde aucta atque praeter modum expansa, juxta longitudinem ad paginam posteriorem incisa, hic sursum inflexa cernitur, obtegens itaque anteriorem superficiem uteri. Ex ostii uterini, satis dilatati, labio posteriori descendit pedunculus latus et crassus, membrana interna uteri obductus. Hic mediae parti tumoris polyposi adhaerens, sulco quasi continetur, quo totus tumor juxta longitudinem in duas partes laterales dividitur. Ubi pedunculus tumori insertus est, lobi a se invicem bacillo remoti servantur. Totus hic tumor, insignis ponderis constat substantia admodum compacta, fibrosa, ab exteriore sulcata, et hinc quasi ex lobulis concretis compositus videtur. Ab inferiore incisura profundior, et magis dilatata observatur, quae procul dubio ab obstetricatoribus habita fuit ostium uterinum, et sic in diagnosi errori ansam dedit.

a. a. Vaginae sursum reflexae paries interior.

b. c. Pedunculus ex labio uterino descendens, ad cujus superiorem partem cernitur ostium uteri. c. Locus insertionis pedunculi in tumoris partem mediam, adeo ut tumore sibi relicto in aequilibrio quasi sustineatur et totus inverti queat.

d. e. Lobi majores a se invicem remoti, et inter se sulcum relinquentes.

f. Incisura profundior atque magis quam reliquae incisurae dilatata.

Figura 2.

Eaedem partes a posteriore delineatae. Vagina juxta longitudinem dissecta et versus latera reflexa monstrat crassitiem auctam.

In uteri superficie posteriore cernitur tumor scirrhosus, oblique situs. Ovaria et tubae FALLOPIANAE vix quidquam notatu dignum exhibent. Pedunculus polypi ex labio posteriori ostii uteri descendens, basin satis latam exhibens, secum etiam traxit internam membranam vaginae. Totus tumor polyposus nunc inversus est circa ipsius centrum, cui pedunculus insertus est, quum ceteroquin pedunculi posterior superficies, ejusque transitus in tumorem delineari non potuerunt.

Totum tumorem rursus delineare incongruum judicavi, sed infra ipsius centrum nunc perscissus representatur.

a. b. Corpus uteri. b. Tumor scirrhosus.
c. Portio incrassata et indurata peritonaei.
d. d. Ovaria.
e. f. Tubae FALLOPIANAE.
g. h. Vaginae incrassatae partes laterales.
i. k. Pedunculus basin latiorem in i. exhibens. k. Ipsius cohaesio cum centro tumoris.

Conf. Supel. Anat. BONNIANAE N°. CDLXXXIII. vol. III. pag. 369.

TABULA CXCVII.

(*VOL. IV. TAB. LXX.*)

Figura 1.

Delineatio pueri recens nati cum insigni tumore descendente ex inferiore parte faciei, atque parte anteriore colli, ex degenerata glandula thyreoidea, prout tumor se manifestabat mox postquam in lucem emissus fuerat puer. Fluctuatio humoris contenti facile observabatur, et circa inferiorem partem integumenta communia, maxime extenuata in parvum tuberculum erant elevata. Tumor in genere satis erat aequabilis, atque dextrorsum imprimis se extendebat; pressioni majori in latus dextrum corporis adscribenda videtur intumescentia brachii illius lateris, quae eo tempore facile observabatur.

Conf. Supel. Anat. BONNIANAE N°. DLVII. vol. III. pag. 377.

Figura 2.

Superficies glandulae thyreoideae, ejusdem infantis, quae asperae arteriae erat obversa in hac figura exhibetur.

Cernitur tota haec superficies degenerata, media in parte excavationem offerens, et cincta membranis, quae sacci speciem constituebant, quo humor serosus erat collectus. Substantia glandulosa nonnullis in locis indurata, in genere admodum laxa est, atque ab interiore cavitates duas, praeter cellulas multas dilatatas, exhibet, quae humore seroso etiam erant repletae, et quarum altera maxima fere totam glandulam occupabat, adeo ut in plurimis locis tenuissimi superessent parietes. Evacuato nunc humore glandula quodammodo pyramidalem offert formam, cujus ampla satis basis hic cernitur.

a. a. a. a. Membranae reflexae, quae cum colli partibus constituebant parietes sacci, humore repleti.

b. c. d. e. f. Superficies posterior glandulae, partim sacci fundum constituens. b. Superficies superior glandulae, quae ultra membranam prominet f. Pars inferior glandulae etiam membranis non inclusa. c. d. e. Pars glandulae in medio excavata, et speciem trabeculae, substantiae etiam ut videtur glandulosae, perpendiculariter sitae offerens.

Conf. Supel. Anat. BONNIANAE N°. CDXVIII. vol. III. pag. 363.

Fig. 2.



Fig. 1.



Fig. 3.



Fig. 4.



Fig. 1.



Fig. 2.

Fig. 3.



Fig. 1.

Fig. 2.



Fig. 3.



Fig. 4.



G. Arendtsen, del.

D. Veelwaard, sculp.

Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 1.



Fig. 2.



Fig. 3.

G. Landifort del.

J. Vedovato sculp.

Fig. 1.

Fig. 2.



Fig. 3.

G. Sandifort, del.

L. Vinkeles, sculp.

Fig. 1.

Fig. 4.



Fig. 2.

Fig. 3.

G. Sandifort, del.

D.t Veelwaard, sculp.

Fig. 3.

Fig. 1.

Fig. 4.

Fig. 5.



Fig. 2.

Fig. 6.

G. Sandifort, del.

D. Veelwaard, sculp.

Fig. 1.



Fig. 2.

G. Sandfort, del.

L. Vebrauve fecit

Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 3.



Fig. 4.

Fig. 5.

Fig. 1.

Fig. 3.

Fig. 4.

Fig. 2.

Fig. 1.



Fig. 2.



G. Sandifort. del.

CXL.

Fig. 1.



Fig. 2.



Fig. 3.

Fig. 4.



V. Candi fec. del

Lit. Vaccani Sc.

Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 1.

Fig. 2.

G. Sandifort, del.

A.C. Veckmann jun. sculp.

Fig. 1.

Fig. 2.

CXLIV.

Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 1.



Fig. 2.

Fig. 3.

G. Sandifort del.

J. Pouncy sculp.

G. Sandiford. del.

G. Vedmaar. sculp.

CXLVII.

Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 1.



Fig. 2.

Fig. 3.



Fig. 4.

CXLIX.

Fig. 1.

Fig. 3.

Fig. 2.

Fig. 4.

Fig. 6.

Fig. 5.



D.t Veelwaard. sculp.

t' Sandfort del.

Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 3.



Fig. 4.

Fig. 1.



Fig. 2.

Fig. 3.

Fig. 4.



Fig. 1.



Fig. 3.

Fig. 2.



Fig. 4.

C. Lambert et del.

C. Fehrmann, sculp.

Fig. 1.



Fig. 2.

Fig. 4.

Fig. 3.

CLIV.

Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 3.



Fig. 4.

Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 3.

Fig. 4.



G. Vandijfort, del.

D.t Veelwaard, sculp.

Fig. 1.



Fig. 2.

Fig. 5.



Fig. 3.

Fig. 4.

G. Mandifort del

D: Vedmarter fec

CLVII.

Fig. 1.



Fig. 2.



CLVIII.

Fig. 1.



Fig. 2.



Fig. 3.

G. Sandy, ort. del

CLIX.

Fig. 1.



Fig. 2.



G. Sandifore. del.

J. Pedwell. sculp.

Fig. 1.

Fig. 2.



Fig. 3.

Fig. 4.

Fig. 1.

Fig. 2.

CLXII.

Fig. 3.

Fig. 1.



Fig. 2.

G. Sandiford. del.

G. Vedwards sculp.

Fig. 1.

Fig. 2.



G. Sandyère del. J. Vicbraire Sculp.

Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 3.

Fig. 4.

Fig. 1.



Fig. 2.



CLXVI.

Fig. 1.



Fig. 2.



J. Sandifort del.

CLXVII.

Fig. 1.



Fig. 2.

G. Scandella del.

A. Vedovato, inc.

Fig. 1.

Fig. 2.



J. Sandifort del.

L. Vorsterman sculp.

CLXIX.

Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 3.

Fig. 4.

Fig. 5.

Fig. 6.

G. Sandfort del.

J. Vollmann, Sculp.

Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 3.

Fig. 4.

CLXXI.

Fig. 1.



G. Sandsfort del.

Fig. 2.

Fr. Vielmann lith.

CLXXII.

Fig. 1.



Fig. 2.



Fig. 3.



CLXXIII.

Fig. 1.



Fig. 2.

Fig. 3.



... ad Nat.

... Veelwaard. sculp.



Fig. 1.



Fig. 2.

G. Scandij ad Nat. — I. F. Bruun sculp.

Fig. 1.



Fig. 2.

G. Sandifort, del. G. V. Langen, sculp.

Fig. 1.

Fig. 3.



Fig. 4.



Fig. 2.



Fig. 2.



Fig. 3.

Fig. 1.

Fig. 2.



Fig. 3.

Fig. 4.



Fig. 1.



Fig. 2.

Fig. 3.



Fig. 1.

Fig. 2.

J. Sandtner del. A. Vedmann Sculp.

Fig. 1.



Fig. 2.



G. Sandifort, del.

Valentyn, sculp.



Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 3.

Fig. 4.



Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 5.

Fig. 3.



Fig. 6.

Fig. 4.



G. Sandifort. del

P. Vischer jun. sc.



Fig. 1.



Fig. 4.

Fig. 3.

Fig. 2.

G. Sandifort, del.

L. Valvasore, sculp.

Fig. 1.



Fig. 2.



Fig. 3.



Fig. 4.

J. Landtjärt, del. J. Edwards sculp.

Fig. 3.



Fig. 1.



Fig. 2.

Fig. 6.



Fig. 4.



Fig. 5.



C. Sandfort del.

P.t Vaelwaard, sculp.

CXCII.

Fig. 1.

Fig. 2.

Fig. 3.

Fig. 4.

Fig. 5.



Fig. 1.



Fig. 2.

Fig. 3.

Fig. 4.



Fig. 6.

Fig. 5.

Fig. 1.

Fig. 2.



Fig. 3.



G. Sandifort, del. *F. Vedmarro, sculp.*

Fig. 1.

Fig. 2.

A. Hardy jun. del.

L. Vanwaanc, Sc.

Fig. 1.



Fig. 2.



Fig. 1.

Fig. 2.

J. Sandifort. del.

D.t Veelwaard sculp.